BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
3 A
25

MANVALE THOMISTARVM
SEV
BREVIS THEOLOGIÆ CVRSVS,

In gratiam, & commodum ſtudentium editus,

AB ADM. REV. PATRE

F. IO: BAPTISTA GON

Biterrenſi, Ordinis FF. Prædicatorum, Prouinciæ Toloſanæ, ſtrictioris Obſeruantiæ, in Accademia Burdigalenſi Anteceſſore.

TOMVS SEXTVS.

Admodum Reuerendo Patri

F. DOMINICO MARIÆ SANTINO AB ÆXIO,

Ordinis Prædicatorum Sac: Theol: Magiſtro, ac Almi Conuentus S. Dominici de Bononia Priori.

BONONIÆ, M. DC LXXXI.

Typis Ioſephi Longi. *Superiorum Permiſſu.*

INDEX.

TOMI SEXTI.

TRACTATVS II. DE Sacramentis in genere. pag. 1

CAPVT I. Quidditas ſeu eſſentia Sacramenti in genere, 2

CAP. II. Partes intrinſecæ & eſſentiales Sacramentorum, 9

CAP. III. De exiſtentia ſeu neceſſitate Sacramentorum. 16

CAP. IV. De gratia Sacramentali. 25

§. I. *Duo præmittuntur quæ apud omnes Catholicos ſunt certa.* 26

§. II. *Cauſalitas phyſica Sacramentorum nouæ legis ſtatuitur.* 28

§. III. *Soluuntur obiectiones.* 34

§. IV. *Quam gratiam cauſent Sacramenta nouæ legis, An primam, vel ſecundam? pag.* 41

CAP. V. De Caractere Sacramentali. 47

§. I. *Sententia D. Thomæ præfertur.* 48

§. II. *Soluuntur Obiectiones.* 52

§. III. *Quodnam ſit ſubiectum proximum & im-*

& immediatum Caracteris Sacerdotalis. pag. 56
§. IV. *An Caracter ſit indelebilis & incorruptibilis ex natura ſua?* 60
CAP. VI. De Inſtitutore Sacramentorum. 62
CAP. VII. De Miniſtro Sacramentorum. 66
§. I. *Reſolutio primæ difficultatis.* 70
§. II. *Reſolutio ſecundæ difficultatis.* 75
§. III. *Reſolutio tertiæ difficultatis.* 77
TRACTATVS III. De Baptiſmo & Confirmatione. 81
CAP. I. Quo tempore baptiſma fuerit à Chriſto inſtitutum? 82
CAP. II. Quo tempore cœpit obligatio baptiſmi? 85
CAP. III. Materia remota & proxima Baptiſmi. 89
CAP. IV. Forma Baptiſmi. 94
CAP. V. Miniſter Baptiſmi. 97
CAP. VI. Subiectum Baptiſmi. 101
CAP. VII. Neceſſitas Baptiſmi. 111
CAP. VIII. Effectus Baptiſmi. 118
CAP. IX. Baptiſmi reuiuiſcentia. 124
CAP. X. De Baptiſmo Flaminis & Sanguinis. 136
Conſectaria præcedentis doctrinæ. 150
CAP. XI. De Circumciſione, cui ſucceſſit Baptiſmus. 154
CAP. XII. De Sacramento Confirmationis. pag. 162
§. I. *Exiſtentia & inſtitutio huius Sacramenti.* 163
§. II. *Materia, forma, & effectus huius ſacramenti.* 168
§. III. *Miniſter huius Sacramenti.* 179

TRA-

TRACTATVS IV. De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. 188
CAP. I. De exiſtentia, eſſentia, vnitate, neceſſitate & inſtitutione huius Sacramenti. 189.
§. I. *Exiſtentia & eſſentia huius Sacramenti ibid.*
§. II. *Vnitas huius Sacramenti.* 201
§. III. *Neceſſitas huius Sacramenti.* 204
§. IV. *Inſtitutio huius Sacramenti.* 209
CAP. II. Materia huius Sacramenti. 214
CAP. III. Realis præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. 229
CAP. IV. Tranſubſtantiatio Euchariſtica. 246
§. I. *Subſtantia panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti Domini, ſecundum ſe totam conuertitur, vnde vera datur tranſubſtantiatio in Euchariſtiæ Sacramento.* 250
§. II. *Tranſubſtantiatio Euchariſtica eſt actio productiua corporis Chriſti, non abſolutè & ſimpliciter, ſed tali modo, nimirum ex ſubſtantia panis in ipſum Chriſti corpus conuerſa.* 258
CAP. V. Modus quo Chriſtus exiſtit in Euchariſtia. 268
§. I. *Quid vi verborum, quid concomitanter ſub vtraque ſpecie contineatur?* 269
§. II. *Quid ſit præſentia Sacramentalis corporis Chriſti in Euchariſtia?* 274
§. III. *An Chriſtus in Euchariſtia poſſit moueri localiter, agere vel pati actione corporea, & oculo corporeo videri.* 280
CAP. VI. De accidentibus Euchariſticis. 286
CAP.

CAP. VII. Quomodo ex ſpeciebus Sacramentalibus aliquid generari poſſit? 289
CAP. VIII. Forma Sacramenti Euchariſtiæ. 295
CAP. IX. Effectus Sacramenti Euchariſtiæ. 315
CAP. X. De obligatione ſumendi Euchaſtiam. 327
CAP. XI. De Communione ſub vtraque ſpecie. 329
§. I. *Reſolutio primæ difficultatis.* 330
§. II. *Reſolutio ſecundæ difficultatis.* 336
CAP. XII. De Sacrificio Miſſæ. 343
§. I. *Miſſa habet veram & propriè dictam rationem Sacrificij.* 344
§. II. *Eſſentia Sacrificij Miſſæ conſiſtit in conſecratione vt dicente ordinem tranſcendentalem ad ſumptionem tanquam ad finem & terminum extrinſecum.* 350
TRACTATVS V. De Sacramento Pœnitentiæ & Extremæ-vnctioni. 359
CAP. I. De Pœnitentia vt eſt Sacramentùm. 360
§. I. *Eſſentia huius Sacramenti. ibid.*
§. II. *Inſtitutio huius Sacramenti.* 366
§. III. *Materia & forma huius Sacramenti.* 370
CAP. II. De Pœnitentia vt virtute. 376
CAP. III. De effectibus Pœnitentiæ. 388
§. I. *Primus Pœnitentiæ effectus, remiſſio omnium peccatorum mortalium. ibid.*
§. II. *Per pœnitentiam tollitur reatus pœnæ æternæ poteſt tamen remanere reatus alicuius pœnæ temporalis.* 390
§. III. *Remiſſio venialium, tertius pœnitentiæ effec-*

effectus? 397
§. IV. *Recuperatio virtutum, & reuiuiſcentia meritorum, quartus potentiæ effectus.* 409
CAP. IV. De Contritione. 429
§. I. *An Contritio perfecta iuſtificet etiam extra Sacramentum?* 425
§. II. *De Præcepto Contritionis.* 428
§. III. *Vtrum Contritio differat eſſentialiter ab attritione?* 432
§. IV. *Vtrum ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur aliquis actus charitatis, vel ſufficiat ſola attritio ex motiuo aliquo ſupernaturali concepta?* 436
§. V. *Præcipuum noſtræ ſententiæ fundamentum exponitur.* 441
§. VI. *Soluuntur Obiectiones.* 446
§. VII. *Quas conditiones habere debeat attritio, vt diſponat ad iuſtificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam?* 454
CAP. V. De Confeſſione Sacramentali. 457
§. I. *Præceptum Confeſſionis Sacramentalis.* ibid.
§. II. *Miniſter Confeſſionis Sacramentalis.* 460
§. III. *Qualitas Confeſſionis Sacramentalis.* 463
§. IV. *Integritas Confeſſionis Sacramentalis.* 466
§. V. *Sigillum Confeſſionis.* 472
CAP. VI. De Abſolutione Sacramentali. 476
CAP. VII. De Satisfactione Sacramentali. 489
CAP.

CAP. VIII. De Sacramento Extremæ-Vnctionis. 496
§. I. *Exiſtentia & Inſtitutio huius Sacramenti.* ibid.
§. II. *Materia & forma huius Sacramenti.* 499
§. III. *Subiectum & miniſter huius Sacramenti.* 502
§. IV. *Effectus huius Sacramenti.* 505
§. V. *Corollaria præcedentis doctrinæ.* 511
TRACTATVS VI. De Sacramento Ordinis. 513
CAP. I. De Ordine in Communi ibid.
CAP. II. De ſingulis Ordinibus in particulari. 516
CAP. III. De materia & forma eſſentiali Sacerdotij & Diaconatus. 524
CAP. IV. De miniſtro & ſubiecto Sacramenti Ordinis. 530
CAP. V. De Epiſcopatu. 536
TRACTATVS VII. De Sacramento Matrimonij. 549
CAP. I. De ſponſalibus. 543
CAP. II. De Matrimonium vt eſt in officium naturæ. 554
CAP. III. De Matrimonio vt habet rationem Sacramenti. 557
CAP. IV. De conſenſu ad Matrimonium requiſito. 568
CAP. V. De indiſſolubilitate Matrimonij. 577
CAP. VI. De impedimentis Matrimonij. 586
§. I. [illegible]

§. II.

§. II. *De impedimentis dirimentibus.* pag. 591
§. III. *Alia impedimenta dirimentia breviter exponuntur.* 598

FINIS.

Vid.

Vid. D. Fulgentius Orighetus Cler. Reg. S. Pauli, & in Metropol. Bonon. Eccleſ. Pœnitentiarius pro Eminentiſs. ac Reuerendiſs. D. D. Hieronymo Boncompagno, Archiep. Bonon. & Principe.

Imprimatur

Fr. Thomas Raineri de Forliuio Vicarius Generalis S. Officij Bononiæ.

TRACTATVS II.

DE

SACRAMENTIS IN GENERE.

POſtquam S. Doctor de Incarnationis Myſterio fuſè diſſeruit: conuenienti ordine agit de Sacramentis, quæ (vt ipſe ait in prologo libri quarti ſententiarum ad Annibaldum) ſunt quædam dominicæ Incarnationis reliquiæ, & quædam veluti vaſa, Chriſti ſanguinem continentia, nec non ſcaturigines aquæ ſpiritualis, in vitam æternam ſalientis, ac demum fontes illi Saluatoris ab Iſaia Propheta his verbis prænuntiati: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*. Priuſquam verò de quolibet nouæ legis Sacramento ſingulatim agat, præmittit quæſtiones aliquas de Sacramentis in genere, quorum declarat eſſentiam, neceſſitatem, effectus, & cauſas: de quibus etiam

in hoc tractatu breuiter, quantùm fieri poterit, diſſeremus.

CAPVT I.

Quidditas ſeu eſſentia Sacramenti, in genere.

DIco primò, Sacramentum eſſe eſſentialiter in genere ſigni. Eſt enim per ſe primò inſtitutum ad ſignificandam rem ſacram: Vnde Dionyſius, & alij Patres appellant Sacramenta, ſacra ſigna & ſymbola; & Concilium Florentinum ac Tridentinum, non aliter explicant naturam Sacramentorum, præſertim veteris legis, quam quia ſignificat rem ſacram. Cum ergo aliquod poſſit dici ſacrum tribus modis, nempe formaliter, effectiuè, & ſignificatiuè: Sicut aliquid poteſt dici ſanum, vel formaliter, a ſanitate quæ eſt in animali; vel effectiuè, a virtute cauſandi ſanitatem, vt medicina, vel dieta; vel ſignificatiuè, inquantum eſt ſignum & indicium ipſius ſanitatis, vt vrina, vel pulſus, Theologi hanc vltimam acceptionem præcipuè attendunt, & Sacramentum vſurpant prout ſigni ſanctitatis habitudinem importat. Vnde Sacramenta exigunt aliquam ſimilitudinem externi ſigni cum operatione interna quam ſignificant. Qua de cauſa Auguſtinus epiſt. 23. ad Bonifacium ait: *Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacra-*

men-

menta non eſſent. Sic per aquam ablutio ſimilitudinem refert ablutionis peccatorum quam Baptiſmus operatur; ideoque à Patribus Græcis Sacramenta vocari ſolent *ἀντιτυπα* eò quòd ſimilis ſint ſpeciei ac formæ cum re quam ſignificant.

Dices: Sacramentum eſt aliqua actio, vel res ſenſibilis, baptiſmus enim v. g. eſt ablutio aquæ elementaris: Ergo non eſt in genere ſigni, ſed actionis, aut ſimilium. Reſpondeo Sacramentum eſſe actionem, vel rem ſenſibilem, inſtitutam ad ſignificandum rem ſacram, ideoque importare de formali habitudinem ſigni, & de materiali tantùm rationem actionis, vel rei ſenſibilis.

Inſtabis: ſignum formaliter ſumptum eſt ens rationis, mente confictum: Sed abſurdum eſt dicere quod Sacramenta ſint entia rationis: Ergo & quod ſint ſigna. Reſpondeo ſignum, & quodlibet aliud concretum, ſupponere pro materiali, in communi vſu loquendi. Vnde hæc propoſitio, *ſignum eſt ens rationis*, eſt omnino falſa, ſicut & iſta: *Sacramentum eſt ens rationis*, abſolutè prolata, falſa eſt, ſupponit enim Sacramentum pro materiali, quod eſt actio, vel res ſenſibilis. Dixi *abſolutè prolata*, quia cum addito verum eſt dicere, Sacramentum eſt ens rationis, addendo ſcilicet de formali.

Dico ſecundò, Sacramentum non eſſe ſignum naturale, ſed ad placitum, & ex inſtitutione diuina. Eſt enim ſignum ſenſibile gratiæ & ſanctitatis perfectæ, vt infra oſtendemus: Sed nulla res ſenſibilis ex natura ſua ſignificat gratiam, cùm illa ſit forma ſuper-

naturalis: Ergo neceſſe eſt, quod hæc ſignificatio ipſi ex beneplacito & libera Dei inſtitutione ſuperueniat.

Dico tertiò, de ratione Sacramenti eſſe quod ſit ſignum a Deo in Eccleſia permanenter inſtitutum: Cùm enim Sacramenta ſint ſigna quibus in vnum nomen religionis homines colligantur, vt ait Auguſtinus, ſicut religio ſtabilis eſt & permanens, ita & illa ſigna ſtabilia eſſe debent. Vnde licet quando Chriſtus inſufflauit in Apoſtolos, dicens eis: *Accipite Spiritum Sanctum*, hæc cæremonia ſenſibilis fuerit inſtrumentum quo Apoſtoli receperunt gratiam, & Spiritum Sanctum, non fuit tamen nouæ legis Sacramentum, quia non fuit a Chriſto permanenter in Eccleſia inſtituta, ad ſignificandum gratiam.

Dico tertiò, de ratione Sacramenti eſſe, ſignificare gratiam, non vtcumque, ſed practicè, id eſt in actuali vſu Sacramenti ſuſcipiendam. Nam ſigna ſpeculatiua rei ſacræ, vt cruces, imagines, & alia huiuſmodi, non ſunt Sacramenta. Vnde D. Thomas hîc qu. 60. art. 2. docet quod Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ, inquantum eſt ſanctificans homines: Ergo cenſet Sacramentum eſſe ſignum practicum, & non purè ſpeculatiuum gratiæ ſanctificantis. Vnde omnia veteris legis ſacrificia, non fuere Sacramenta, quia etſi gratiam vel poſtularent, vel à Chriſto donandam præſignarent, eam tamen practicè minimè conferebant. Similiter ſerpens æneus à Moyſe iuſſu Dei in deſerto eleuatus, non fuit verum Sacramentum; tametſi rem ſacram re-

præ-

præſentaret, nempe Chriſtum crucifixum; quia non ſignificabat Chriſtum, vt actu ſacrantem, ſeu ſanctificantem; neque enim adhibebatur, vt aliquis ſanctificationis effectus perciperetur ab his qui tali ſigno vtebantur, ſed tantùm vt a morſibus ſerpentum ſanarentur, vt docet S. Thom. in 4. diſt. 1. qu. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 3.

Dico quintò, Sacramenta ex genere ſuo ſignificare rem ſacram ſimpliciter, hoc eſt gratiam ſanctificantem, non verò ſanctitatem imperfectam, ſeu legalem. Ita D. Thomas art. citato ad 3. vbi aſſerit ea ſolùm eſſe Sacramenta quæ ſignificant perfectionem ſanctitatis humanæ, non verò quæ ſignificant diſpoſitionem ad illam. Ratio etiam id ſuadet, ſi enim ad rationem Sacramenti ſufficeret quæcumque ſanctitas imperfecta, qualis erat ſanctitas legalis Iudæorum, vel etiam quæcumque diſpoſitio ad gratiam, innumera eſſent Sacramenta tum in noua tum in veteri lege. Nam in noua lege prima tonſura eſt cæremonia ſacra, per quam homo incipit dicari cultui diuino, quæ proinde aliquam ſanctitatem ſignificat. Item aqua luſtralis eſt etiam cæremonia ſacra, aliquam homini cui applicatur conferens ſanctitatem, inquantum delet peccata venialia. Similiter in lege veteri multæ erant cæremoniæ, quæ imperfectam & legalem ſanctitatem cauſabant, & ſignificabant, vt colligitur ex illo ad Hebr. 9. *Solummodo in cibis, & potibus, & varijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis*; & tamen nemo dicet, omnes illas cæremonias, ablutiones & iuſtitias carnis, fuiſſe Sacramenta.

Confirmatur: Si ad rationem Sacramenti ſufficeret ſignificatio cuiuſcumque ſanctitatis imperfectæ, ſicut poteſt Eccleſia propria authoritate cæremonias inſtruere, quæ conferant & ſignificent huiuſmodi ſanctitatem, ita poſſet propria authoritate Sacramenta inſtituere; idem cum proportione dicendum eſt de Synagoga: At hoc eſſe falſum conſtabit ex infra dicendis; Ergo &c.

Dices: Sacramenta veteris legis non cauſabant gratiam, ſed tantùm ſanctitatem legalem & imperfectam, quæ erat propria ſtatui legis Moſaycæ: Ergo non eſt de ratione Sacramenti vt ſic ſignificare perfectam ſanctitatem, quæ fit per gratiam.

Reſpondeo negando Antecedens, licet enim Sacramenta veteris legis non haberent virtutem gratiæ productiuam, ſicut Sacramenta nouæ, Deum tamen mouebant & moraliter excitabant, ad eam dandam ritè ſuſcipientibus, quatenus erant ſigna Chriſti venturi ſibindeque erant ſigna gratiæ & perfectæ ſanctitatis. De quo fuſiùs tractatu ſequenti, cùm agemus de circumciſione.

Ex dictis colligitur primò, Sacramenta nouæ & veteris legis, in ratione ſigni gratiæ, vniuocè conuenire, ſecùs verò, ſi conſiderentur vt cauſæ illius.

Prima pars patet, quamuis enim Sacramenta nouæ legis perfectiori modo ſignificent gratiam quam Sacramenta veteris legis, hæc tamen inæqualitas non tollit vniuocationem; ſicut a ſimili eam non impedit inæqualitas ſub qua homo & equus participant rationem animalis. Addo quod ſicut religio vetus & no-

noua vniuocè conueniunt in ratione religionis, ita & Sacramenta quæ talium religionum ſunt Symbola & veluti columnæ ac exteriores proteſtationes, debent vniuocè, ſaltem vt ſunt rei ſacræ ſigna, conuenire.

Quod verò ſi conſiderentur vt cauſæ illius, analogicè tantùm conueniant, ex eo conſtat, quod Sacramenta nouæ legis, habent in ſe vim gratiæ productiuam, vt patebit infra cùm agemus de cauſalitate Sacramentorum nouæ legis: Sacramenta verò antiqua tali virtute carebant (vnde ab Apoſtolo vacua & egena elementa appellantur) Deumque ſolùm moraliter excitabant ad conferendam gratiam ex meritis Chriſti venturi, quam figurabant aut repræſentabant: Sed cauſalitas vera & metaphorica, analogicè tantùm conueniunt: Ergo & Sacramenta nouæ & veteris legis, ſi in ratione cauſæ gratiæ conſiderentur. In quo ſenſu intelligendus eſt D. Thomas, dum ait in 4. diſt. 1. qu. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 5 *Sacramentum non diuiditur per Sacramenta veteris & nouæ legis, ſicut genus per ſpecies, ſed ſicut analogum in ſuas partes.*

Colligitur ſecundò, Sacramentum vt ſic tria ſignificare, nimirum paſſionem Chriſti, gratiam, & gloriam: nam vt docuit S. Doctor hic art. 3. Sacramentum eſt eſſentialiter ſignum noſtræ ſanctificationis: in illa autem tria poſſunt conſiderari, videlicet cauſa à qua procedit, & hæc eſt paſſio Chriſti; forma per quam fit, quæ eſt gratia ſanctificans; & vltimus finis ad quem ordinatur, qui eſt gloria ſeu vita æterna: Ergo Sacramentum vt

ſic hæc tria ſignificat, paſſionem Chriſti, gratiam, & gloriam. Principaliùs tamen ſignificat gratiam, quia Sacramentum eſt per ſe primò inſtitutum ad ſignificandum cauſam formalem & intrinſecam noſtræ ſanctificationis. Ex hoc infert D. Thomas ad finem corporis eiuſdem articuli, Sacramenta nouæ legis eſſe ſigna rememoratiua, demonſtratiua, & prognoſtica: rememoratiua eius quod præceſſit, ſcilicet paſſionis Chriſti; demonſtratiua eius quod in nobis efficitur per paſſionem Chriſti, ſcilicet gratiæ; prognoſtica verò illius quod in futurum expectatur, nimirum gloriæ. Vnde in officio quod idem ſanctus compoſuit de Venerabili Euchariſtiæ Sacramento, hæc canit Eccleſia: *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

Colligitur tertiò, Sacramentum rectè definiri *ſignum rei ſacræ ſantificantis homines.* Nomine rei ſacræ intelligendo gratiam habitualem, vt collatam in actuali vſu Sacramenti. Nomine verò ſigni intelligendo ſignum a Deo inſtitutum, quia cùm ſit ſolius Dei conferre gratiam, vt cauſæ principalis, illius eſt inſtituere ſigna, eius collationem infallibiliter ſignificantia. Intelligendo etiam ſignum in Eccleſia permanenter inſtitutum, quia iuxta Auguſtinum lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. Sacramenta ſunt præcipuæ cæremoniæ, quibus populus Dei in vnam religionem coaleſcit, & ab alijs diſtinguitur, ac proinde debent tandiu durare, quandiu perſeuerat forma religionis, propter quam inſtituta ſunt.

CA-

CAPVT II.

Partes intrinſecæ & eſſentiales Sacramentorum.

DIco primò, Sacramenta conſtare aliqua re ſenſibili.

Rationibus demonſtrari non poteſt hæc veritas, quæ pendet ex ſola Dei voluntate, ſed congruentijs varijs declaratur. Primam ſumit D. Thomas ex ſuaui prouidentia Dei, quæ, vt ait Dionyſius, ſe accomodat naturis rerum: Cùm ergo connaturale ſit homini, ex cognitione rerum ſenſibiliũ manu duci ad cognitionem ſpiritualium, fit inde vt Deus conuenientiſſimè elegerit res ſenſibiles in ſigna & Sacramenta inuiſibilium. Vnde egregiè Nazianzenus orat. de baptiſmate: *Medicamentum partim corporale partim ſpirituale aptiſſimè conuenit in eos ægrotos, quorũ natura corpore & ſpiritu continetur.* Et Chryſoſtomus homil. 62. in Matth. *Incorporea dona tibi Deus nuda tradidiſſet: Sed quoniam anima corpori conſerta eſt, in rebus ſenſibilibus tibi præbet.* Secunda petitur ex ſapientia & omnipotentia Dei, quæ maximè ſplendent in eo quod res ſenſibiles fiant remedia & inſtrumenta ſalutis, cùm tamen vt plurimum ſint occaſiones peccandi. Tertia ſumitur ex quodam fine Sacramenti, ſcilicet vt fideles in vnum Eccleſiæ viſibilis corpus adunentur, & diſtinguantur a cœteris; deſignari enim poſſunt membra corporis viſibilis, niſi per ſignum viſibile aut ſenſibile.

Quæres, an ratio ſigni ſenſibilis ita ſit eſſentialis Sacramento, vt omnino repugnet inſtitui Sacramentum in aliqua re ſpirituali inſenſibili?

Reſpondeo affirmatiuè, ſi ſermo ſit de Sacramentis pro hominibus inſtitutis, cùm omne ſignum ab homine vel pro homine inſtitutum, debeat eſſe ſenſibile. Vnde ſignum pro hominibus inſtitutum ſic definitur ab Auguſtino lib. 2. de doctrina Christiana: *Signum eſt quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire.* Ex quo infert epiſt. 23 ad Bonifacium, quod ſi Sacramenta quandam ſimilitudinem ſeu repræſentationem earum rerum quarum ſunt non haberent, omninò Sacramenta non eſſent, vt ſupra retulimus. Dixi, *ſi ſermo ſit de Sacramentis pro hominibus inſtitutis*, quia aliqui non improbabiliter exiſtimant, nullam eſſe repugnantiam ſeu implicantiam quod Deus pro Angelis Sacramentum aliquod inſtituat, conſiſtens in aliqua illorum operatione; & quod eleuet actum purè internum, v. g. adorationis, ad ſignificandam & cauſandam gratiam inſtrumentaliter; ſicut ad patranda miracula poteſt vti interiori motu hominis tanquam inſtrumento, vt docet S. Thomas 22. q. 178. art. 1. ad 1. Vnde ſignum vniuerſaliter ſumptum, prout abſtrahit à ſenſibili & ſpirituali, Angelico & humano, debet ſic definiri, vel deſcribi: Signum eſt quod mediante, vel præſuppoſita ſui notitia, in alterius cognitionem deducit. Siue prima illa cognitio pertineat ad ſenſum, ſiuè ad intellectum.

Dico

Dico ſecundò, in Sacramentis nouæ legis requiruntur verba propriè vel impropriè ſumpta: in Sacramentis verò veteris legis non erat neceſſarium, quod rebus verba adderentur.

Prima pars eſt de fide, definita in Florentino, in decreto vnionis, vbi referuntur verba quibus vnumquodque Sacramentum nouæ legis perficitur. Declaratur verò a S. Thoma hic art. 6. hoc diſcurſu: Tripliciter conſiderari poſſunt Sacramenta nouæ legis, nimirum ex parte cauſæ, quæ eſt Verbum incarnatum; ex parte hominis, qui eſt Sacramentorum ſubiectum & ex parte ſignificationis Sacramentorum; & ex his tribus capitibus petunt perfici verbis ſimul & rebus, vt cum illis ſingulis quandam habeant proportionem & conformitatem. Nam Chriſtus componitur ex natura humana ſenſibili, & ex Verbo diuino hypoſtaticè illi vnito. Homo etiam conſtituitur ex corpore ſenſibili, & anima ſpirituali. Significatio tandem Sacramentalis, perfectius fit per verba quam per res ſenſibiles, habent enim verba principatum ſignificandi, vt ait Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 3.

Dixi verò in Sacramentis nouæ legis requiri verba, propriè, vel impropriè ſumpta; quia in Sacramento pœnitentiæ & matrimonij, interdum ſufficiunt nutus, aut alia ſigna: quæ ſupplent vices verborum, & quæ æquiualent vocibus.

Secunda pars, quæ aſſerit in Sacramentis veteris legis non fuiſſe neceſſarium quod rebus verba adderentur, probatur ex eo quod

rem præſentem clariùs manifeſtamus, quam futuram: Sacramenta autem veteris legis, prænuntia erant Chriſti venturi, ideoque non ita expreſsè ſignificabant Chriſtum, ſicut Sacramenta nouæ legis: Ergo neceſſarium non erat quod in illis, rebus adderentur verba, quæ (vt ex Auguſt. ſupra vidimus) inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi. Vnde in veteri teſtamento, quando fit mentio ſacramentorum, non præſcribuntur verba, quibus perficiantur, vt Geneſ. 17. cùm tractatur de ritu circumciſionis, & Exodi 12. cùm præcipitur immolatio agni paſchalis, & Leuit. 8. cùm mentio fit de ritu ordinationis.

Dicò tertiò, ſacramenta nouæ legis conſtare rebus & verbis, tanquam ex materia & forma, & vt partibus intrinſecis ac eſſentialibus.

Prima pars conſtat ex Florentino aſſerente ſacramenta nouæ legis, perfici rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma; & declaratur a D. Thoma hic art. 7. hoc diſcurſu. Materia eſt id quod determinatur per aliud, ſic enim in naturalibus, materia determinatur per formam, ad vnum ſpecie, puta hominem vel leonem; & in artefactis figura eſt forma, quia determinat ad vnum in ſpecie artificiali, v. g. ad domum, vel cathedram vnde cùm res ſenſibiles in ſacramentis, per verba, ad vnum veluti artefactum, ſcilicet ſignum gratiæ, determinentur, neceſſe eſt vt verba habeant rationem formæ, & res ſenſibiles ſe habeant per modum materiæ.

Dices, materia & forma debent eſſe ſimul in eis quæ ex ipſis componuntur: Sed in ſacramentis nouæ legis res & verba non neceſ-

ſa-

ſariò debent eſſe ſimul: Ergo ſacramenta nouæ legis non componuntur ex rebus & verbis tanquam ex materia & forma. Minor probatur, nam in ſacramento Baptiſmi v. g. res, ſcilicet ablutio, poteſt præcedere verba, & è contra verba poſſunt præcedere ablutionem.

Reſpondeo quod licet in compoſitis ſubſtantialibus, materia & forma debeant eſſe ſimul, ſimultate phyſica in ſucceſſiuis tamen, & artificialibus, qualia ſunt ſacramenta, ſufficit quod ſint ſimul, ſimultate morali.

Secunda pars, quæ aſſerit res & verba in ſacramentis nouæ legis eſſe partes intrinſecas & eſſentiales, hac ratione ſuadetur: Cùm ſacramenta ſint eſſentialiter ſigna practica gratiæ ea quæ in ſacramentis ex ſe ſimul & neceſſariò concurrunt ad ſignificandam & efficiendam gratiam, ſunt partes illorum intrinſecæ & eſſentiales: Atqui tam res quam verba in ſacramentis nouæ legis ſimul & neceſſariò concurrunt ad ſignificandam & cauſandam gratiam: Ergo ſunt partes intrinſecæ & eſſentiales ſacramentorum nouæ legis. Maior conſtat, minor etiam videtur manifeſta, nam ſine rebus verba non ſignificant practicè gratiam, nec res ſine verbis; ex his verò ambobus fit vnum quod ſignificat & infallibiliter gratiam cauſat.

Obſeruandum tamen eſt, quod cùm ſacramentum Euchariſtiæ non conſiſtat in vſu, ſed in aliqua re permanenti, nimirum in ſpeciebus conſecratis, vt continentibus corpus & ſanguinem Chriſti, materia & forma non ſunt intrinſecæ illius partes, niſi vt eſt in ſuo fieri, id eſt in actuali materiæ conſecratione,

non

non verò prout eſt in facto eſſe; nam dum gratia infunditur, & ſacramentum ſacra communione percipitur, verba dudum tranſierunt; vnde non poſſunt cum ſpeciebus Euchariſticis, ad modum partium intrinſecarum, conſtituere ſacramentum permanens, vt magis declarabitur, cùm de eſſentia ſacramenti Euchariſtiæ diſſeremus.

Dico quartò, omnes materias & formas ſacramentorum eſſe a Deo vel a Chriſto inſtitutas, non tamen ſingulas quoad ſpeciem, ſed aliquas quoad genus tantùm, determinandas quoad ſpeciem ab Apoſtolis vel Eccleſia.

Prima pars huius aſſertionis eſt certa, nam ab eo materiæ & formæ ſacramentorum ſunt determinatæ, à quo ſunt ſacramenta inſtituta; ille enim dicitur ſacramenta inſtituere, qui materiam & formam ipſorum inſtituit, quibus eſſentialiter conſtant; Atqui non alium ſacramentorum authorem agnoſcimus, quam vel Deum, reſpectu veterum; vel Chriſtum, reſpectu nouorum: Ergo omnes materiæ & formæ ſacramentorum, fuerunt vel à Deo, vel à Chriſto inſtitutæ. Quod magis patebit, cùm materiam & formam cuiuslibet Sacramenti exponemus.

Secunda verò pars conſtat primò in Sacramento legis naturæ pro paruulis inſtituto, ad delendum peccatum originale, cuius nulla fuit certa materia, in ſpecie a Deo determinata, ſed tantùm in genere, ſub ratione ſigni ſenſibilis diuini cultus & religionis proteſtatiui, vt infra patebit. Conſtat etiam in aliquibus nouæ legis Sacramentis, præcipuè in Sacramento Ordinis. Nam Eccleſia Græca

pro

pro materia in ordinibus ſacris, ſolam adhibet manuum impoſitionem; pro forma verò hæc verba: *Diuina gratia quæ infirma ſanat, promouet hunc Subdiaconum in Diaconum, hunc Diaconum in Presbyterum*. Latina verò in ſubdiaconatu pro materia adhibet traditionem calicis vacui, cum patena vacua, & libri Epiſtolarum: pro forma verò hæc verba: *Accipe librum Epiſtolarum, & poteſtatem eas legendi in Eccleſia Dei &c.* In Diaconatu verò pro materia adhibetur traditio libri Euangeliorum, pro forma hæc verba: *Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei &c.* In Presbiteratu pro materia adhibet patenæ cum hoſtia & calicis cum vino traditionem: & pro forma hæc verba: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo &c.* Cùm ergo Eccleſia non poſſit errare in materijs & formis ſubſtantialibus Sacramentorum, moduſque conferendi Ordines quo Eccleſia Græca vtitur, validus ſit, & ab Eccleſia Romana approbatus, dicendum eſt, nullam materiam vel formam in ſpecie fuiſſe a Chriſto pro hoc Sacramento determinatam, ſed tantùm in genere, ſub aliquo ſigno ſenſibili, expreſſiuo huius poteſtatis quæ per Ordinem traditur. De quo fuſiùs, cùm de Sacramento Ordinis.

CAP.

CAPVT III.

De exiſtentia ſeu neceſſitate Sacramentorum.

CVm homo in quadruplici ſtatu conſiderari poſſit; nimirum in ſtatu innocentia; in ſtatu legis naturæ, in ſtatu legis ſcriptæ ? ſiue Moſaicæ, & poſt Chriſti aduentum, ſeu in lege euangelica: exiſtentia ſeu neceſſitas Sacramentorum, quoad omnes illos ſtatus, inueſtiganda eſt; nam quoad ſtatum gloriæ, euidens eſt, illum non eſſe capacem Sacramentorum, quia vbi eſt veritas clara, omnium ſignorum vmbra fugit.

Dico ergo primò, nullum de facto inſtitutum fuit Sacramentum in ſtatu innocentiæ.

Hæc concluſio certa videtur, tum quia nullum in Scriptura, vel Patribus, inſtitutionis Sacramentorum pro ſtatu innocentiæ extat veſtigium. Tum etiam, quia in illo breuiſſimo tempore quo ſtatus innocentiæ in primis parentibus durauit, vix potuit eſſe locus vſui Sacramentorum, Sacramenta enim præcipuè requiruntur ad perficiendum in gratia & ſcientia homines: primi verò parentes perfecti creati ſunt in vtroque: Ergo in illo ſtatu feliciſſimo in quo creati ſunt, nullis egebant ſacramentis. Vnde nec matrimonium Adæ cum Eua, nec lignum vitæ, fuere verè & propriè ſacramenta: licet enim typum & figuram rei ſacræ geſſerint, vnionis ſcilicet Chriſti cum Eccleſia & ſacramenti Euchariſtiæ, tamen pro tunc non erant à Deo inſtituta vt ſigna practica gratiæ & ſanctificationis hominum.

num. Vnde cùm Apoſtolus vocat matrimonium Adæ cum Eua, *magnum Sacramentum*, & cum Auguſtinus loquens de ligno vitæ, ait quod Adamo *erat in lignis cæteris alimentum, in iſto Sacramentum*, nomen Sacramenti in lata quadam acceptione vſurpant, prout ſignificat idem quod myſterium.

Quæres, an ſi Adamus non peccaſſet, & ipſe ac poſteri eius in ſtatu innocentiæ perſeueraſſent, fuiſſent a Deo inſtituta Sacramenta, ex vi præſentis decreti?

Reſpondeo negatiuè: tum quia idem fuiſſet ſtatus innocentiæ in Adamo perſeuerante, & in poſteris eius non peccantibus, ac de facto fuit, antequam Adamus peccaret: Ergo ſi nullum de facto inſtitutum fuit ſacramentum in ſtatu innocentiæ, ob huius ſtatus perfectionem, nec vllum fuiſſet inſtitutum, ſi ſtatus ille duraſſet. Tum etiam quia, ſicut Adamo non peccante, Verbum minimè incarnatum fuiſſet, vt Patres poſt Scripturas teſtantur; quia licet multæ à nobis proferri poſſint huius aduentus, etiam non exiſtente peccato, conuenientiæ; attamen quia præcipuus & vnus incarnationis finis, ſacra in traditione expreſſus, vna eſt à peccato redemptio, ideò Verbum, Adamo non peccante, incarnandum non fore aſſerimus: ita in propoſito, quia Sacramenta, ex vi decreti quod Deus de facto habuit, ſunt quædam medicinæ ſpirituales, in remedium peccati à Christo Redemptore noſtro ac medico inſtitutæ, ex vi illius non fuiſſent pro ſtatu integritatis & ſanitatis, vllatenus inſtituta, vtpote pro tali ſtatu omnino inutilia & ſuperflua, quia non eſt opus valentibus

tibus medicõ, ſed ijs qui malè habent. Vnde Auguſtinus ſerm. 9. de verbis Apoſtoli: *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla erit medicinæ cauſa.*

Dices primò: quamuis in ſtatu innocentiæ non fuiſſet peccatum originale, tamen in eo poterant eſſe aliqua peccata actualia; nam primo parente non peccante, aliqui ex eius deſcendentibus potuiſſent peccare: Ergo pro his qui peccaſſent inſtitutum fuiſſet aliquod Sacramentum, quo gratiam amiſſam recuperaſſent.

Sed contra: Sacramenta, ex ſua inſtitutione, non ſunt ordinata in remedium cuiuſcumque peccati, ſed tantùm peccati originalis, vel actualis, ab originali prouenientis: Cùm enim ad hoc tantùm ſint inſtituta, vt merita Chriſti ad nos deferant, nobiſque applicent, non ſunt inſtituta niſi in remedium illius peccati, ad quod tollendum valent merita Chriſti ſeu propter quod delendum Chriſtus incarnatus & mortuus eſt: Chriſtus autem non eſt incarnatus & mortuus, niſi in remedium peccati originalis, & actualis ab eo prouenientis, vt præcedenti tractatu cap. 3. oſtenſum eſt: Ergo cùm in ſtatu innocentiæ, Adamo non peccante, nón fuiſſet peccatum originale, néc per conſequens actuale ab originali prouenïens; nullum ex vi præſentis decreti, Sacramentum tùnc exſtiteret; tamē ſi aliqui ex Adæ poſteris peccaſſent. Vnde illi qui peccaſſent, non recuperaſſent gratiam, mediantibus Sacramentis, ſed per actus charitatis & contritionis, quos ob perfectiorem Dei cognitionem, faciliùs in eo ſtatu elicere potuiſſent, quam nos.

Di-

Dices ſecundò, Sacramentum Euchariſtiæ non eſt inſtitutum in remedium peccati originalis, vel actualis, ſed ad cauſandum augmentum gratiæ: Ergo ſaltem tale Sacramentum fuiſſet in ſtatu innocentiæ, ſi ille in Adamo & poſteris eius perſeueraſſet.

Sed contra primò: Euchariſtia ſupponit Chriſtum venturum in carne paſſibili, quia ipſum vt talem continet, ſaltem ex modo quo fuit inſtituta, ex vi præſentis decreti: Ergo cùm aduentus Chriſti in carne paſſibili dependeat à peccato, vt omnes fatentur, ipſa etiam Euchariſtia non poteſt non preſupponere peccatum, ſaltem ex modo quo fuit inſtituta, & ex vi præſentis decreti.

Contra ſecundò: Euchariſtia in ratione ſacrificij incruenti, inſtituta eſt ad repræſentandum cruentum ſacrificium crucis: Ergo inſtituta eſt propter Chriſtum in cruce mortuum, & ex ſuppoſitione peccati. Item in ratione Sacramenti inſtituta eſt per modum cibi ſpiritualis: Sicut ergo alimentum corporale maximè neceſſarium eſt ad conſeruandam & reparandam ſubſtantiam quæ deperditur ex calore naturali; ita præcipuè inſtitutus eſt cibus ille ſpiritualis, ad conſeruandam & reparandam gratiam quæ deperditur ex ardore concupiſcentiæ, ex peccato originali relictæ. Vnde Euchariſtia non ſolùm inſtituta eſt per modum cibi, ſed etiam per modum medicinæ præſeruatiuæ, ad ſuccurrendum noſtræ fragilitati, & à frequenti lapſu nos præſeruandum. Nec obeſt, quod illa ſit Sacramentum viuorum, & ad augendam gratiam inſtituta fuerit, Non enim eſt inſti-

tuta ad augendam gratiam ſeu iuſtitiam originalem, ſed gratiam regeneratiuam, vel ſanatiuam, quæ nobis primò per Sacramentum baptiſmi vel pœnitentiæ confertur.

Dico ſecundò, in lege naturæ fuiſſe aliquod remedium pro paruulorum iuſtificatione à Deo inſtitutum, illudque fuiſſe verum Sacramentum.

Prima pars eſt certa, Deus enim habet voluntatem ſaluandi omnes homines, quæ non ſolùm adultos, ſed etiam paruulos comprehendit, vt docet Auguſtinus lib. 4 contra Iulian. cap. 8. & conſtat ex eo quod aliàs Chriſtus omnium paruulorum redemptor non eſſet, cùm illius redemptio non excedat obiectiuè voluntatem generalem quam Deus habet de ſalute hominum, vtpote ex illa imperata: At per illam voluntatem præparantur omnibus media ad ſalutem ſufficientia, iuxta ſingulorum capacitatem, alioquin vera & ſincera non eſſet: Vnde D. Thomas in 1. dist. 46. quæſt. 1. art. 1. ait quod *huius voluntatis effectus eſt ipſe ordo in finem ſalutis, & promouentia in finem, omnibus communiter propoſita, tam naturalia, quam gratuita:* Ergo debuit Deus in quacumque lege & ſtatu naturæ ſufficiens remedium pro paruulorum ſalute & iuſtificatione, ſeu emendatione à peccato originali, præparare. Vnde Author de Cardinalibus Chriſti operibus apud Cyprianum: *Sanè originale peccatum quod à primis parentibus in totam generis huius ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remedijs oportuit expiari.* Et Auguſtinus lib. 5. contra Iulian. cap. 9. *Non eſt credendum ante*

da-

datam Circumciſionem, famulos Dei (quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi) nullo Sacramento eius opitulatos fuiſſe paruulis ſuis: quamuis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa Scriptura latere voluit.

Secunda verò pars quæ aſſerit remedium illud pro paruulorum iuſtificatione, in lege naturæ à Deo inſtitutum, fuiſſe verum Sacramentum, ſic oſtenditur: Remedium illud fuit extremum & ſenſibile, & non purè internum & ſpirituale; Ergo fuit verum Sacramentum. Conſequentia patet, ad veram enim rationem Sacramenti ſufficit, vt ſit ſignum ſenſibile & practicum gratiæ ſanctificantis. Antecedens verò, in quo eſt difficultas, probatur multipliciter. Primò, quia opórtebat remedium illud legis naturæ paruulis applicari, vt ipſi conſequerentur ſalutem: non eſt autem conueniens applicatio inter homines, & modo humano, ſi fiat per actum purè internum, & non externa aliqua operatione. Secundò, paruuli dum iuſtificabantur in lege naturæ, adunabantur Eccleſiæ fidelium: Sed in nullum religionis nomen adunantur homines, ſine ſacramentorum viſibilium conſortio, vt ait Auguſtinus: Ergo remedium illud quo paruuli in lege naturæ iuſtificabantur, erat externum, & ſenſibile, & non purè internum, & ſpirituale. Tertiò, Eccleſia ſemper fuit viſibilis: Ergo & id quo paruuli in lege naturæ fiebant membra Eccleſiæ. Quartò, remedio legis naturæ pro iuſtificatione paruulorum, ſucceſſit in lege ſcripta circumciſio, & in lege noua baptiſmus.

mus. Ergo ſicut iſta remedia ſunt externa & ſenſibilia, ita & illud ſenſibile fuit. Demum, congruum eſt, vt quemadmodum Chriſtus homines redemit non ſola operatione diuina aut interiori, ſed ſenſibili & exteriori effuſione ſanguinis & morte crucis; ita homines conſtantes corpore & ſpiritu, non ſanctificentur ſine ſigno aliquo ſenſibili, quo fidem profiteantur exteriùs in Chriſtum Saluatorem. Vnde remedium illud quo paruuli in ſtatu legis naturæ iuſtificabantur, erat actus aliquis externus, proteſtatiuus fidei Meſſiæ venturi: Sicut enim Deus decreuit nullum adultum abſque propria fide in Chriſtum ſaluare, iuxta illud Actor. 4 *Nec enim aliud nomen ſub cælo datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri:* ita nec illum puerum iuſtificare, abſque parentum vel alteriùs fide in Chriſtum.

Porro tale ſignum proteſtatiuum fidei de Meſſia venturo, non fuit à Deo determinatum in ſpecie, ſed tantùm in genere, relinquendo illud in ſpecie & indiuiduo determinandum ab ipſo applicante: Tum quia hoc congruum fuit illi ſtatui, in quo Deus abſque vlla lege poſitiua, per ſolum interiorem inſtinctum gratiæ, & priuatæ reuelationis, homines ad ſalutem dirigebat. Tum etiam, quia ad veram rationem Sacramenti ſufficit, vt ſit practicum ſignum gratiæ, à Deo quoad genericam tantùm rationem inſtitutum, vt patet de materia calicis, quæ non eſt hoc vel illud vinum in ſpecie determinatum, ſed vinum de vite in genere; & de materia matrimonij, quæ non eſt contractus, his vel illis circun-

ſtan-

ſtantijs veſtitus, ſed legitimus, quibuſcumque conditionibus firmatus. Ordo etiam, vt ſupra dicebamus, non fuit à Chriſto in certa & determinata materia, vel forma inſtitutus, ſed tantùm in genere, ſub ratione ſigni expreſſiui poteſtatis, quæ per Ordinem traditur.

Dico tertiò, in lege naturæ fuiſſe pro adultis aliquod Sacramentum ad delenda peccata actualia. Hæc aſſertio colligitur ex dictis in præcedenti: debuit enim diuina prouidentia non minùs aliquod remedium ad tollenda peccata actualia, quam ad tollendum peccatum originale, præparare, cùm habeat voluntatem antecedentem ſaluandi omnes homines, ſiue paruulos ſiue adultos, & per talem voluntatem ſalutis media ſeu remedia hominibus præparentur: Sed remedium ad delenda peccata actualia in lege naturæ inſtitutum, non minus debuit eſſe ſenſibile, quàm remedium ad tollendum peccatum originale, in eadem lege inſtitutum, cùm rationes quæ hoc probant de vno, id etiam ſuadeant de alio: Ergo in lege naturæ fuit aliquod remedium ſenſibile ad tollenda peccata actualia, ſubindeque aliquod ſacramentum, in remedium peccatorum actualium pro adultis inſtitutum. Vnde D. Thomas in 4. diſt. 1. qu. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. ad 2. *Ante legem ſcriptam erant quædam Sacramenta neceſſitatis: ſicut illud fidei Sacramentum quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati, & ſimiliter pænitentia, quæ ordinabatur ad deletionem actualis.*

Aduerte tamen, Sacramentum ad delenda peccata actualia in lege naturæ inſtitutum,

non fuiſſe eiuſdem rationis ac illud quod in lege gratiæ à Chriſto inſtitutum eſt; non enim fiebat eodem modo, nimirum per vocalem peccatorum confeſſionem apud Sacerdotes, quia cæremoniæ in lege naturæ, & in lege Moſaica, in remiſſionem peccatorum actualium ordinatæ, erant diuerſæ rationis à noſtris.

Dico quartò, multa fuiſſe Sacramenta in lege Moſaica. Patet ex Florentino in decreto vnionis, & Tridentino ſeſſ. 7. can. 2. vbi de Sacramentis veteris legis tanquam de pluribus loquuntur, eaque in plurali *Sacramenta* appellant. Ea ad quatuor reducit S. Thomas 1. 2. qu. 102. art. 5. ad Circumciſionem, cui ſucceſſit Baptiſmus, Agnum Paſchalem, qui fuit figura Euchariſtiæ: Purificationes, quibus reſpondet pœnitentia; conſecrationem Pontificis & Sacerdotum, quibus reſpondet Ordo. Confirmationi autem & Extremæ-Vnctioni nullum reſpondit in veteri lege; eo quòd primum eſt Sacramentum plenitudinis gratiæ, quæ eſt propria legis Euangelicæ, ſecundum eſt immediata præparatio ad gloriam, cuius aditus in veteri lege erat clauſus. Matrimonium verò in lege veteri non fuit ſacramentum, quia nondum facta erat coniunctio humanitatis cum Verbo, cuius eſt ſymbolum, ſed fuit tantùm in officium naturæ: vnde tunc dabatur libellus repudij.

Dico vltimò, in noua lege ſeptem eſſe Sacramenta à Chriſto inſtituta. Definitur hæc veritas in Concilijs Florentino & Tridentino, & illuſtratur hoc diſcurſu D. Thomæ hic qu. 65. art. 1. Sacramenta ſunt ſigna quibus ſigni-

gnificatur perfectio vitæ ſpiritualis: Eſt autem conformitas quædam vitæ ſpiritualis cum corporali. Vnde ſicut homo perficitur corporaliter in ordine ad ſe, & in ordine ad communitatem; ita & in vita ſpirituali. Porro in ordine ad ſe perficitur quadrupliciter, primò per generationem, ſecundò per augmentationem, tertiò per nutritionem, quartò per remotionem impedimentorum vitæ, puta ægritudinis, vel languoris ex morbo relicti. In ordine autem ad communitatem perficitur dupliciter, primò accipiendo poteſtatem regendi multitudinem, & exercendi actus publicos ſecundò per propagationem. Similiter ergo in vita ſpirituali perficitur ſeptem Sacramentis: primò regeneratur per Baptiſmum, ſecundò roboratur per Confirmationem, tertiò nutritur per Euchariſtiam, quartò ſanatur à peccatis per Pœnitentiam, quintò liberatur à reliquijs peccatorum per Extremam Vnctionem, ſextò accipit poteſtatem exercendi actus publicos & hierarchicos per Ordinem, denique per matrimonium diſponitur ad propagationem, ſecundùm legem Dei & Chriſti.

CAPVT IV.

De gratia Sacramentali.

DVo ſunt effectus Sacramentorum, vnus primarius & principalis, quæ eſt gratia; alter ſecundarius & minùs principalis, nempe character, qui per Baptiſmum, Confirma-

tionem, & Ordinem producitur: de primo agemus in hoc capite, de altero in ſequenti.

§. I.

Duo præmittuntur quæ apud omnes Catholicos ſunt certa.

IN primis dogma fidei eſt, nouæ legis Sacramenta, nedum fidem qua gratia producatur excitare, ſed etiam illam cauſare. Definitur enim hæc veritas in Florentino in decreto vnionis, vbi dicitur, per hoc veteris legis Sacramenta à noſtris differre, quod *illa non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant; noſtra vero continent gratiam, & illam dignè ſuſcipientibus conferunt*. Idem tradit Tridentinum ſeſſ. 6. can. 6. & 8. Plura ſunt etiam Patrum teſtimonia in eiuſdem veritatis confirmationem, quæ infra cùm de modo quo Sacramenta nouæ legis cauſant gratiam, commodius expendentur. Fundamentum eſt diuina inſtitutio reuelatione manifeſtata. Congruentia eſt, vt certiùs, efficaciùs, & faciliùs adhiberetur ſaluti noſtræ remedium, ſoluto per paſſionem Chriſti redemptionis noſtræ prætio. Addo quod, ſi Sacramenta nouæ legis habent tantùm excitare fidem, non verò conferre gratiam qua iuſtificamur, fruſtra Baptiſma conferretur paruulis, qui actus fidei incapaces ſunt; ſed adſtantibus potiùs deberet conferi, quia iſti fidei excitatione fructum perciperent huius Sacramenti.

Eſt etiam de fide certum, Sacramenta no-

uæ legis eſſe cauſas gratiæ ex opere operato. Hoc enim definitur in Tridentino citato, his verbis: *ſi quis dixerit per ipſa noua legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, anathema ſit.* Ratio etiam ſuffragatur: Cauſare gratiam ex opere operato, eſt cauſare illam ex vi operis iam facti & peracti à Chriſto, non verò ex merito illa conficientis, vel dantis, vel recipientis: At Sacramenta nouæ legis cauſant gratiam non ex merito adminiſtrantis, vel ſuſcipientis, ſed ex merito paſſionis Chriſti iam peractæ, & ex virtute & efficacia à Chriſto ipſis communicata: Ergo illam cauſant ex opere operato. Addo quod, conferunt gratiam, vel nulla diſpoſitione requiſita in ſubiecto, vt in paruulis, vel ſi aliquam requirunt, vt in adultis, gratiam non conferunt iuxta proportionem diſpoſitionis, ſiue quia talis diſpoſitio ad gratiam non ſufficit, vt attritio ad gratiam culpæ remiſſiuam; ſiue quia non ſufficit ad tantam, quanta virtute Sacramenti confertur, plus enim gratiæ confertur iuſto attrito per Sacramentum pœnitentiæ, quam conferretur ſine illo. Nec eſt quod hæretici hunc modum loquendi quo vtuntur Scholaſtici ad explicandam Sacramentorum energiam, tanquam barbarum & inuſitatum irrideant ac ſigillent. Nam vt ait Auguſtinus in Pſal. 138. *Melius eſt vt nos reprehendant Grammatici, quam vt non intelligant popoli.* Præterquam quod Innocentius III. de ſacro altaris myſterio lib. 2. cap. 5. hunc loquendi modum vſurpauit: ante omnes Scholaſticos, ait enim: *Quamuis igitur opus operans aliquando ſit immundum, ſemper*

tamen opus operatum eſt mundum.

Hæc ſunt certa & indubitata apud omnes Catholicos, ſed eſt grauis difficultas, & celebris controuerſia, circa modum quo Sacramenta nouæ legis producunt gratiam, an inſtrumentaliter phyſicè, vel moraliter tantùm, quam §. ſequenti reſoluemus.

§. II.

Cauſalitas Phyſica Sacramentorum nouæ legis ſtatuitur.

ILla poteſt in primis oſtendi ex SS. Patribus, qui vt Sacramentorum nouæ legis efficientiam & cauſalitatem explicent, varijs vtuntur ſimilitudinibus, quæ cauſalitatem pluſquam moralem deſignant: nam S. Leo ait Baptiſma ſe habere ad inſtar vteri Virginalis ex quo natus eſt Chriſtus: Chryſoſtomus ad inſtar matricis ſeu vuluæ in qua homo concipitur: Gregorius Nyſſenus ad inſtar ſeminis ex quo generatur: Cyrillus Alexandrinus ad inſtar aquæ feruentis, quæ ab igne calefacta non minùs vrit quam ipſe ignis: Demum S. Thomas hic qu. 62. art. 1. docet quod ſicut ſecuris facit lectum, ita Sacramentum gratiam efficit: ſi autem SS. Patres non agnoſcerent in Sacramentis cauſalitatem phyſicam & realem, ſed duntaxat moralem & metaphoricam, tam magnificis exemplis vti non deberent, ſed alijs diuerſæ rationis, puta chirographi, ſigilli, & crumenæ pecunia plenæ, quibus vtuntur Aduerſarij. Verba SS. Patrum breuitatis cauſa hic non referimus, quia

videri potetunt in Clypeo noſtro, vbi illa fusè expendimus.

Confirmatur: SS. Patres docent Sacramenta operari per virtutem ſibi intrinſecam, à Spiritu Sancto deriuatam, quam S. Auguſtinus Serm. de Epiph. dicit eſſe ſubtiliorem rore, qui occultas vitæ cauſas pertranſit, & penetrat vniuerſa latibula conſcientiæ, & Tertullianus lib. de baptiſmo aſſerit eam in Sacramentis combibi: *ſuperuenit* (inquit) *ſpiritus de cælis, & aquis* (Baptiſmi) *ſuperest, ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificata vim ſanctificandi combibunt* D. Thomas hic art. 3. docet eam eſſe *fluentem & incompletam*: At hæc ſolùm de virtute phyſica verificari poſſunt, non verò de morali, cùm enim iſta ſit merum ens rationis, vel denominatio extrinſeca, quis dicat eam eſſe rore ſubtiliorem, in aqua baptiſmali combibi ſeù imbibi, habere eſſe fluens & incompletum? Ergo SS. Patres virtutem phyſicam gratiæ productiuam in Sacramentis nouæ legis agnoſcunt.

Confirmatur ampliùs ex Auguſtino tract. 80. in Ioannem, ſic exclamante *Quæ eſt tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* ſi autem Sacramenta nouæ legis moraliter tantùm concurrerent ad gratiæ productionem, & hominum ſanctificationem, eſſentque ſolùm veluti ſigna & chirographa Deum moraliter mouentia & excitantia ad gratiæ productionem, abſurda prorſus & inepta ac puerilis eſſet talis exclamatio & admiratio; hoc enim commune & vſitatum eſt apud homines, vt in virtute chirographi, vel ſigilli regij in

cera impreſſi, & aliorum ſignorum ſenſibilium, conferantur officia, dignitates, pecuniæ, & aliæ res magni momenti: Ergo iuxta mentem & doctrinam Auguſtini, Sacramenta nouæ legis inſtrumentaliter phyſicè concurrunt ad cauſandam gratiam. Vnde Catechiſmus Romanus, iuſſu Pij V. editus, parte 2. Symboli cap. 1. hanc magni Auguſtini admirationem ponderans, hæc ſcribit: *Quo pacto tanta res & tam admirabilis per Sacramentum efficiatur, vt quemadmodum S. Auguſtini ſententia celebrat in eſt, aqua corpus tangat & cor abluat, id quidem humana ratione & intelligentia comprehendi non poteſt, conſtitutum enim eſſe debet, nullam rem ſenſibilem ſuapte natura ea vi præditam eſſe, vt penetrare ad animam queat; at fidei lumine cognoſcimus, omnipotentis Dei virtutem Sacramenti ineſſe qua id efficiant quod ſua vi res ipſæ naturales præſtare non poſſunt.* Quibus verbis in primis clariſſimè exprimitur efficientia realis & phyſica Sacramentorum. Secundò declaratur, hanc ſententiam non eſſe reijciendam, ex eo quod non ita facilè percipitur, ſicut ea quæ cauſalitatem duntaxat moralem eis attribuit. Tertiò ad illam ſuadendam, locum Auguſtini iam laudatum adducit. Denique rationem reddens cur hæc efficientia Sacramentorum lumine naturali non ita facilè poſſit intelligi, dicit hoc ideo eſſe, quia nulla res ſenſibilis, ſua natura, ea vi prædita eſt, vt penetrare ad animam queat: quæ ratio, vt euidens eſt, solùm valet de inſtrumento phyſico, cùm inſtrumenta moralia nullo modo debeant contingere ſubiectum in quo effectus

cauſæ principalis producitur.

Poteſt inſuper eadem veritas multiplici ratione ſuaderi. Prima ſic poteſt proponi: Sacramenta nouæ legis verè & propriè efficiunt gratiam Sacramentalem, vt inſtrumenta diuinæ virtutis, eamque nobiliori & perfectiori modo cauſant, quam Sacramenta vetera: At neutrum erit verum, ſi eam cauſent tantùm moraliter: Ergo in Sacramentis nouæ legis phyſica cauſalitas admittenda eſt. Maior patet, minor quoad primam partem, ſic oſtenditur: cauſalitas moralis non eſt vera & propria efficientia, ſed impropria tantùm & metaphorica, magiſque pertinet ad genus cauſæ finalis, quam efficientis; fit enim per oſtenſionem bonitatis quæ conuenientia ſua alicuius voluntatem alliciat ad aliquid dandum, vel agendum, vt docent Philoſophi: Ergo ſi Sacramenta nouæ legis, non phyſicè, ſed duntaxat moraliter, cauſent gratiam ſacramentalem, non verè & propriè eam efficient ſed impropriè tantùm & metaphoricè, ſubindeque non erunt vera & propria inſtrumenta Dei vel Chriſti ad illam cauſandam, cùm inſtrumentum verum & proprium ad genus cauſæ efficientis pertineat.

Probatur etiam minor, quantùm ad ſecundam partem: Cauſalitas moralis non defuit Sacramentis veteris legis, cùm enim eſſent ſigna & figuræ paſſionis Chriſti futuræ, cuius intuitu Deus in antiqua lege conferebat gratiam, vim quandam moralem habebant mouendi & excitandi Deum ad conferendam gratiam antiquis Patribus, ob paſſionem & merita Chriſti futura: Ergo ſi Sacramentis

nouæ legis nulla alia virtus tribuatur, quam vis illa moralis, excitatiua manifeſtum eſt, ea non eleuari ſupra Sacramenta vetera, nec ab illis differre, quantùm ad modum cauſandi, ſed tantùm ex parte rei cauſatæ, maioris ſcilicet & abundantioris gratiæ, quam cauſant Sacramenta nouæ legis, quatenus ſignificant paſſionem Chriſti præteritam, quam Sacramẽta vetera repræſentabant ſolùm vt futurã.

Nec valet ſi dicas, Sacramenta antiqua non contuliſſe gratiam præſentem, vel ex opere operato, ſicut præſtant Sacramenta nouæ legis. Nam præterquam quod plures, id negant de circumciſione, hoc dato, non apparet differentia à Concilijs tradita ex parte cauſalitatis Sacramentorum, videlicet ex eo, quod antiqua ſimpliciter & abſolutè non cauſarent, noſtra verò ſimpliciter & abſolutè efficiunt gratiam; & vt arguit D. Th. q. 27. de verit. art 4. quod nunc gratia detur ex opere operato, hoc pertinet ad conditionem temporis, non ad Sacramentorum efficaciam præciſè: vnde ſi eadem quæ nunc olim fuiſſent Sacramenta, gratiam non contuliſſent ex opere operato, & è contra ſi nunc eſſent Sacramenta antiqua, conferrent gratiam ex opere operato: Ergo cum Concilia prærogatiuam Sacramentorum nouæ legis agnoſcant ex eorum cauſalitate; neceſſe eſt vt non ex gratia collata ex opere operato penſetur, ſed ex modo operandi realiter & phyſicè.

Secunda ratio inſinuatur, à D. Thoma quodl. 12. art. 15. his verbis *Sicut caro Chriſti habuit virtutem inſtrumentalem ad facienda miracula, propter coniunctionem ad Verbum,* *ita*

ita & Sacramenta per continuationem ad Chriſtum crucifixum & paſſum: Sed caro Chriſti ex coniunctione ad verbum, habuit virtutem inſtrumentalem phyſicam ad patranda miracula, vt in tractatu de Incarnatione oſtendimus: Ergo virtus inſtrumentalis phyſica gratiæ productiua, Sacramentis nouæ legis denegari non debet.

Tertia ratio ſumitur ex forma Sacramentorum, quæ propriè & rigorosè vera non erit, ſi ſola cauſalitas moralis in eis agnoſcatur, præcipuè forma Sacramenti pœnitentiæ, quæ eſt per modum ſententiæ iudicialis: Iudex enim per ſeipſum reum abſoluit, non alterum mouet & inducit ad abſoluendum: Cauſa autem moralis inſtrumentalis, aliud non habet quam mouere & inducere cauſam principalem ad operandum: Ergo vera propriè & rigorosè non erit forma pœnitentiæ, ex ſola cauſalitate morali.

Demum ſuaderi poteſt eadem veritas hoc diſcurſu: Cauſalitas phyſica Sacramentis nouæ legis denegari non debet, ſi ea poſſibilis ſit, nullamque contradictionem inuoluat: Sed illa eſt poſſibilis, & nullam implicat contradictionem: Ergo non debet negari Sacramentis nouæ legis. Maior patet, tum quia conferre phyſicè gratiam facit ad maiorem dignitatem Sacramentorum, & oſtenſionem omnipotentiæ Dei: Tum etiam, quia admiſſa huiuſmodi cauſalitate, cum omni proprietate explicantur Patrum & Conciliorum loca, & differentia Sacramentorum vtriuſque legis, & quomodo noua veteribus antecellunt. Saluatur etiam iuſta proportio & conformitas in

inſtrumentis noſtræ ſalutis, nempe in humanitate Chriſti & Sacramentis, quæ ſe habent ad modum inſtrumenti coniuncti & ſeparati, & ſicut manus & baculus. Minor verò, prætérquam quod ex ſolutione obiectionum patebit, poteſt hoc exemplo declarari. Ignis tartareus, quamuis corporeus ſit, eleuatur tamen ad producendum effectum ſpiritualem, ſcilicet verum dolorem, dæmonibus & animabus damnatis impreſſum, vt in tractatu de Angelis oſtenſum eſt, quidni ergo poterit Sacramentum corporeum, à Deo motum & eleuatum, gratiam ſanctificantem inſtrumentaliter phyſicè efficere, vt ſeruiat diuinæ bonitati, ſicut ignis ſeruit diuinæ iuſtitiæ. Sicut ergo Auguſt. ait lib. 21. de ciuit. cap. 10. ignem inferni torquere Dæmones, *miris ſed veris modis*: Ita ſimiliter dicere poſſumus, Sacramenta nouæ legis producere gratiam & ſanctificare animas, miro, ſed vero modo, nempe inſtrumentaliter phyſicè, vt ſupra ex Catechiſmo Romano declarauimus.

§. III.

Soluuntur obiectiones.

Obijcies primò: Cauſalitas phyſica eſt impoſſibilis in Sacramentis nouæ legis: Ergo non debet admitti. Conſequentia patet, Antecedens probatur primò: Res corporea nequit phyſicè producere rem ſpiritualem: Sed Sacramentum eſt corporeum, gratia ſpiritualis: Ergo repugnat Sacramentum phyſicè producere gratiam. Si dicas Sacra-

men-

mentum corporeum eleuari virtute diuina ad producendam gratiam: Contra eſt, vel enim hæc virtus eſt ſpiritualis, vel corporea? Si corporea, manet improportionata: Si ſpiritualis, non poteſt recipi in ſubiecto corporeo; nam ſicut accidens corporeum non recipitur in ſubſtantia ſpirituali, ita nec ſpirituale in ſubiecto corporeo. Secundò probatur Antecedens: Quod non eſt, non poteſt aliquid phyſicè producere: Sed quando Sacramenta gratiam operantur, nihil ſunt: Ergo eam phyſicè cauſare nequeunt. Maior patet, Minor probatur. Gratia non confertur niſi in inſtanti extrinſecè terminatiuo verborum, & actionis Sacramentalis, quia in illo præcisè habent completam ſignificationem, & conſequenter vltimam perfectionem in eſſe Sacramenti, ante quam non poſſunt cauſare: Sed in hoc inſtanti Sacramenta nihil ſunt, iam enim tranſijt actio Sacramentalis, & ſucceſſiua prolatio verborum: Ergo quando Sacramenta gratiam operantur, nihil ſunt.

Confirmatur: Sacramentum fictè ſuſceptum, cauſat gratiam, recedente fictione: Atqui iam diu deſijt, cùm recedit fictio: ergo & quando cauſat gratiam.

Reſpondeo negando Antecedens, & ad primam eius probationem dico cum S. Thoma hic q. 62. art. 4. ad 1. eſſe in Sacramento virtutem ſpiritualem, quæ cùm ſit qualitas incompleta & tranſiens, recipi poteſt in ſubiecto corporeo: Sic enim anima rationalis, quia eſt forma incompleta, recipitur in corpore. Diſparitas autem eſt inter accidens ſpirituale & corporeum, accidens enim cor-

poreum exigit ſubiectum extenſum, nec recipitur in ſubſtantia, niſi mediante quantitate, & idcirco in ſubiecto ſpirituali recipi nequit. Accidens autem ſpirituale incompletum & tranſiens, cùm magis fit propter terminum, quam propter ſubiectum, non debet ita ſubiecto proportionari, vnde poteſt ſupernaturaliter recipi in ſubiecto corporeo.

Inſtabis & dices: cùm omne accidens habeat exiſtentiam à ſubiecto in quo recipitur, ſi accidens ſpirituale recipiatur in ſubiecto corporeo, eius exiſtentia erit corporea: Sed hoc repugnat, cùm exiſtentia debeat eſſe proportionata ſubiecto quod actuat: ergo & illud.

Reſpondeo negando ſequelam Maioris: Licet enim accidens ſpirituale recipiatur in ſubiecto corporeo in eo tamen non recipitur, quatenus corporeum eſt formaliter, ſed quatenus eſt ens & ſubſtantia creata; quia non recipitur in eo, niſi ratione potentiæ obedientialis paſſiuæ, quæ competit rebus creatis ſub ratione generali entis & ſubſtantiæ creatæ, non verò præciſè ſub ratione corporis: Vnde licet ratione huius potentiæ accidens ſpirituale recipiatur in ſubiecto corporeo, non oportet tamen eius exiſtentiam eſſe corpoream.

Ad ſecundam probationem principalis Antecedentis, reſpondeo diſtinguendo Maiorem dupliciter: quod non eſt, nec immediatè antea fuit, non poteſt aliquid phyſicè producere, concedo Maiorem. Quod non eſt, ſed immediatè antea fuit, ſubdiſtinguo Maiorem, illamque concedo de his quæ agunt vt

quod,

quod, & ſunt entia permanentia; nego autem de entibus ſucceſſiuis, & quæ agunt tantùm vt quo: hæc enim eſt natura actionis ſucceſſiuæ; vt ſi per eam producatur terminus, ille non exiſtat donec ipſa actio ſucceſſiua deſierit; vt patet in communi doctrina Thomiſtarum de alteratione quæ immediatè diſponit materiam ad introductionem formæ ſubſtantialis; quandiu enim durat alteratio, non ponitur forma, ſed reſultat in vltimo inſtanti terminatiuo illius, in quo verum eſt dicere, nunc primò non eſt alteratio, & immediatè antea erat. Sic etiam vbi permanens non acquiritur per motum localem, quoaduſque motus ille ſit perfectus, ſcilicet in inſtanti extrinſecè terminatiuo illius, in quo eſt verum dicere, nunc non eſt motus localis, & immediatè antea erat. Cùm ergo actiones Sacramentales ſint ſucceſſiuæ, & aſſumantur tanquam cauſalitates miniſtrorum applicantium Sacramenta, non debet gratia Sacramentalis produci, quando illæ actiones ſunt, ſed quando verum eſt dicere quod immediatè antea erant.

Secundò aliter diſtinguo maiorem: Quod non eſt, nec in ſe, nec in ſua virtute non poteſt aliquid phyſicè producere, concedo Maiorem. Quod non eſt in ſe, eſt tamen in ſua virtute, nego maiorem. In illo autem inſtanti extrinſecè terminatiuo motus Sacramentalis, remanet virtus ipſius, quia remanet terminus per illam productus, in quo recipitur virtus productiua gratiæ: huiuſmodi verò terminus eſt vltimum mutatum eſſe, quod menſuratur illo inſtanti extrinſecè terminatiuo motus. Vnde,

Ad

Ad confirmationem dico, quod quando Sacramenta non imprimentia characterem fictè ſuſcepta, producunt gratiam, recedente poſt aliquod tempus fictione, in illo caſu extraordinario, per accidens illam phyſicè non cauſant, ſed tantùm moraliter; quia in tali caſu nec ſunt nec immediatè antea fuerunt; nec remanent in ſe, aut in ſua virtute. Dixi Sacramenta non imprimentia characterem quia ſi ſermo ſit de his quæ characterem imprimunt, probabiliter dici poteſt, ea recedente fictione, phyſicè gratiam producere; quia licet quando recedit fictio, non ſint in ſe formaliter, ſunt tamen in ſua virtute, nimirum charactere, qui tunc à Deo eleuatur ad cauſandam gratiam. Ita expreſsè docet S. Thomas in 4. diſt. 4. qu. 3. art. 2. quæſtiunc. 3. his verbis: *In Baptiſmo imprimitur character, qui eſt immediata cauſa diſponens ad gratiam, & ideò cùm fictio non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character qui eſt præſens in anima, incipit habere effectum ſuum, & ita Baptiſmus recedente fictione effectum ſuum conſequitur.*

Obijcies ſecundò: Paſſio Chriſti, cùm iam tranſierit, non cauſat phyſicè gratiam in hominibus qui iuſtificantur, ſed moraliter tantùm & meritoriè: Ergo & Sacramenta nouæ legis, quæ totam vim operandi & cauſandi ab illa habent.

Reſpondeo primò, negando Antecedens; nam dato quod paſſio Chriſti, vt erat in fieri, moraliter ſolùm & meritoriè in hominibus gratiam cauſauerit; negari tamen non poteſt, in via D. Thomæ, illam, vt eſt in facto eſſe,

id

id eſt humanitatem Chriſti, ex eo quod ſit paſſa in cruce, & vulneribus affecta, quorum cicatrices adhuc in ea remanent, phyſicè operari; eſt enim inſtrumentum coniunctum diuinitatis, quo Verbum Diuinum vtitur ad cauſandam phyſicè gratiam, Sacramentum autem eſt inſtrumentum ſeparatum: Sicut manus eſt inſtrumentum coniunctum hominis, baculus ſeparatum.

Reſpondeo ſecundò, dato Antecedenti, negando conſequentiam; nihil enim vetat quod cauſa moralis vtatur inſtrumento phyſico, vt mandans vel conſulens homicidium, vtitur miniſtro, qui realiter & phyſicè occidit hominem. Potuit ergo Chriſtus per ſuam paſſionem mereri virtutem diuinam gratiæ productiuam deriuari in Sacramenta nouæ legis, per quam phyſicè operentur.

Obijcies tertiò: Omne inſtrumentum phyſicum debet ex ſe habere actionem præuiam, per quam diſpoſitiuè operetur ad effectum principalis agentis, vt docent noſtri Thomiſtæ in Philoſophia: Atqui Sacramenta non habent hanc actionem præuiam, diſpoſitiuam; quia cùm ſint corporea, non poſſunt viribus proprijs ad effectum Dei, ſcilicet gratiam, diſpoſitiuè operari: Ergo non ſunt inſtrumenta phyſica.

Reſpondeo, omne inſtrumentum phyſicum debere quidem habere ex ſe actionem præuiam; in eo tamen differre inſtrumenta ſupernaturalia à naturalibus, quod iſta debent ſemper habere actionem præuiam per quam diſpoſitiuè operentur ad effectum principalis agentis; ad illa verò ſufficit actio præuia, per

quam

quam fiant eleuabilia, ſeu vltimò capacia & diſpoſita ad recipiendam Dei motionem, nec requiritur quod talis actio producat in ſubiecto aliquid diſponens ad gratiam, vel alium affectum ſupernaturalem: in hoc enim Deus differt ab agentibus naturalibus, quod iſta dum aſſumunt inſtrumenta, vtuntur tantùm ijs quæ habent actionem præuiam proportionatam effectui principalis agentis, ſeu producentem in ſubiecto aliquid diſponens ad huiuſmodi effectum, faber enim v. g. non vtitur penicillo ad faciendum ſcamnum, ſed ſerra vel ſecuri, quia iſta ex ſe habent vim ad faciendam ligni diuiſionem, quæ eſt diſpoſitio ad formam ſcamni: Deus verò, quia eſt agens infinitæ virtutis, non eligit ſemper talia inſtrumenta, ſed indifferenter vtitur qualibet creatura, quamuis actio eius præuia effectui producendo ſit improportionata. Nego igitur in Sacramentis nouæ legis non reperiri actionem præuiam modo explicato: aqua enim Baptiſmatis v. g. corpus abluit, vt cor mundet: Sacerdos verba profert, vt animum ſanet: Sacra-Vnctio corpus linit, vt animum roboret, & ſic de cæteris.

Obijcies vltimò: De ratione inſtrumenti phyſici eſt quod immediatè contingat ſubiectum in quo debet produci effectus cauſæ principalis: Sed Sacramenta non ſemper hoc habent, tum quia ſæpè localiter diſtant ab homine qui illa recipit: tum etiam, quia cùm ſint corporea, non poſſunt tangere immediatè animam rationalem, in qua producitur gratia: Ergò non ſunt inſtrumenta phyſica ad eius productionem.

Re-

Reſpondeo primò, dato quod inſtrumenta naturalia vel artificialia debeant immediatè contingere ſubiectum, quo effectus cauſæ principalis producitur, inſtrumenta tamen diuinæ virtutis, qualia ſunt Sacramenta, poſſunt agere in diſtans: quia Deus qui eſt cauſa principalis gratiæ & miraculorum, omnibus rebus intimè præſens eſt.

Reſpondeo ſecundò, diſtinguendo Maiorem: De ratione inſtrumenti phyſicè eſt quod immediatè contingat ſubiectum &c. contactu ſuppoſiti ſeu rei, nego Maiorem: contactu virtutis & cauſalitatis, concedo Maiorem: Sacramenta autem tangunt immediatè animam rationalem, contactu virtutis & cauſalitatis, quamuis non immediatione ſuppoſiti: Sicut D. Thomas ſupra qu. 48. art. 6. ad 2. docet de paſſione Chriſti, ait enim quod *paſſio Chriſti licet ſit corporalis, habet tamen ſpiritualem virtutem ex diuinitate vnita, & ideò per ſpiritualem contactum efficaciam ſortitur.*

§. IV.

Quam gratiam cauſent Sacramenta nouæ legis, An primam, vel ſecundam?

Duplicem diſtinguunt Theologi gratiam ſanctificantem, primam & ſecundam. Illa prima dicitur, quæ primùm infunditur ſubiecto, nondum habenti vllum gradum gratiæ ſanctificantis, atque adeò exiſtenti in peccato mortali. Ea verò appellatur ſecunda, quæ aduenit ſubiecto iam grato & ſan-

& ſanctificato, ſeu quæ priorem ſupponit & auget. Duo pariter ab illis diſtingui ſolent Sacramentorum genera: alia mortuorum, alia viuorum. Sacramenta mortuorum ea dicuntur quæ pro mortuis ſpiritualiter, morte ſcilicet peccati, inſtituta ſunt, Baptiſmus nimirum & Pœnitentia, quæ mortuos per peccatum originale vel actuale viuificant Sacramenta verò viuorum ea ſunt quæ vitam ſpiritualem ſupponunt in anima, & ad eam perficiendam ordinantur, & ſunt alia quinque. His præmiſſis.

Dico primò: Sacramenta mortuorum, per ſe primò cauſare primam gratiam, Sacramenta verò viuorum, per ſe primò cauſare ſecundam.

Probatur breuiter: Illud dicitur per ſe primò conuenire Sacramentis quod eis conuenit ex vi ſuæ inſtitutionis: Sed Sacramentis mortuorum, ex vi ſuæ inſtitutionis conuenit cauſare primam gratiam: Ergo per ſe primò eam cauſant. Maior patet, Minor probatur. Sacramenta mortuorum per ſe inſtituta ſunt ad delendum peccatum mortale, originale, vel actuale: At non delentur illa peccata per ſecundam gratiam, ſed per primam: Sicut enim ſecunda gratia neceſſariò præſupponit primam, quia nihil aliud eſt quam ipſius augmentum; ita præſupponit peccatum mortale deletum, vtpote incompoſſibile cum prima gratia: Ergo Sacramenta mortuorum ad cauſandam primam gratiam per ſe inſtituta ſunt. Ex quo probata manet ſecunda pars aſſertionis, Sacramenta enim viuorum inſtituta ſunt per ſe primò, non ad cauſandam primam vi-

tàm ſimpliciter, ſed ad eam perficiendam; ſicut in naturalibus præter generationem viuentium datur nutritio & augmentatio: Ergo Sacramenta viuorum per ſe primò non cauſant primam gratiam, ſed eius augmentum, quòd ſecunda gratia appellatur.

Dico ſecundò, Sacramenta mortuorum ſecundariò producunt ſecundam gratiam, & Sacramenta viuorum primam.

Prima pars patet in pœnitente qui accedit ad Sacramentum contritus, & virtute contritionis iuſtificatur; ille enim non recipit per Sacramentum primam gratiam, cùm eam aliunde, vi ſcilicet contritionis habuerit; nihilominus aliquam recipit, nam Sacramentum non eſt reſpectu eius otioſum, cùm Tridentinum definiat, Sacramenta cauſare gratiam non ponentibus obicem: Ergo recipit ſecundam gratiam, ſeu primæ gratiæ augmentum, ex opere operato, virtute Sacramenti pœnitentiæ. Idem cum proportione dicendum eſt de eo qui contritus accedit ad Sacramentum Baptiſmi.

Secunda verò pars, quam negant aliqui Recentiores, manifeſtè docetur à S. Thoma infra qu. 72. art. 7. ad 3. & qu. 79. art. 3. & in 4. diſt. 23. qu. 1. art. 2. in his enim locis, quæ in clypeo noſtro legi poſſunt, aſſerit Sacramenta Confirmationis, Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis, interdum conferre primam gratiam.

Ratio etiam id ſuadet: Sæpe enim accidit quod ægrotus morti proximus nequeat aliud Sacramentum ſuſcipere, quam Extremam Vnctionem, & in illis anguſtijs difficillimum ſit

eli-

elicere contritionem: Ergo credendum eſt, clementiam diuinam inſtituiſſe & ordinaſſe, vt hoc Sacramentum tunc illi ſubueniat, & per accidens primam gratiam conferat. Vnde dicitur Iacobi 5. *Si in peccatis eſt, remittentur ei*. Quæ conditionalis, *ſi in peccatis eſt*, non poteſt intelligi de reliquijs peccatorum, cùm illæ indubitanter reperiantur in infirmo; ſed ſolùm de peccatis actualibus, quæ per accidens ex vi Sacramenti Extremæ Vnctionis remittentur ei, ſi antea de illis attritionem habuerit. Idem dicendum de Euchariſtia, quæ Chriſtum continet omnis gratiæ fontem; nam ſi quis ad illam accedat exiſtimans bona fide ſe eſſe de peccatis contritum, vel ab illis abſolutum, cùm tamen de illis reuera ſolam attritionem habeat, vel ex malitia Sacerdotis, aut ex defectu iuriſdictionis in illo, ab illis abſolutus non fuerit, ex vi huius Sacramenti, recipit per accidens primam gratiam, per quam talia peccata delentur. Vnde Eccleſia in aliqua collecta petit quod illud fit *ablutio ſcelerum*, & D. Auguſtinus relatus in iure de conſecrat. diſt. 2. cap. *Inuitat*, ait quod *cùm manducatur Chriſtus, mortuos viuificat*, quia nimirum interdum per accidens confert primam gratiam, quæ eſt ſpiritualis vita animæ.

Dices: Cibus, quantumcumque applicetur mortuo, non poteſt ei vitam reſtituere: Ergo nec Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt per modum cibi ſpiritualis, applicatum animæ per peccatum mortuæ, poteſt illam viuificare, eique conferre primam gratiam, quæ eſt prima animæ vita.

Sed facilè reſpondetur, cibum quidem ma-

te-

terialem, qui conuertitur in ſubſtantiam aliti, eſſe incapacem vitam reſtituere; cibum tamen ſpiritualem Euchariſtiæ, qui eſt vita per eſſentiam, & qui alitum poteſt in ſe conuertere, poſſe etiam hominem mortuum morte peccati, ſed tamen de eo attritum, attritione quam bona fide credit eſſe contritionem, viuificare: Præſertim cùm homo ille non ſit ita mortuus, quin poſſit aliquem actum vitæ ſupernaturalis, licet imperfectum, exercere; manducando cibum illum cum fide & reuerentia.

Quæres, quid addat gratia Sacramentalis, ſupra gratiam habitualem?

Reſpondeo eam addere ius ad ſpecialia auxilia ad actiones Sacramentales exercendas neceſſaria, non verò ſolùm ipſa auxilia. Gratia enim Sacramentalis confertur in ſuſceptione Sacramenti: At in ſuſceptione Sacramenti non conferuntur ſemper talia auxilia, ſed ſolùm eo tempore quo illa neceſſaria ſunt ad actiones Sacramentales exercendas; ius verò morale ad illa habenda, quando erunt neceſſaria, actu confertur, cùm ſuſcipitur ſacramentum: Ergo in tali iure, non verò in ipſis auxilijs, gratia ſacramentalis conſiſtit. Ex quo intelliges, quod licet Deus nuſquam deſit auxilio, ſaltem ſufficienti, ad exercenda opera ad quæ tenemur, eò quòd nunquam impoſſibilia præcipiat; ſpeciali tamen titulo adeſt illis qui ſacramenta ſuſcipiunt, ratione ſcilicet iuris ſpecialis, quod ipſis gratia ſacramentalis tribuit ad auxilia, pro actibus ſpecialibus ſacramentorum neceſſaria.

Si autem quæras, ad quæ auxilia, gratia

cui-

cuilibet ſacramento propria tribuat ius? Reſpondeo gratiam ſacramentalem Baptiſmi dare ius ad auxilia quibus homo iuuetur ad rectè & religiosè ſuſcipienda alia ſacramenta, quod eſt proprius finis Baptiſmi. Gratia ſacramentalis confirmationis dat ius ad auxilia, quibus homo conſtanter fidem profiteatur, cùm ad profeſſionem fidei conſtanter exercendam, tanquam ad ſuum finem, confirmatio ordinetur. Gratia ſacramentalis Euchariſtiæ dat ius ad auxilia neceſſaria ad actus charitatis & deuotionis, quibus anima ſpiritualiter nutritur, quæ nutritio eſt ſpecialis finis Euchariſtiæ. Gratia ſacramentalis pœnitentiæ dat ius ád auxilia ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis præteritis, & ad euitanda futura. Gratia ſacramentalis Extremæ Vnctionis confert ius ad ſpecialia auxilia, ad mitigandum languorem ex morbo & afflictione corporis prouenientem & ad vincendas Dæmonum tentationes, quæ in articulo mortis grauiſſimæ ſunt. Gratia ſacramentalis Ordinis dat ius ad auxilia pro bono vſu officij ſuſcepti neceſſaria. Demum gratia ſacramentalis matrimonij dat ius ad auxilia ad frænandam carnis libidinem, fidelitatem coniugalem ſeruandam, curamque de prole habendam.

CAPVT V.

De charactere Sacramentali.

EXplicata gratia ſacramentali, quæ eſt primarius ſacramentorum effectus ſupereſt vt de ſecundo illorum effectu, nimirum charactere ſacramentali, breuiter hic differamus. Sed priuſquam de illo agamus, eiuſque quidditatem, & ſubiectum exponamus, vnum tamquam de fide certum, & ab omnibus Catholicis admiſſum, ſupponendum eſt, nimirum quædam ſacramenta nouæ legis, nempe Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, imprimere characterem, non verò alia. Nam prima pars huius ſuppoſitionis definitur in Concilio Florentino in decreto vnionis, & in Tridentino ſeſſ. 7. can. 9. vbi ſic dicitur: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, &c. anathema ſit.*

Ratio etiam id ſuadet: Character enim, vt infra dicemus, eſt quædam ſpiritualis poteſtas, qua homo deputatur ad agendum vel ad recipiendum ea quæ pertinent ad cultum Sacerdotij Chriſti: Sed per ſacramentum Confirmationis & Ordinis homo deputatur ad agendum aliquid pertinens ad Sacerdotium Chriſti, nimirum ad propugnandam eius fidem, vel ad ſacramenta alijs tradenda; per ſacramentum verò Baptiſmi, recipit poteſtatem recipiendi alia ſacramenta, quapropter Baptiſmus omnium ſacramentorum ianua di-

citur: Ergo per hæc tria ſacramenta character imprimitur.

Quod verò per alia quatuor nouæ legis ſacramenta non imprimatur, præterquam quod in prædicto Concilio hoc expreſsè dicitur, poteſt ex analogia rerum ſpiritualium cum naturalibus declarari: Sicut enim apud homines, illi ſolùm inſigniuntur charactere, qui coaptantur familiæ Principis, vel ad militiam deſtinantur, aut ad aliquod officium publicum: non verò omnes illi qui in menſa Regis comedunt, vel ipſi reconciliantur: ita quia baptiſmus eſt introitus in familiam Chriſti, Confirmatio coaptatio in malitiam eius; Ordo aſſumptio ad officium ſacrum, & Eccleſiæ miniſterium, idcirco in his tribus ſacramentis imprimitur character, non verò in alijs.

Hoc præmiſſo, grauis difficultas & celebris controuerſia eſt inter Theologos, quid ſit talis character, in tribus illis ſacramentis impreſſus, ſeu ad quam ſpeciem qualitatis reducatur, an ad habitum, vel ad potentiam. Suarez enim & plerique ex Recentioribus aſſerunt, illum eſſe habitum; è contra verò D. Thomas, & eius Diſcipuli illum ad ſecundam ſpeciem qualitatis, nimirum, potentiam, pertinere docent.

§. I.

Sententia D. Thomæ præfertur.

Dico igitur, characterem Sacramentalem non eſſe habitum, ſed reduci ad potentiã.

Pro-

Probatur concluſio triplici ratione: Primã eſt: Habitus intenduntur & remittuntur, ac contrarijs deſtruuntur: Sed character ſacramentalis nec intenditur, nec remittitur, nec vllo contrario deſtruitur, cùm indelebilis ſit, vt infra dicemus: Ergo non eſt habitus, ſed potentia.

Secunda, ſic poteſt proponi: Nullus eſt habitus indifferens ad benè vel malè operandum, ſed omnis determinatur ad benè vel malè: Atqui character eſt indifferens ad benè vel malè operandum, vt conſtat in Sacerdote, qui charactere Sacerdotali vtitur ad conſecrandum ex bono vel malo fine: Ergo character non eſt habitus, ſed potentia, quæ perficit ſubiectum in ordine ad operationem abſolutè & indifferenter, ſiue benè, ſiue malè, vt patet in voluntate quæ eſt principium volitionis nedum virtuoſæ, ſed etiam vitioſæ. Maior continet differentiam eſſentialem potentiæ ab habitu, quam tradit Philoſophus 2. Ethic. cap. 5. & 5. Metaph. text. 25. & patet inductiuè in omnibus: Virtus enim moralis definitur à S. Auguſtino & alijs, *Bona qualitas mentis qua nemo malè vtitur.* Id etiam apparet in virtute intellectuali, ſcientia, & arte, vel ſimilibus; nam qui ſcientia vtitur, benè ſemper diſcurrit: E contra verò habitus vitioſi nunquam benè operantur, nec concurrunt ad actum bonum. Huius ratio eſt, quia habitus datur vt determinet potentiam ad modum operandi benè vel malè potentiæ autem deſtinantur ad ſimpliciter & abſolutè agendum. Hanc rationem inſinuat S. Thomas hic art. 2. in argumento *ſed contra*, vbi

ſic diſcurrit: *Nullus habitus eſt qui ſe poſſit ad benè vel malè habere: character autem ad vtrumque ſe habet, vtuntur enim eo quidam benè, alij verò malè, quod in habitibus non contingit, nam habitu virtutis nullus vtitur malè & habitu malitiæ nullus benè.*

Dices characterem eſſe determinatum ad bonum, ſcilicet cultum diuinum. Sed contra: Quamuis character bonum obiectum habeat, ſcilicet cultum diuinum, ſubiectum tamen indeterminatum relinquit ad hoc vt illo benè vel malè vti poſſit: ergo non eſt habitus, ſed potentia. Conſequentia patet, diſcrimen enim inter habitum & potentiam non ſumitur ex eo quod habitus inclinet ad bonum obiectum, potentia verò reſpiciat obiectum quod indifferenter ſe habet ad bonitatem & malitiam; omnis enim potentia bonum obiectum habet, vt patet in intellectu, voluntate, viſu &c. ſed ex eo quod habitus reſpicit bonum aut malum determinatè ex parte ſubiecti; nam bonum vel malum facit habentem, & importat rationem conuenientis vel diſconuenientis ad ipſum ſubiectum: Potentia verò dicit indifferentiam ex parte ſubiecti, quia illud non determinat ſecundùm rationem boni vel mali, conuenientis vel diſconuenientis.

Tertia ratio quam habet S. Doctor in corpore eiuſdem articuli, poteſt ſic breuiter proponi. Qualitas qua ſubiectum fit realiter & phyſicè potens ad aliquid recipiendum vel operandum, reducitur ad potentiam receptiuam, vel operatiuam: Sed per characterem ſacramentalem, homo fit realiter & phyſicè po-

potens ad aliquid recipiendum vel operandum: Ergo reducitur ad potentiam. Maior conſtat, minor probatur ex Catechiſmo Romano de ſacramentis in genere §. penultimo, vbi ſic dicitur: *Character hoc præſtat vt apti ad aliquid recipiendum vel peragendum efficiamur.*

Ratio quoque ſuffragatur: Character enim non eſt merum ſignum, ſicut eſt inſigne magiſtratus, nec eſt ſola poteſtas moralis, vt poteſtas Iudicis, vel Prætoris, ſed eſt qualitas realis & phyſica, per quam eleuatur homo ad ea quæ ſunt diuini cultus exercenda; nam ſine charactere baptiſmali, non poſſunt validè recipi alia Sacramenta, hoc eſt alij characteres, vel gratia ſacramentalis, non recipiuntur connaturaliter niſi hoc præſuppoſito charactere ſubiectum diſponente realiter & phyſicè, quapropter baptiſmus omnium ſacramentorum ianüa appellatur. Character verò Sacerdotalis eſt poteſtas realis & phyſica conficiendi Euchariſtiæ Sacramentum, hoc eſt inſtrumentaliter producendi corpus Chriſti, gratiam, & characteres aliorum Ordinum. Character quoque aliorum Ordinum inferiorum, dat poteſtatem exercendi munia hierarchica. Tandem Character Confirmationis eſt poteſtas profitendi fidem Chriſti firmiter & conſtanter, producendo aliquem vigorem in actibus voluntatis, vel alijs; aut ſaltem dirigendo & mouendo alias potentias ad hanc fidei proteſtationem.

§. II.

Soluuntur Obiectiones.

OBijcies primò: Si quæ potentiæ ratio conueniret characteri Baptiſmi, maximè ratio potentiæ paſſiuæ ſeu receptiuæ aliorum ſacramentorum, vel characteris ab alijs ſacramentis producti: Sed character Baptiſmi non eſt potentia paſſiua ſeu receptiua aliorum ſacramentorum, neque characteris ab alijs ſacramentis producti. Ergo ratio potentiæ paſſiuæ ſeu receptiuæ illi non conuenit. Maior patet ex dictis in tertia probatione, minor verò ſic oſtenditur. In primis enim quod character Baptiſmi non ſit potentia ad alia ſacramenta recipienda, videtur manifeſtum, nam illa, cùm ſint quid ſenſibile, & ſenſibili actione perficiantur, recipiuntur in corpore; character verò Baptiſmi, cùm ſit quid ſpirituale, non recipitur in corpore, ſed in anima, vel in aliqua ex eius potentijs, nimirum in intellectu practico vt infra dicemus. Quod verò non ſit potentia ad recipiendos characteres, ab alijs ſacramentis, Confirmatione ſcilicet, & Ordine productos, non minus certum videtur, quia characteres Confirmationis & Ordinis, non in charactere Baptiſmi, ſed in ipſa anima immediatè recipiuntur; ſi enim character ipſe Baptiſmi, abſque præcedentis characteris apparatu recipitur, quidni etiam alij characteres, in potentia animæ obedientiali recipi poterunt, abſque præuia baptiſmalis characteris diſpoſitione?

Re-

Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, quoad vtramque partem; character enim Baptiſmi eſt potentia aliorum ſacramentorum receptiua, cùm nullum, niſi eo præhabito, validè ſuſcipi queat. Ad probationem in contrarium, dicendum, quod licèt ſacramenta recipiantur in corpore, quaſi naturaliter, ſeu vt entitates corporeæ, medio tamen charactere Baptiſmi, in illo recipiuntur ſacramentententaliter, ſeu vt actiones ſacramentales ſunt: nam ſicut ad efficienda ſacramenta, non ſolùm inquantum actiones naturales, v. g. ablutionem aut vnctionem, ſed etiam inquantum ſacramentales, & productiuas gratiæ, indiget homo potentia quadam actiua ſupernaturali; ita vt recipiat in ſe ſacramenta ſacramentaliter, ſeu vt validæ actiones ſacramentales ſunt, requiritur character Baptiſmi; conſtat enim quod ſi detur Confirmatio, vel Ordo homini non baptizato, non ſit ſacramentum, nec ſacramentaliter in eo recipiuntur actiones quibus tale ſacramentum confertur.

Ad probationem verò ſecundæ partis minoris, dico, ad rationem potentiæ paſſiuæ non eſſe neceſſarium quod in ſe recipiat formam vel actum ad quem ordinatur, ſed ſufficere quod reddat ſubiectum capax illius, & diſponat ipſum ad eius receptionem: grauitas enim in terra eſt potentia paſſiua ad motum deorſum, vt docet D. Thomas 5. Metaphyſ. lect. 14. & tamen non recipit motum illum in ſeipſa, ſed ſolùm terram capacem reddit ad illum recipiendum. Item mollities, licet ſigilli figuram non recipiat, quia tamen ce-

ram reddit ad recipiendum ſigillum idoneam, ab Ariſtotele cap. de qualitate, ſub ſpecie potentiæ paſſiuæ collocatur. Quidni ergo pariter character baptiſmalis, licet in ſe aliorum ſacramentorum characteres propriè non recipiat, cùm tamen hominem diſponat ad eorum receptionem, non habebit rationem potentiæ paſſiuæ reſpectu illorum? Neque obſtat quod additur, nempe Baptiſmi characterem immediatè in anima recipi, abſque præuij characteris diſpoſitione: Hinc enim non rectè infertur, idem eſſe de aliorum ſacramentorum characteribus; ad recipiendam enim primam diſpoſitionem, non requiritur alia diſpoſitio, alioquin daretur proceſſus in infinitum; lapiſque fundamentalis alijs ſubſternitur, ſed nulli innititur, & ſimiliter Baptiſmus, quia eſt nouæ creaturæ natiuitas, nihil aliud in ordine ſupernaturali ſupponit, tametſi ipſe cæteris præſupponatur.

Obijcies ſecundò: Si character Confirmationis eſſet potentia actiua, hoc illi conueniret per ordinem ad aliquem actum, qui non poteſt eſſe alius, quã propugnatio fidei ex officio: Sed per ordinem ad hunc actum non poteſt habere rationem potentiæ: Ergo potentia actiua non eſt. Maior conſtat, minor probatur. Character Confirmationis, non eſt ſimpliciter neceſſarius vt quis poſſit profiteri & propugnare fidem ex officio, ad hoc enim ſufficit extrinſeca deputatio, adiunctis virtutibus fidei, religionis, & fortitudinis, quæ eliciunt actus ad propugnandam fidem neceſſarios: Ergo character Confirmationis non poteſt eſſe potentia ad propugnandam fidem ex officio.

Re-

Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem, & ad eius probationem, nego Antecedens; vt enim homo poſſit profiteri & propugnare fidem ex officio, & tanquam miles Chriſti, non ſufficit extrinſeca deputatio, vt in humanis, ſed requiritur inſuper alicuius characteris & poteſtatis ſupernaturalis impreſſio: hoc enim inter Deum & homines diſcrimen reperitur, quod homines deputando aliquem ad aliquod officium, non ipſum intrinſecè mutant, nec dant ipſi qualitatem aliquam, per quam reddatur idoneus ad illud exercendum, ſed illam præſupponunt: Deus verò non ſupponit in ſuis miniſtris talem idoneitatem, ſed illam facit, eoſque eligendo ad miniſteria ſui cultus, ſimul dat potentiam ad illa exercenda, per impreſſionem alicuius qualitatis ſupernaturalis, quam characterem appellamus. Sicut licet amicitia inter homines non ponat aliquid intrinſecum in perſonis quæ amantur, amor tamen diuinus, formam aliquam & qualitatem ſupernaturalem, nimirum gratiam ſanctificantem, in animã producit, nec ſupponit, ſed ponit bonitatem in rebus.

Ad illud quod additur de virtutibus infuſis fidei, religionis, & fortitudinis, dicendum, virtutes illas reſpicere actus ad propugnandam fidem neceſſarios, vt habent bonitatem moralem intra proprium obiectum, atque adeò determinatè ſub ratione boni, ſubindeque præter illas requiri characterem Confirmationis ad propugnandam fidem ſub ratione indifferentis, & abſtrahendo à benè vel malè moraliter.

Obijcies tertiò: Character Ordinis in ſimplici Sacerdote non poteſt validè conferre Confirmationem, nec minores Ordines, & tamen, adiuncta diſpenſatione Pontificis, id poteſt: Ergo non eſt potentia phyſica ad efficiendos actus ſacramentales, diſpenſatio enim Pontificis non poteſt conferre potentiam phyſicam, ſed duntaxat moralem.

Reſpondeo, conceſſo Antecedenti, negando conſequentiam. Non enim repugnat potentiam phyſicam ſacramentalem & ſupernaturalem pendere quoad validitatem actus à conditione morali, puta commiſſione, ſiue collatione iuriſdictionis; vt conſtat in Sacerdote qui licet per characterem Sacerdotalem habeat potentiam phyſicam inſtrumentalem ad abſoluendum à peccatis, & producendam gratiam in anima pœnitentis; illa tamen pendet in ſui exercitio à conditione quadam morali, nimirum à iuriſdictione, & approbatione, ſine quibus non poteſt validè abſoluere. Aliæ obiectiones in Clypeo Theologiæ Thomiſticæ videri poſſunt.

§. III.

Quodnam ſit ſubiectum proximum immediatum characteris ſacramentalis?

DVrandus ponit illum in potentia executiua Miniſtri, qua applicat materiam & formam ſacramentorum, vt in manu applicante materiam, & in lingua proferente verba. Suarez exiſtimat illum recipi immediatè in ſubſtantia animæ; Scotus in voluntate, D. Tho-

Thomas & eius Diſcipuli in intellectu, non ſpeculatiuo, ſed practico. Vnde.

Dico primò, potentia executiua non eſt proximum & immediatum ſubiectum characteris ſacramentalis; ille enim eſt ſignum ſpirituale, ac indelebile, vt infra dicemus: Non igitur eſſe poteſt in potentia organica, quæ corporea eſt, & corruptibilis. Nec valet ſi dicas, characterem ordinari ad perficiendam potentiam executiuam, ad rectam Sacramenti adminiſtrationem, ſubindeque in ea reſidere. Ars enim ordinatur ad perficiendas potentias executrices, & nihilominus eſt in anima, vel in intellectu practico.

Dico ſecundò, characterem non eſſe immediatè in eſſentia animæ, ſed in aliqua ex eius potentijs. Cùm enim character ſit potentia actiua, vt §. 1. declarauimus, ſubiectum immediatum ipſius, debet eſſe immediatè operatiuum: Atqui ſubſtantia animæ non eſt immediatè operatiua, ſed mediantibus potentijs: Ergo character non eſt immediatè in eſſentia animæ, ſed in aliqua ex eius potentijs.

Dices, potentiæ naturales immediatè in anima recipiuntur: Ergo & ſupernaturales, quibus character annumeratur. Sed nego conſequentiam & paritatem: Tum quia potentiæ naturales, non præſupponunt aliam potentiam, ſed dimanant ab ipſa anima, tanquam propriæ ipſius virtutes. Tum etiam, quia potentiæ naturales non eleuant ſuum ſubiectum ad operandum, ſubindeque non debent præſupponere ipſum eſſe proximè actiuum; cuius oppoſitum competit potentiæ ſupernaturali.

Dico tertiò, ſubiectum proximum & immediatum characteris, non eſt voluntas, ſed intellectus, non ſpeculatiuus, ſed practicus.

Probatur: Cùm character per ſe primò ordinetur ad actus diuini cultus, quibus fit proteſtatio fidei, debet habere pro ſubiecto immediato illam potentiam in qua immediatè ſubiectatur habitus fidei: Sed habitus fidei immediatè ſubiectatur in intellectu: Ergo & character. Addo quod S. Dionyſius de Eccleſ. hierarchia cap. 2. docet characterem eſſe quoddam lumen quo illuminamur & configuramur Chriſto: Lumen autem non pertinet ad voluntatem, quæ eſt potentia cæca, ſed ad intellectum, qui eſt potentia cognoſcitiua.

Dixi verò characterem ſacramentalem reſidere in intellectu practico, non ſpeculatiuo: Tùm quia actus characteris tendit extra intellectum, non enim datur ad ſimplicem cognitionem veritatis, ſed cultum Dei exteriorem efficit. Tum etiam, quia illa potentia in homine debet eſſe ſubiectum immediatum characteris ſacramentalis, quæ ſuo actu, vt eleuato per characterem, alias potentias mouet & dirigit ad actiones ad cultum Dei pertinentes: Sed intellectus practicus eſt talis potentia, vtpote quæ per actum imperij ſibi proprium, cæteras potentias & facultates dirigit, mouet, & applicat ad operandum, vt in tractatu de actibus humanis oſtendimus: Ergo character ſacramentalis immediatè reſidet in intellectu practico.

Quæres, an character ſacramentalis in Chriſto fuerit? Ratio dubitandi eſt, quia

Chri-

Chriſto data fuit omnis poteſtas in cœlo & in terra, vt dicitur Matth. vltimo cùm character ſit aliqua poteſtas ſpiritualis, videtur quod in Chriſto fuerit; Nihilominus communiter docent Theologi in Chriſto non fuiſſe characterem ſacramentalem, quia licet ſit quædam poteſtas ſpiritualis eſt tamen diminuta, & ab alio participata: in Chriſto autem eſt tota poteſtatis plenitudo, & Sacerdotium ſupremum ac ſempiternum. Addo quod, notari charactere eſt proprium ouium, ſeruorum, militum, ac membrorum: Sed Chriſtus, etiam vt homo, eſt paſtor, Dominus, dux, & caput: Ergo charactere inſigniri non debuit, ſed Chriſtiani, vtpote eius oues, ſerui, milites, ac membra, per characterem ipſi configurari debent. Vnde Baſilius orat. 13. Catechumenos vt Baptiſmum ſine mora reciperent, his verbis hortabatur: *Quarum noſtrarum, an aduerſarij partium ſis, nemo te nouerit, niſi ſignatum ſit ſuper te lumen vultus diuini. Niſi characterem in te agnoſcat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo, inquam, dices: Dei ſum, ſigna non oſtendens? An ignoras, quemadmodum ſignatas domos in Ægypto exterminator præterijt, in non ſignatis vero primogenita peremit? Theſaurus non obſignatus, furibus facilè patebit: ouis item abſque nota, inſidijs proximus eſt obnoxia.*

§. IV.

An Character ſit indelebilis & incorruptibilis ex natura ſua?

Reſpondeo affirmatiuè, quod vtramque partem. In primis enim quod ſit indelebilis, ſaltem pro præſenti ſtatu & vita, de fide certum eſt, cùm hoc à Concilijs Florentino & Tridentino definitum fuerit; & colligitùr à poſteriori ex eo quod tria ſacramenta quæ characterem imprimunt, iterari non poſſunt; non alia ratione, quam quia characterem imprimunt indelebilem; ſi enim deleri poſſet, iterum imprimendus eſſet, iterando Sacramentum.

Secundam partem, nempe, quod character ex natura ſit incorruptibilis, docet D. Thomas hic art. 5. & probatur ex eo quod character nullum ex natùra ſua habet contrarium per quod corrùmpatur; non enim habet contrarium phyſicum, cùm non ſit habitus, ſed potentia; neque morale, nempe peccatum, cùm imprimatur homini in peccato mortali exiſtenti (vt patet in eo qui fictè ad Sacramentum Baptiſmi accedit) & in hæreticis ac ſceleratis remaneat: Ergo ab intrinſeco & ex natura ſua incorruptibilis eſt. Conſequentia patet, anima enim rationalis, & Angeli, ex natura ſua dicuntur immortales & incorruptibiles, quia non componuntur ex partibus ſibi inuicem pugnantibus, nec vllum habent contrarium à quo deſtruantur. Quod enim annihilari poſſint à Deo, per ſuſpenſionem

nem concurſus conſeruatiui, nihil refert, eſt enim hoc miraculoſum, præternaturale, & extrinſecum, quia potiùs connaturaliter exigunt conſeruari, vt in Tractatu de Angelis declarauimus. Idem cum proportione de charactere dicendum eſt.

Dices: Gratia eſt perfectior charactere, & tamen poteſt in hac vita amitti & corrumpi: Ergo & character. Sed nego conſequentiam & paritatem, ob duplicem rationem diſcriminis. Prima eſt, quia gratia habet contrarium, ſcilicet peccatum, non verò character. Secunda, quia gratia, cùm ſit habitus & qualitas completa, recipitur in anima, iuxta modum conuenientem & connaturalem illius, ſubindeque dependenter ab actibus liberis voluntatis, tanquam diſpoſitionibus, à quibus dependet in fieri & conſeruari; character verò eſt virtus inſtrumentaria, deriuata à Deo ſolo vt cauſa principali, à quo proinde ſolo dependet in fieri & conſeruari.

Ex his colligitur, characterem indelebiliter ineſſe animæ in vita etiam futura, cùm neque in futura vita habeat contrarium à quo deleri poſſit, & alioquin Deus rem ſemel conditam nunquam corrumpat, niſi exigentibus cauſis ſecundis. Vnde ſi baptizatus aut ordinatus vita functus reuiuiſceret, non poſſet rebaptizari, nec reordinari, & conſecrando Sacramenta conficeret, vt docet S. Thomas ad Roman. 7. lect. 1. & ad Hebræos 11. lect. 7.

Dices, ceſſante fine ceſſare debent ea quæ ſunt ad finem: Sed finis characteris, ſcilicet adminiſtratio, vel receptio Sacramentorum,

cul-

cultuſque exterior, ceſſabit poſt hanc vitam: Ergo & character.

Reſpondeo, præter hunc finem characteris, eſſe alium, nempe diſtinctionem fidelium ab infidelibus, quæ diſtinctio debet manere in alia vita; in bonis ad gloriam, & in malis ad ignominiam, *Sicut militaris character remanet in militibus poſt adeptam victoriam, & in his qui vicerunt ad gloriam; in his verò qui victi ſunt, ad pœnam*, vt ait S. Doctor hic art. 5. ad 3.

CAPVT VI.

De inſtitutore Sacramentorum.

DVo ex Sacramentis nouæ legis, nempe Confirmationem & Extremam Vnctionem fuiſſe ab Apoſtolis inſtituta, cenſuere plures ex antiquis Theologis; ſed modò communis ac certa eſt Scholaſticorum ſententia, Chriſtum omnia nouæ legis inſtituiſſe Sacramenta, ſic enim definitur in Tridentino ſeſſ. 7. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, omnia Sacramenta nouæ legis non fuiſſe à Chriſto Ieſu Domino noſtro inſtituta, anathema ſit*. Neque poteſt explicari Concilium de mediata inſtitutione, quatenus inſtituendorum Sacramentorum Eccleſiæ vel Apoſtolis contulit poteſtatem. Tum quia Sacra Synodus ſeſſ. 14. cap. 1. docet Extremam Vnctionem à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutam, & à D. Iacobo duntaxat promulgatam. Tum etiam, quia idem ſimili-

militer aſſerere potuiſſet de cæremonijs & Sacramentalibus ab Eccleſia, poteſtate ſibi à Chriſto data, inſtitutis, cuius oppoſitum tradit ſeſſ. 21. cap. 1.

Fauent etiam SS. Patres, præſertim Ambroſius lib. 4. de ſacram. cap. 4. vbi ſic ait: *Author Sacramentorum quis eſt niſi Dominus Ieſus?* Nec deſunt plures congruentiæ ex D. Thoma deſumptæ hic art. 4. in ſolutione argumentorum. Prima eſt, ne fideles ſpem ponerent in homine, ſi per eum gratiam ſanctificantem obtinerent. Vnde Auguſtinus tract. 8. in Ioan. *Potuit Chriſtus Ieſus, ſi voluiſſet, tradere poteſtatem alicui ſeruo, vt daret Baptiſmum tanquam vice ſua, & transferret à ſe baptizandi poteſtatem. Hoc noluit, ideò vt in illo ſpes eſſet baptizatorum, à quo ſe baptizatos agnoſcerent.* Secunda, ne inter fideles diuiſio oriretur, ſicut olim inter eos qui dicebant, *Ego ſum Pauli, ego verò Appollo, ego verò Cephæ* 1. ad Corint. 1. Tertia eſt, cùm Sacramenta ſint prima Eccleſiæ fundamenta, ab illo debuerunt omnia inſtitui, qui fundauit immediatè Eccleſiam: At ſolus Chriſtus eſt caput & fundator Eccleſiæ: Ergo ille ſolus omnia nouæ legis Sacramenta immediatè inſtituit. Hac de cauſa Paulus 1. Corint. 4. ſe, alioſque Coapoſtolos, *miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, appellat.

Dices, in lege naturæ, homines inſtituebant Sacramenta ex commiſſione diuina: Ergo à fortiori id in lege noua debuit committi Apoſtolis, vel Eccleſiæ vniuerſali Antecedens probatur: Aliud non eſt inſtituere Sacramentum, quam rem ſenſibilem eligere & de-

determinare ad ſignificandam gratiam: Sed id præſtitere homines in lege naturæ, vt conſtat ex dictis ſupra cap. 2. Ergo in lege naturæ inſtituerunt Sacramenta ex commiſſione Dei.

Reſpondeo primò, negando Antecedens; & ad eius probationem dico, aliud eſſe inſtituere Sacramentum, & determinare materiam Sacramenti. Ad primum enim requiritur vt inſtitutor det rebus ſenſibilibus virtutem ſignificandi practicè gratiam; ad ſecundum ſufficit quod ex pluribus vnum eligatur cui Deus det vim & efficaciam ſignificandi practicè gratiam; vnde quia iſtud ſolùm præſtitere homines in lege naturæ, non inſtituerunt ſacramenta ex commiſſione Dei.

Reſpondeo ſecundò, dato Antecedenti, negando conſequentiam & paritatem, ob maiorem præſtantiam & efficaciam Sacramentorum nouæ legis, ſupra Sacramenta legis naturæ & Moſaicæ.

Quærunt hic Theologi, an poteſtas miniſterialis inſtituendi Sacramenta, & poteſtas excellentiæ quæ fuit in Chriſto, homini puro communicari potuerit; Reſpondeo affirmatiuè, quoad vtramque partem. In primis enim quoad poteſtatem miniſterialem, videtur manifeſtum, tum ob authoritatem Auguſtini ſuprà adductam; qua aſſerit, potuiſſe Chriſtum Ieſum, ſi voluiſſet, tradere poteſtatem alicui ſeruo, vt daret Baptiſmum tanquam vice ſua. Tum etiam, quia potuit Deus committere puro homini, non modò vt certa ſigna ſtatueret, ſed etiam illis, non quidem primaria poteſtate, ſed delegata, efficaciam da-

daret ſignificandi practicè gratiam: quo caſu licet primus author Sacramenti eſſet Deus, ſecundarius tamen & delegatus, eſſet homo ille, cuius ſigno Deus tantam efficaciam daret.

Quod verò Deus potuerit, etiam poteſtatem excellentiæ, quæ fuit in Chriſto Sacramenta inſtituendi, homini puro communicare, ſic oſtenditur. Poteſtas excellentiæ conuenit Chriſto; inquantum capiti totius Eccleſiæ: Sed Deus, de potentia abſoluta, purum hominem conſtituere potuit caput totius Eccleſiæ, eiuſque gratiam & opera, ad iuſtificationem aliorum hominum ordinare; ſicut de facto Adamus fuit conſtitutus caput, non ſolùm naturale, ſed etiam morale, totius humani generis, quantùm ad tranſmiſſionem iuſtitiæ originalis vel priuationis illius in poſteros, vt in tractatu de peccatis oſtenſum eſt: Ergo potuit Deus poteſtatem excellentiæ, quæ fuit in Chriſto, ad inſtituenda Sacramenta, puro homini communicare: non tamen cum ea eminentia & perfectione, qua fuit in Chriſto; nam Chriſtus, vt homo, eſt inſtrumentum coniunctum diuinitatis, alij verò miniſtri, quibus Deus poteſtatem excellentiæ communicaret eſſent illius inſtrumenta ſeparata. Ideo poteſtas excellentiæ in Chriſto, infinitam dignitatem ſuæ perſonæ connotabat, ratione cuius erat principium meriti & ſatisfactionis infiniti valoris; quod puro homini competere nequit, vt in Tractatu de Incarnatione declarauimus.

CA-

CAPVT VII.

De Miniſtro Sacramentorum.

CErtum eſt, ſolos homines viatores eſſe ordinarios nouæ legis Sacramentorum miniſtros, quod colligit D. Thomas hic art. 7. ex his verbis Apoſtoli ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum.* Expreſsè verò S. Chryſoſtomus id docet lib. 3. de Sacerdotio dicens: *His qui terram incolunt atque in ea verſantur, commiſſum eſt, vt ea quæ in cælis ſunt diſpenſent: ijs datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus optimus, neque Angelis, neque Archangelis, datam eſſe voluit.* Ratio etiam ſuffragatur, cùm enim Sacramenta rebus & verbis ſenſibilibus conſtent, illos duntaxat congruit eſſe Sacramentorum miniſtros, qui ſenſibiliter & vitaliter loqui poſſunt. Rurſum cùm ſolis viatoribus Sacramenta recipere conceſſum ſit, illa etiam miniſtrare, ſolis eſt viatoribus peculiare, de lege Dei ordinaria.

Nihilominus de potentia & lege extraordinaria, Angeli poſſunt Sacramenta conficere & adminiſtrare, cùm virtus diuina, nulli ſigno, nullique miniſtro alligata ſit, vnde eos ex ſpeciali Dei diſpenſatione, Epiſcopos ordinaſſe, Eucharistiam diſtribuiſſe, & templa conſecraſſe, varijs hyſtoriæ Eccleſiaſticæ monimentis proditum eſt, vt in Clypeo Theologiæ Thomiſticæ videre eſt. Idem à fortiori de hominibus comprehenſoribus, & ſanctis in coe-

cœlo exiſtentibus dici debet, propter Characterem quem indelebiliter in cœlis retinent. Quin imò poſt reſurrectionem, reaſſumpto corpore, nihil vetat, quin poſſint fieri ordinarij Sacramentorum miniſtri; nihil enim deſiderabitur eorum quæ Sacramentum requirit ex ſua inſtitutione; ſi quidem erunt homines conſtantes corpore & anima, cum charactere indelebili. Nullum tamen poſt reſſurrectionem erit Sacramentum, quia immutabilis erit ſtatus hominum, & gratiæ, ita vt nec acquiri poſſit deperdita, nec acquiſita augeri.

Hæc ferè apud omnes ſunt certa, ſed dubitari poteſt, qualis intentio ad validitatem Sacramenti in miniſtro requiriatur? Multiplex enim diſtinguitur intentio: alia eſt interpretatiua & in cauſa: alia formalis & in effectu: alia abſoluta, alia conditionata; alia actualis, alia virtualis, alia habitualis.

Primò certum eſt, interpretatiuam & in cauſa non ſufficere, ſed requiri formalem; vnde non conſecraret Sacerdos, qui præuidens ſe in ebrietate prolaturum verba conſecratoria, voluntariè ſe inebriaret, & in ebrietate proferret verba conſecratoria ſuper certam materiam. Secùs verò eſt in ſuſcipiente Sacramentum, in quo intentio interpretatiua & in cauſa ſufficit; quia nimirum recipiens ſe habet per modum patientis, miniſtrans verò, vel conficiens, per modum agentis; maior autem in agente quam in patiente libertas & aduertentia requiritur; vnde ſi quis ante ſomnum, vel ebrietatem, baptiſmum deſideret, & poſtea dormiens aut ebrius baptizetur, recipit Sacramentum.

Se-

Secundò certum eſt, ad validitatem Sacramenti requiri intentionem abſolutam, nec ſufficere conditionatam, niſi quæ ſtatim tranſeat in abſolutam. Primum patet; intentio enim quæ ad Sacramentum requiritur, debet eſſe efficax & operatiua: quia debet eſſe principium operatiuum actionis Sacramentalis: at ſola intentio abſoluta eſt efficax & operatiua, cùm conditionalis nihil ponat in eſſe. Secundum conſtat, quia, intentio conditionata, quæ poſita conditione tranſit in abſolutam, æquiualet abſolutæ. Vnde ſi quis intendat abſoluere pœnitentem, ſi accedat & confiteatur, & poſtea eundem pœnitentem confeſſum abſoluat, verè abſoluit.

Tertiò certum eſt, quod ſicut actualis intentio neceſſaria non eſt ad conficiendum ſacramentum, eò quòd illam ſemper habere, moraliter ſit impoſſibile; ita habitualis non ſufficit, quia illa non eſt principium proximum actionis ſacramentalis, cùm poſſit eſſe in dormiente: eſt igitur neceſſaria, & ſufficit virtualis, quæ perſeueret in aliqua externa actione, à miniſtro impetrata, & directa ad opus ſacramentale exequendum, & nondum moraliter reuocata per temporis interruptionem.

Dices, D. Thomam hic art. 8. ad 3. manifeſtè docere oppoſitum, ait enim, quod *licet ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti.*

Reſpondeo æquiuocationem latere in hoc vocabulo, nam apud veteres Theologos & Canoniſtas, ſumitur intentio habitualis, pro vir-

virtuali, vt conſtat ex D. Bonauentura in 2. ſentent. diſt. 41. art. 1. qu. 3. in ſolutione ad 6. argumentum, vbi habitualem rationem ad Deum, ſufficere operi meritorio aſſerit, & ſubdit: *habitualem relationem dici non quod habeat charitatem, per quam ſit habilis ad referendum; ſed quia in primordio illius operationis, vel alterius, ad quam illa conſequenter ſe habet, intentionem habet ad Deum directam.* Vbi Doctor Seraphicus manifeſtè relationem habitualem ad Deum, pro virtuali vſurpat, quæ propterea dici habitualis poteſt; quia per modum alicuius habitus perſeuerat, licet actum præcedentem ſupponat. In eodem ſenſu locutus eſt Doctor Angelicus, cùm dixit intentionem habitualem ad perfectionem Sacramenti ſufficere. Niſi fortè velis emendandum eſſe codicem, & per negligentiam Typographi, vocem illam *virtuali*, pro *habituali* mutatam eſſe: cuius mutationis manifeſtum indicium eſt, quod exemplaria quædam anni 1540. intentionem *virtualem* legunt, non verò *habitualem*, vt rectè obſeruauit P. Nicolai in Scholijs ad artic. 8. huius quæſtionis, & in additionibus ad Raynerium, verbo *Baptiſmus* cap. 1. §. 8.

His præmiſſis, de quibus nulla aut parua eſt inter Theologos controuerſia: tres difficultates circa ordinarium ſacramentorum miniſtrum, ſuperſunt hic reſoluendæ. Prima eſt, an ad valorem ſacramenti ſufficiat in miniſtro intentio faciendi ſolum actum externum, id eſt ſeriò proferendi verba, & adhibendi materiam ſacramenti? vel requiratur inſuper intentio faciendi illum vt ſacramentalem,

talem, ſeu vt eſt cæremonia ſacra à Chriſto inſtituta. Primum ſufficere docent Catharinus, Salmeronius, Scribonius, Paſqualigus, & alij: Alterum ad valorem ſacramenti requiri, alij communiter cenſent Theologi.

Secunda difficultas eſt, an ad valorem Sacramenti requirantur in miniſtro fides & ſanctitas, ſubindeque infideles & peccatores validè Sacramenta conficere vel conferre nequeant? Nam olim D. Cyprianus in Africa, cum octuaginta quinque Epiſcopis, & cum pluribus alijs Firmilianus in Aſia, aſſeruerunt non eſſe vera Sacramenta ab Hæreticis & Schiſmaticis collata. Donatiſtæ verò addiderunt, non ſolùm hæreticos, ſed etiam fideles iniquos & peccatores validè Sacramenta non conficere. Quam hæreſim in tantum auxit VViclephus, vt dixerit, non niſi prædeſtinatos conferre gratiam per Sacramenta.

Tertia difficultas eſt, vtrum miniſtri in peccato mortali miniſtrantes, ſemper peccent mortaliter?

§. I.

Reſolutio primæ difficultatis.

PRo reſolutione primæ difficultatis diligenter obſeruandum eſt, duplicem poſſe dari intentionem conficiendi vel miniſtrandi Sacramentum: Aliam explicitam & particularem, qua quis expreſsè & quaſi in actu ſignato intendat conficere vel miniſtrare Sacramenta: aliam implicitam & generalem, qua ſcilicet intendat facere quod facit Chriſtus

ſtus & Eccleſia ; in hac enim generali intentione implicitè includitur intentio particularis conficiendi vel adminiſtrandi ſacramentum, ſeu faciendi actum externum, vt ſacramentalem. Hoc præſuppoſito.

Dico primò, ad validitatem Sacramenti requiri in miniſtro intentionem conficiendi formaliter Sacramentum, ſeu faciendi actum externum vt ſacramentalem; non quidem expreſſam & in particulari, ſed implicitam ac generalem, nempe faciendi quod facit Eccleſia.

Probatur primò ex Florentino in decreto Eugenij pro inſtructione Armenorum, in quo ſic habetur: *Paganus & hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſeruet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia*. Item Tridentinum ſeſſ. 7. can. 11. ſic ait: *Si quis dixerit, in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, anathema ſit*: Sed quod facit Eccleſia, non ſolùm eſt apponere materiam, & verba exteriùs proferre, hoc enim extra Eccleſiam à pagano fieri poteſt, ſed his cæremoniam ſacram, ſeu ſacramentum conficere: Ergo ex Tridentino, ad valorem Sacramenti neceſſaria eſt in miniſtro intentio faciendi Sacramentum formaliter.

Confirmatur: Idem Concilium ſeſſ. 14. cap. 6. & can. 9. definit pœnitentem non manere abſolutum, nec perfici Sacramentum, *ſi Sacerdoti animus ſerio agendi & verè abſoluendi deſit*: Ergo ex Tridentino, vltra exteriorem prolationem verborum, ſeriò quoad exterius factam, ad valorem abſolutionis requiritur in

in Sacerdote interior animus, ſeu intentio abſoluendi à peccatis, & perficiendi Sacramentum. Idque ratio ſuadet: Sacerdos enim abſoluendo profert ſententiam vt iudex, & peccata remittit: At ſententia à iudice prolata ſine interiori intentione, valida non eſt, neque debitum remittitur, ſine interiori intentione remittendi: Ergo ad valorem abſolutionis requiritur in Sacerdote intentio abſoluendi à peccatis, & perficiendi Sacramentum pœnitentiæ.

Probatur ſecundò concluſio ratione D. Thomæ hic artic. 8. Actio indifferens ad multa, debet determinari ad vnum, ſaltem ex intentione agentis, vt hoc vnum determinatè agat vel ſignificet: Atqui actio Sacramenti indifferens eſt ad plura efficienda, vel ſignificanda: vt ablutio exterior poteſt ordinari ad ſolam munditiem externam, vel ad ſanitatem corporis, vel ad ludum, vel ad Sacramentum baptiſmi: Ergo vt reipſa potiùs ſit ſacramentum, quam externa mundatio, vel ludus, aut actio prophana, debet ex intentione agentis, implicita ſaltem & generali, determinatè ordinari ad efficiendum ſacramentum, Nec ſufficit intentio Chriſti vel Eccleſiæ, cùm enim (vt ait S. Doctor ibidem in reſp. ad 1.) Chriſtus vtatur miniſtro libero & rationali, non cenſetur aliquid determinatè intendere, niſi quatenus hoc ipſum deliberatè miniſter intendit; alioquin quoties Sacerdos proferret verba conſecrationis, præſentem panem vel vinum conſecraret, etſi ſolùm talia verba legere vel recitare intenderet, quod eſt abſurdum, Vnde ibidem ſubdit,

dit, quod requiritur in miniſtro intentio qua intendat *facere quod facit Chriſtus & Eccleſia*, quod eſt habere intentionem implicitam & generalem, conficiendi Sacramentum, ſeu facere actum exteriorem, vt ſacramentalem, vt ex ſupra dictis patet.

Tertiò probatur concluſio alia ratione: Eadem requiritur intentio in miniſtrante ac in recipiente baptiſmum; imò cùm recipiens ſe habeat per modum patientis, miniſtrans verò per modum agentis, expreſſior & perfectior videtur requiri in illo quam in illo intentio ad valorem ſacramenti vt ſupra annotauimus: Sed in ſuſcipiente baptiſmum, ad valorem Sacramenti requiritur intentio recipiendi Sacramentum, vt expreſsè docet Sanctus Thomas intra quæſt. 68. artic. 7. Vnde ibidem in reſp. ad 2. ait quod *ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus*: Ergo vt validè conferatur, requiritur in miniſtrante intentio conficiendi ſacramentum, & non ſufficit intentio faciendi ſolum actum externum.

Obijcies primò: Athanaſius adhuc puer alios paruulos per iocum baptizauit, & baptiſmum approbauit Alexander Patriarcha Alexandrinus, illúmque iterare noluit. Item Geneſius mimus in theatro coram Diocletiano ab alio mimo fuit baptizatus, & tamen validum fuit baptiſma: Ergo ad valorem baptiſmi non requiritur intentio conficiendi Sacramentum, ſed ſufficit intentio faciendi ſolum actum externum.

Reſpondeo, conceſſo Antecedenti, diſtinguendo conſequens: Ad valorem baptiſmi

non requiritur intentio conficiendi Sacramentum, expreſſa & in actu exercito, concedo: implicita, generalis, & in actu ſignato, nego. Licet enim Athanaſius ludendo alios paruulos baptizauerit, quia tamen tunc habuit intentionem faciendi id quod fieri viderat in Eccleſia, habuit intentionem implicitam & generalem, conficiendi Sacramentum baptiſmi. Idem dicendum de mimo qui S. Genaſium baptizauit, ille enim tunc habuit intentionem faciendi quod facit Eccleſia Chriſtianorum, quamuis hoc vlteriùs ordinaret ad iocum & deriſum Chriſtianæ religionis, ſubindeque verè illum baptizauit: Sicut Sacerdos qui vult baptizare propter lucrum, vel conſecrare ad maleficium peragendum, verè baptizat & conſecrat, quia licet tunc ad finem malum actiones illas Sacramentales ordinet, re vera tamen intendit facere quod facit Eccleſia Catholica, ſubindeque habet intentionem implicitam & generalem conficiendi Sacramentum, quæ ad eius valorem ſufficit, vt in concluſione noſtra diximus.

Obijcies ſecundò celebre teſtimonium Auguſtini lib. 7. de baptiſmo cap. 53. vbi ait, *nihil referre ad integritatem Sacramenti, quod veraciter vel fallaciter ipſum tradant miniſtri.* Reſpondeo S. Doctorem ibi loqui de fallacia quantùm ad fidem contra Donatiſtas, ſolùmque intendere, quod miniſter exiſtens in Eccleſia Catholica, vel in quacumque alia, quæ vera Eccleſia exiſtimatur, validè miniſtrat Sacramentum, quamuis erranter ipſe exiſtimet, in tali Eccleſia nullum eſſe verum Sacramentum. Vnde ſtatim ſubdit: *Non dubito etiam illos*

tos habere baptiſmum, qui quamuis fallaciter id accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel vbi putatur eſſe Eccleſia.

Poſſunt etiam obijci plura D. Thomæ teſtimonia, quibus manifeſtè videtur docere, ad valorem Sacramenti non requiri in miniſtro intentionem faciendi Sacramentum formaliter. Verùm hæc intelligenda ſunt & explicanda, de intentione explicita & in particulari, quæ ad valorem Sacramenti non eſt neceſſaria: non tamen excludit S. Doctor intentionem implicitam & generalem faciendi Sacramentum formaliter, hoc eſt intentionem faciendi quod facit Chriſtus & Eccleſia, in qua intentio faciendi Sacramentum formaliter, implicitè continetur. Hanc enim ad Sacramenti valorem eſſe neceſſariam, expreſsè docet hic art. 8. ad 2. vbi ait in miniſtro requiri intentionem, *qua intendat facere quod facit Chriſtus & Eccleſia.* Aliæ obiectiones in Clypeo Theologiæ Thomiſticæ videri poterunt.

§. II.

Reſolutio ſecundæ difficultatis.

Dico ſecundò, per malos miniſtros, etiam Hæreticos, & Schiſmaticos, validè Sacramenta confici & miniſtrari. Concluſio eſt certa de fide, definita in varijs Concilijs, Carthaginenſi primo contra Donatiſtas, Conſtantienſi contra Ioannem Hus, & Vuicleph, & in Tridentino contra Lutheranos. Rationem conuenientiſſimam affert D. Thomas: Deus

eſt cauſa principalis Sacramentorum ; miniſter autem ſolùm inſtrumentalis : Atqui effectus aſſimilatur potiùs cauſæ principali, quam inſtrumentali, nec à bonitate vel malitia morali inſtrumenti dependet, ſed à motione & virtute cauſæ principalis : Ergo ſiue bonus ſit ſiue malus miniſter, verum conficit vel miniſtrat Sacramentum, ſi debitam materiam & formam adhibeat. Vnde Auguſtinus lib. 5. de baptiſmo cap. 29. *Siue Iudæus, ſiue Paulus baptizet, Chriſtus peccatum lauat; abſoluit, & delet.*

Poteſt hæc veritas varijs exemplis, quibus vtuntur SS. Patres, illuſtrari. Vt ſemen fructificet, nihil refert quod lotis aut ſordidis manibus ſeminetur. Nihil refert an ſigillum ſit ferreum vel aureum, vt in cera figuram imprimat ſuam. Nihil refert vtrum fiſtula per quam tranſit aqua, argentea ſit, vel plumbea, aut lutea. Demum vt medicus conferat ſanitatem, nihil refert an ipſe ſit ſanus vel æger. Ita pariter vt Sacramenta effectum conferant ſuum, impertinens eſt fides vel ſanctitas miniſtri, cùm ille propter hæreſim vel impietatem conficiendorum Sacramentorum poteſtatem, quæ in charactere indelebili ſita eſt, non amittat.

Objicies primò : Canone 49. Apoſtolorum dicitur rebaptizari oportere eos, qui apud hæreticos baptizati ſunt. Et in Concilio Nicæno 1. can. 19. iubentur Paulianiſtæ rebaptizari : At ſi hæretici vera Sacramenta conficerent, qui ab illis baptizati ſunt, non deberent rebaptizari : Ergo &c.

Reſpondeo iuberi in Concilio Nicæno Pau-

lia-

ſianiſtas rebaptizari, eo quòd non fuiſſent baptizati in nomine Spiritus Sancti. Similiter can. 49. Apoſtolorum dicitur oportere rebaptizari eos qui ab hæreticis baptizati ſunt, quia illi hæretici vera forma non vtebantur in baptiſmo. Vnde ex his & ſimilibus locis, ſolùm inferri poteſt, hæreticos vera Sacramenta non conficere, quando debitam materiam vel formam non adhibent.

Obijcies ſecundò, Chriſtus non tradidit ſacramenta niſi Eccleſiæ: Sed hæretici & Iudæi, alijque infideles ſunt omnino extra Eccleſiam: Ergo ab illis nulla poſſunt Sacramenta confici, vel miniſtrari.

Reſpondeo conceſſa Maiori, negando Minorem; hæretici enim ſunt membra Eccleſiæ, quamuis mortua, eiuſque poteſtati ſubijciuntur: Iudæi verò, & alij infideles, etſi ratione ſuæ perſonæ ſint extra Eccleſiam, & illius poteſtati non ſubijciantur; tamen eo ipſo quòd volunt vera ſacramenta conficere, miniſterium exercent Eccleſiæ proprium, & ipſius miniſtros in hac operatione ſponte ſe exhibent, ſubindeque aliquo modo ad illam pertinent.

§. III.

Reſolutio tertiæ difficultatis.

Dico tertiò, Miniſtros ſpeciali conſecratione ad conficienda ſacramenta deſtinatos, qui & miniſtri ſolemnitatis dicuntur, ea in ſtatu peccati mortalis conficientes, vel adminiſtrantes, peccare mortaliter; ſecùs verò

miniſtros neceſſitatis, non conſecratos.

Prima pars huius aſſertionis probatur ratione D. Thomæ: cùm miniſtri ſolemnitatis ſint peculiari conſecratione deputati ad conficienda & miniſtranda ſacramenta, debent in ſanctitate ſeſe conformare Deo & Chriſto, quorum ſunt miniſtri, iuxta illud Leuit. 19. *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum*; & ipſis Sacramentis, quæ ſunt actiones quædam ſanctæ, & ſpeciali quadam ſanctificatione Deo conſecratæ: vnde ſi cum immunditia peccati mortalis, ea pertractent, grauiter peccant, & ſacrilegij crimen incurrunt. Ex quo probata, manet ſecunda pars: Ille enim qui non miniſtrat vel conficit ex officio Sacramentum, ſed vt miniſter neceſſitatis, hoc non præſtat exhibendo ſe miniſtrum Chriſti & Eccleſiæ, ſed ſolùm ſubuenit neceſſitati patientis: Ergo non obligatur ad ſe conformandum in ſanctitate Deo & Chriſto, vt authori Sacramentorum, nec ipſis Sacramentis; ſubindeque, quamuis ea in ſtatu peccati mortalis conficiat, vel adminiſtret, non peccat mortaliter.

Ad pleniorem huius concluſionis intelligentiam & plurium caſuum conſcientiæ reſolutionem, cum Caietano hic art. 6. obſeruandum eſt, ad hoc vt miniſter Sacramentorum peccet mortaliter in exercitio ſui miniſterij, oportet quod agat vt miniſter conſecratus, ſeu ex officio, & quod actio ſit factiua Sacramenti, vel ſaltem Sacramentalis, id eſt ad conficiendum Sacramentum ordinata, vel diſtributiua Sacramenti iam facti: ita vt ſi alterum horum defuerit, peccatum mortale in exercitio miniſterij ſacri non committatur,

tùr. Ex qua doctrina Caietani.

Colligitur primò, non peccare Sacerdotem malum baptizando ſine ſolemnitate, vrgente neceſſitate, quia tunc non agit vt miniſter conſecratus, ſed ſe habet ad inſtar laici.

Colligitur ſecundò, contrahentes matrimonium in peccato mortali, peccare quidem mortaliter, quia ſine debita diſpoſitione recipiunt Sacramentum, non tamen quia illud adminiſtrant; ad tale enim Sacramentum miniſtrandum, ſpecialem conſecrationem non habent. Neque obeſt, quod non ſit alius propinquior miniſter huius Sacramenti, ac proinde videantur miniſtri ex officio; nam ad miniſtrum ex officio, hoc non ſufficit, ſed requiritur inſuper quod ad hoc ſpeciali conſecratione deputatus ſit.

Colligitur tertiò, Confirmatum, publicè & coram tyranno confitentem fidem, in peccato mortali, non peccare mortaliter: quia licet per Confirmationem detur ipſi poteſtas & ſpecialis gratia ad ſic profitendum, hæc tamen profeſſio non eſt actio factiua Sacramenti, vel Sacramentalis.

Colligitur quartò, Sacerdotem celebrantem in peccato mortali, duplex peccatum committere, alterum quia conficit Sacramentum, alterum quia illud recipit; ſicut Laici indignè recipientes hoc Sacramentum, peccant mortaliter, & fiunt ſacrilegi.

Colligitur quintò, miniſtrare Euchariſtiam in peccato mortali eſſe peccatum mortale. Licet enim hæc actio non ſit factiua Sacramenti, eſt tamen diſtributiua illius, ſubindeque aliquo modo Sacramentalis.

Colligitur ſextò, Sacerdotem in peccato mortali audientem confeſſiones, peccare mortaliter, quia tunc operatur ex officio Sacerdotali, & gerit vices Chriſti.

Colligitur Septimò, probabilius eſſe peccare mortaliter Diaconos & ſubdiaconos ſolemniter ſua officia exercentes in peccato mortali; licet enim actiones quas tunc exercent, non ſint Sacramenta, ſunt tamen Sacramentales, vtpote reſpicientes ſacramentum Euchariſtiæ, & ad ipſum prope accedentes.

Colligitur octauò, Epiſcopos Chriſma & Oleum infirmorum in mortali conſecrantes, peccare mortaliter, cùm huiuſmodi actiones ſint ſacramentales, vtpote ad confectionem ſacramenti proximè ordinatæ. Non tamen cùm in ſtatu peccati mortalis benedicunt templa, vaſa, ſacras veſtes, Virgines Deo dicatas, vel Abbatiſſas; nam actiones iſtæ nec ſacramenta, nec ſacramentales ſunt, nec ad Epiſcopum pertinent de iure diuino, ſed ſolùm de iure Eccleſiaſtico.

Colligitur nonò, non peccare mortaliter concionatorem, qui in peccato mortali prædicat, cùm prædicatio non ſit actio ſacramentalis, & poſſit Laico committi. Supponitur tamen peccatum eſſe occultum, nam ſi ſit publicum, peccat mortaliter, ratione ſcandali.

TRA-

TRACTATVS III.

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

EXplicatis his quæ ſeptem nouæ legis Sacramentis communia ſunt, progredimur ad ſingulorum in particulari expoſitionem, & primò agimus de Sacramento baptiſmi, quod naturæ ordine primum eſt, veluti regeneratio in Chriſto,& prima natiuitas ſpiritualis. Vnde egregiè Auguſtinus tract 11. in Ioan. *Duæ ſunt natiuitates, vna de terra, alia de cælo vna de carne alia de ſpiritu; vna de mortalitate, alia de æternitate; vna de maſculo & fæmina, alia de Deo & Eccleſia: illa facit filios carnis, hæc ſpiritus; illa filios mortis, alia reſurrectionis; illa filios ſæculi, hæc filios Dei; illa filios iræ, hæc filios miſericordiæ; ac per hoc illa peccato originali obligatos, iſta omni vinculo peccati liberatos.*

CAPVT I.

Quo tempore Baptiſma fuerit à Chriſto inſtitutum?

Aliqui exiſtimant Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum baptiſmi, cùm dixit Nicodemo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Alij eius inſtitutionem in illud tempus reijciunt, quo Chriſtus in cœlum aſcenſurus Diſcipulis dixit Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Sed longè probabilior eſt opinio D. Thomæ hic qu. 66. artic. 2. docentis baptiſmum fuiſſe à Chriſto inſtitutum eo die quo à Ioanne in Iordane baptizatus eſt. Et ſane illud ante Chriſti mortem & reſurrectionem fuiſſe inſtitutum, apertè ex Scriptura colligitur; cùm enim legamus Ioan. 3. & 4. Chriſtum ante ſuam paſſionem per Diſcipulos baptizaſſe, nulla eſt ratio negandi illum fuiſſe baptiſmum Chriſti, ſubindeque ante ipſius paſſionem inſtitutum; non enim probabile eſt, Diſcipulos Chriſti baptizaſſe baptiſmo Ioannis, tum quia diſcipuli Ioannis contra illud baptiſma murmurantes, apud Ioannem conqueſti ſunt, vt narratur Ioan. 3. quod vtique non feciſſent, ſed potiùs gaudere debuiſſent, ſi baptiſmum Ioannis Chriſti diſcipuli adminiſtraſſent. Tum etiam, quia diſcipuli Ioannis ira moti, quod diſcipuli Chriſti baptizarent, hanc rem ad ſuum magiſtrum deferentes; non dicunt quod Diſcipuli Chriſti baptizent, ſed

quod Chriſtus baptizet, quia nimirum (vt notauit Cyrillus lib. 2. in Ioan. c. 57.) quamuis ipſi diſcipuli baptizarent; vt expreſsè dicitur Ioan. 4. id tamen non præſtabant virtute & nomine proprio, ſed Chriſti, qui proinde per eos baptizare dicebatur: quod dici non potuiſſet, ſi illi nomine & baptiſmo Ioannis baptizaſſent; quia tunc potiùs dicere debuiſſent, quod Ioannes per Apoſtolos baptizare; ille enim dicitur per alios baptizare, in cuius nomine baptizatur.

Accedit congruentia, cùr hoc Sacramentum inſtitui debuerit ante paſſionem; quia cùm ſit ianua ad alia Sacramenta, & ſine illo, iuxta legem à Chriſto ſtatutam, nequeant aliorum Sacramentorum effectus participari, congruum fuit, vt inſtitueretur ante Euchariſtiam & Ordinem: Vnde cùm hæc duo Sacramenta ante paſſionem, Chriſti inſtituta fuerint, nimirum in vltima cœna, vt definitur in Tridentino ſeſſ. 22. can. 2. manifeſtum eſt, etiam Sacramentum baptiſmi ante paſſionem Chriſti fuiſſe inſtitutum. Sicut in antiqua lege circumciſio, cui ſucceſſit baptiſmus, fuit inſtituta ante omnia alia Sacramenta.

Quod verò baptiſmus inſtitutus fuerit, quando Chriſtus in Iordane baptizatus eſt, probat D. Thomas hic artic. 2. hoc diſcurſu: Tunc videtur aliquod Sacramentum inſtitutum, quando virtutem ſuos producendi effectus accepit: Sed hanc virtutem habere cœpit baptiſma, quando Chriſtus fuit baptizatus, vt docent SS. Patres, præſertim Auguſtinus & Ambroſius; ille enim ſerm. 36. de tem-

pore ſic ait: *Ex quo Chriſtus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua*. Iſte verò lib.2. in Lucam cap. vltimo hæc ſcribit: *Baptizatus eſt ergo Dominus, non mundari volens, ſed mundare aquas, vt ablutæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognouerat, baptiſmatis ius haberent*: Ergo vim regenerandi & ſanctificandi habuit baptiſmus, quando Chriſtus in Iordane baptizatus eſt.

Non deſunt etiam congruentiæ, tunc enim affuit tota Trinitas ſenſibilibus ſignis, ſcilicet Pater in voce, Filius in humana natura, & Spiritus Sanctus ſub ſpecie columbæ, vt ſimul cum materia baptiſmi, eius forma, in nomine Trinitatis proferenda, deſignaretur. Item cœli aperti ſunt, vt præcipuus baptiſmi effectus, qui eſt apertio regni cœleſtis, declararetur. Vnde Auguſtinus lib. de mirabilibus Scripturæ cap. 5. ait apparuiſſe columbam, & cœlum apertum fuiſſe, *vt baptiſmi Sacramentum quid valeret, oſtenderet*. Itaque iuxta hanc ſententiam, inſtitutio baptiſmi facta eſt anno 15. imperij Tiberij Cæſaris, ætatis Chriſti anno circiter trigeſimo, & vt communiter creditur, die ſexta Ianuarij, qua Epiphaniam celebramus. Vnde S. Maximus homil. 1. Epiphaniæ: *Sicut relatu paternæ traditionis inſtruimur, ferunt hodie Chriſtum Dominum, ſuſcepto à Ioanne baptiſmate, conſecraſſe fluenta Iordanis, ſuamque ſimul purificaſſe Baptiſtam*.

CA-

CAPVT II.

Quo tempore cœpit obligatio baptiſmi?

VAria ſunt etiam circa hoc Auctorum placita: quidem enim quorum meminit D. Bernardus epiſt. 77. olim exiſtimabant, quod baptiſmi præceptum ab eo tempore cœperit quo Chriſtus dixit Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* Sed hæc ſententia communiter reijcitur. Primò, quia Chriſtus habebat tunc colloquium priuatum cum Nicodemo: præceptum autem baptiſmi, non debuit dari in colloquio priuato, ſed publico. Secundò, quia baptiſmus non fuit in præcepto toto illo tempore quo vigebat lex circumciſionis: Lex autem circumciſionis vigebat toto tempore antecedente mortem & paſſionem Chriſti, quia lex Moyſis vſque ad paſſionem Chriſti durauit; non fuit enim adæquatè & perfectè impleta, antequam Chriſtus iam expiraturus diceret, *Conſummatum eſt.* Tertiò quia tunc ſolùm baptiſmus cœpit eſſe in præcepto, quandò cœpit habere totam ſuam perfectionem, quandiu enim illa caruit, tandiu præcipi non debuit: Sed ante Chriſti mortem & reſurrectionem baptiſmus totam ſuam perfectionem non habuit, cùm vna ex perfectionibus baptiſmi ſit, vt nos configuret morti & reſurrectioni Chriſti, vt docet Apoſtolus ad Roman. 6. Ergo non fuit in præcepto ante mortem & reſurrectionem Chriſti. Vnde Iudæi de doctrina Chriſti inſtructi ante eius paſſionem, licet tene-

nerentur credere in Chriſtum, non tamen ſuſcipere baptiſmum, nec legem euangelicam profiteri, quia illa nondum obligat.

Alij ſunt qui docent obligationem baptiſmi incœpiſſe in triduo mortis Chriſti. Sed hæc ſententia confutata manet ex iam dictis, tum quia ſolùm poſt reſurrectionem baptiſmus cœpit habere totam ſuam perfectionem & completam ſignificationem. Tum etiam, quia ſolùm poſt reſurrectionem Chriſtus legem baptiſmi promulgauit, vt conſtabit ex infra dicendis.

Dices, Ioan. 19. Chriſtus iam moriturus protulit illa verba, *Conſummatum eſt*, quibus ſignificauit opus noſtræ redemptionis eſſe omnino completum, ſubindeque veterem legem totaliter extinctam: Ergo tunc cœpit obligatio præceptorum legis nouæ ex quibus primum eſt de baptiſmo.

Reſpondeo verba illa Chriſti referri quidem ad eius mortem ſed non vt præciſam à reſurrectione ipſius, ſed vt ipſam includit: Sicut enim noſtra iuſtificatio eſt vnicus motus duos terminos includens, nempe terminum à quo, qui eſt receſſus à peccato, & terminum ad quem, qui eſt acceſſus ad gratiam: ita mors Chriſti & eius reſurrectio integrant vnicum motum noſtræ redemptionis & ſalutis, habentem duos terminos, videlicet Chriſti mortem, qua deſtructum eſt peccatum, tanquam terminum à quo, & reſurrectionem, qua conſummata eſt vita ſpiritualis, tanquam terminum ad quem.

Alij cēſent obligationem baptiſmi non inincœpiſſe vſque ad diem Pentecoſtes, in quo ſuffi-

ſufficienter lex Euangelica promulgata eſt. Sed verior & probabilior eſt eorum ſententia qui aſſerunt, obligationem baptiſmi incœpiſſe ſtatim poſt paſſionem & reſurrectionem Chriſti, quando nimirum Chriſtus apparens diſcipulis dixit illis Matth. vltimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. cum enim baptiſmus ſit fundamentum totius legis Euangelicæ, eius obligatio cœpit ſtatim atque lex euangelica cœpit obligare: Sed lex Euangelica cœpit obligare ſtatim poſt Chriſti reſurrectionem: Ergo & Baptiſmi præceptum. Minor probatur: lex Euangelica cœpit obligare, ſtatim ac moſaica fuit extincta, illius enim generatio debuit eſſe ex corruptione iſtius: Sed lex moſaica fuit penitus extincta quoad omnem ſuam vim, in morte & reſurrectione Chriſti: Ergo lex Euangelica cœpit obligare ſtatim poſt mortem & reſurrectionem Chriſti. Maior patet, Minor probatur ex D. Thoma 12. qu. 103. art. 3. ad 2. vbi ſic ait: *Myſterium redemptionis humani generis completum fuit in paſſione Chriſti, vnde tunc Dominus dixit, conſummatum eſt, vt habetur Ioan. 19. & ideo tunc totaliter debuerunt ceſſare legalia, quaſi iam veritate eorum conſummata. In cuius ſignum in paſſione Chriſti velum templi legitur eſſe ſciſſum Matth. 27.* Addo quod in ſacrificio mortis Chriſti, agni immaculati, Sacerdotium Aaron in Sacerdotium Chriſti translatum eſt: *translato autem Sacerdotio, neceſſe eſt vt legis translatio fiat,* vt ait Apoſtolus ad Hebræos 7. Hæc (vt ſupra declarauimus) intelligenda ſunt de morte Chriſti, vt coniuncta eius reſurrectioni, in

qua Chriſtus vitam immortalem, & indefectibilem reaſſumens, impleuit illam Dauidis prophetiam: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

Dices, Apoſtoli, poſt reſurrectionem Chriſti, circumciſionem & alios legales ritus frequentarunt, vt ex actis ipſorum liquet: imò ipſe Paulus, legis gratiæ magnificus prædicator, Timotheum circumcidit, vt legitur Actorum 16. Ergo non ſtatim à paſſione & reſurrectione Chriſti, vrgere cœpit legis nouæ & baptiſmatis obligatio. Præſertim, quia lex ante ſufficientem promulgationem non obligat: lex autem Euangelica & præceptum baptiſmi, quod eſt illius fundamentum, non fuere ante prædicationem Euangelij ſufficienter promulgata, nec promulgari debuere, niſi completis religionis Chriſti myſterijs, aſcenſione nimirum & miſſione Spiritus Sancti, ſacro die Pentecoſtes peracta.

Reſpondeo quod licet legalia poſt Chriſti mortem & reſurrectionem ceſſauerint, ea tamen Apoſtoli aliquandiu licitè retinere potuerunt, ex ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu, non ad obſeruandas cæremonias legis, ſed ne Iudæos paternarum traditionum emulatores exaſperarent, & ne Iudæorum ritus ex ſe abominabilis crederetur, ſi non ſecùs ac Gentilium cæremoniæ, ſubitò abigerentur, *& ad hoc vt poſſet coaleſcere vnio Gentilium & Iudæorum, ſimul habitantium,* vt ait S. Thomas 1. 2. qu. 103. art. 4. ad 3. Aliam egregiam congruentiam affert D. Auguſtinus epiſt. 19. ad Hieronymum, vbi ait quod ſicut homines mortuos ſeruari aliquandiu ante ſepulturam con-

conſuetum eſt ; ita legalia , quæ vt viua poſt Chriſti mortem ſeruari non poterant, rectè vt mortua vſque ad Euangelij publicationem ſeruata ſunt, vt cum honore mortua mater ſynagoga ſepeliretur.

Quod verò ſubditur , legem baptiſmi non fuiſſe ſufficienter à Chriſti reſurrectionis tempore promulgatam, probat quidem excuſatos fuiſſe eos , qui huius legis promulgationem à Chriſto, factam , ipſa die reſurrectionis ſuæ , cùm dixit Apoſtolis. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* ignouerunt, ſed non conuincit, eos qui talis legis fuerunt conſcij , ab eius obligatione fuiſſe immunes.

CAPVT III.

Materia remota & proxima Baptiſmi.

MAteriam remotam baptiſmi eſſe aquam innumera ſcripturæ teſtimonia apertè declarant. Plures etiam ſolent afferri congruentiæ , deſumptæ ex analogia & ſimilitudine , quæ inter proprietates aquæ & huius Sacramenti effectus reperitur. In primis enim ſicut aqua ſordes extergit corporis , ita gratia baptiſmatis ſordes abluit animarum , iuxta illud Ezechiel. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam , & mundabimini ob omnibus inquinamentis veſtris.* Hanc congruentiam egregiè explicat Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. parte 6. cap. 14. his verbis : *In ſolo elemento aquæ Sacramentum Baptiſmi conſe-*

crari

crari inſtitum eſt, quia hac ſola plenam habet, ac perfectam mundationem. Alij liquores omnes aqua purificantur, & ſi quid alio quolibet liquore tactum fuerit, aqua abluitur, vt emundetur: propterea in ſola aqua Sacramentum emundationis conſiſtit.

Secundò, ſicut aqua refrigerat, & caloris ardores temperat; ita baptiſmi gratia paſſionum æſtus, & concupiſcentiæ flammas, ſi non extinguit planè, ſaltem moderatur & mitigat. Vnde Catechiſmus Romanus titulo de baptiſmo num. 10. *Quemadmodum aqua refrigerandis corporibus aptiſſima eſt, ſic baptiſmo cupiditatis ardor magna ex parte reſtinguitur.*

Tertiò, ſicut aqua eſt principium generationis rerum viuentium, ita baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis, quo fideles vitam ſupernaturalem recipiunt, & ſpiritualiter renaſcuntur. Vnde Tertullianus lib. de baptiſmo Chriſtianos *piſciculos* appellat. *Nos piſciculi* (inquit) *in aqua naſcimur, nec aliter quam in aqua permanendo ſalui ſumus.* Hinc etiam Leo Papa Sermon. 4. comparat baptiſmum vtero virginali: *Omni homini renaſcenti* (ait) *aqua baptiſmatis inſtar eſt vteri virginalis, eodem ſpiritu replente fontem, qui repleuit & Virginem.* Auguſtinus verò vltra progreditur, nam Serm. 36. de tempore, baptiſmum aliquo modo virginali vtero præfert, his verbis: *Bene maiori munere quam Mariæ, vnda ditata eſt. Illa enim ſibi tantùm meruit caſtitatem, iſta nobis contulit ſanctificationem, illa meruit ne peccaret, iſta vt peccata purgaret: illa propria delicta à ſe repudiat,*

iſta

iſta in ſe per Dei gratiam aliena condonat: illi eſt collata virginitas, iſti eſt donata fœcunditas: illa vnum procreauit, & pura eſt; iſta generauit plures, & virgo eſt: illa præter Chriſtum neſcit alium filium, iſta cum Chriſto mater eſt populorum.

Demum aqua (vt ait S. Doctor hic art. 7.) *ratione ſuæ communitatis & abundantiæ eſt conueniens materia neceſſitati huius Sacramenti, poteſt enim vbique de facili haberi.* Eoque alludere videtur D. Petrus Actor. 10. dum ait: *Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, &c.* Ex quo intelliges, quam turpiter errauerint Seleuciani, & Iacobitæ, qui ex verbis Matth. cap. 3. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, malè intellectis, inferebant materiam baptiſmi non eſſe aquam, ſed ignem, vnde ad baptizandos pueros aduſtionem quandam in fronte vel in genis eorum imprimebant. Hæc enim verba de igne metaphorico, id eſt virtute baptiſmi, per gratiam & charitatem corda purgante, & peccatorum rubiginem inſtar ignis abſumente, intelligenda ſunt.

Porrò cùm diximus aquam eſſe materiam huius Sacramenti, hoc debet intelligi de aqua ſimplici ſeu elementari, nec ita mixta, vt ſoluatur eius natura & ſpecies. Vnde omnes aquæ artificiales, ſeu humores & ſucci è floribus vel plantis expreſſi, aquei etiam humores, vt ſudor, ſaliua, lachrymæ, & omnes liquores diuerſæ ſpeciei ab aqua, vt lac, oleum, vinum, non ſunt materia idonea huius Sacramenti. Nec refert quod Stephanus II. in reſcripto ad Monachos Britannici monaſterij

cap.

cap. 11. dicat: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inueniebat, omnino periclitantem infantem baptizauit, nulla ei exinde adſcribitur culpa; infantes ſic permaneant in baptiſmo.* Nam vel reſcriptum illud non eſt authenticum, vel ineptè conſtructum, vt rectè obſeruauit P. Nicolai in Scholis ad 3. qu. 66. vbi legendus eſt.

Ex dictis conſtat, materiam proximam baptiſmi eſſe ablutionem; materia enim proxima nihil aliud eſt quam vſus ſeu applicatio materiæ remotæ: Sed ablutio eſt vſus ſeu applicatio aquæ, quæ eſt materia remota baptiſmi: Ergo ablutio eſt eius materia proxima. Quanta autem & qualis debeat eſſe ablutio, vt ad Sacramentum ſufficiat, omnes conueniunt, eam quantitatem ſufficere, qua moraliter homo poſſit dici ablutus; ſiue fiat per immerſionem baptizandi in aquam, ſiue per aſperſionem, ſiue per effuſionem aquæ, hoc enim nihil refert ad validitatem Sacramenti. Vnde non foret baptizatus, qui tantum in veſtibus ablueretur, vel in ſolis capillis, aut vnguibus, vel in minima parte corporis, puta extremitate digiti, quia hæc non ſufficiunt ad denominandum hominem ablutum; ſed ablutio fieri debet in aliqua parte notabili corporis, præſertim in capite, quia eſt pars potiſſima, in qua vigent omnes ſenſus: quapropter qui extra neceſſitatis articulum, relicto capite, aliam partem ablueret, peccaret mortaliter, quia in re graui contra communem Eccleſiæ conſuetudinem ageret.

Ex dictis intelliges, Tertullianum in libro de Baptiſmo cap. 19. non immeritò dixiſſe, nun-

nunquam ſine aqua Chriſtum eſſe, cùm præcipua religionis noſtræ myſteria elemento aquę peracta ſint. *Siquidem & ipſe Chriſtus aqua tingitur; prima rudimenta poteſtatis ſuæ vocatus ad nuptias aqua auſpicatur; cùm ſermonem facit, ſitientes ad aquam inuitat ſempiternam; cùm de agape docet, aquæ calicem fratri oblatum inter opera dilectionis probat; apud puteum vires reſumit; ſuper aquam incedit, libenter transfretat, aquam diſcumbentibus miniſtrat; perſeuerat teſtimonium baptiſmi vſque ad paſſionem, cùm deditur in crucem, aqua interuenit, ſciunt Pilati manus; cùm vulneratur, aqua de vulnere prorumpit, ſcit lancea militis.* Nec minus aquas amaſſe Spiritus Sanctus viſus eſt, cùm ab ipſo rerum exordio, puritate elementi huius delectatus, aquam vt propriam ſedem, aut inſtar triumphalis currus, quo veheretur elegit. *Tunc* (inquit idem Author cap. 4. eiuſdem libri) *terra erat inuiſibilis & incompoſita; tenebræ .otæ adhuc ſine cultu ſyderum; informis & triſtis abyſus; terra imparata, & cœlum rude; ſolus liquor ſemper materia perfecta, læta, ſimplex, de ſuo pura, dignum vectaculum Deo ſubijciebat.* Vnde cùm Chriſtus ad ripam Iordanis Baptizatus eſt, *tunc* (addit idem Tertullianus) *ille Sanctiſſimus libens à Patre deſcendit ſuper baptiſmi aquas, & tanquam priſtinam ſedem recognoſcens, conquieſcit, columbæ figura delapſus.*

CA-

CAPVT IV.

Forma Baptiſmi.

CErtum eſt formam baptiſmi in his verbis conſiſtere: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Ita enim definitur in Florentino in decreto vnionis, & in Tridentino ſeſſ. 7. can. 4. & colligitur ex verbis Chriſti. Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Congruentiam aſſignat D. Thomas hic art. 5. ex eo quod valde conuenit, vt in forma baptiſmi eius cauſa exprimatur, non ſolùm miniſterialis, quæ Sacramentum perficit, ſed etiam principalis, à qua tota virtus Sacramenti deriuatur: forma autem præfata, & miniſtrum exprimit, cùm dicitur *Ego te Baptizo* & cauſam præcipuam deſignat, cùm additur: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Addo quod, congruum fuit, in Sacramento fidei exprimi præcipuum eius obiectum, quod eſt Trinitas perſonarum; in Sacramento regenerationis deſignari Trinitatem, à qua initium noſtræ conditionis accepimus; ac denique proponi finem vltimum, & obiectum præcipuum noſtræ beatitudinis, in Sacramento, quod eſt initium noſtræ iuſtificationis & tendentiæ in beatitudinem ſupernaturalem.

Porro circa hanc formam duæ ſunt difficultates, breuiter hic reſoluendæ. Prima eſt, an baptiſmus, in nomine Genitoris, & Geniti, & & Procedentis ab vtroque, ſit validus? Ratio du-

dubitandi eſt, quia hæc nomina videntur eſſe ſynonima cum nominibus Patris, Filij, & Spiritus Sancti, idemque formaliter ſignificare. Vnde Eccleſia has Diuinas Perſonas ſub primis vel ſecundis nominibus indifferenter inuocat & laudat: Ergo baptiſmus in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroque videtur validus. Nihilominus ſententia negans videtur verior, ac probabilior, probaturque ex oppoſito fundamento; falſum enim eſt, quod hæc nomina ſynonima ſint, & idem ſignificantia; nam hoc nomen Pater ſignificat ſubſiſtentiam primæ perſonæ, ſeu relationem qua conſtituitur in ratione talis perſonæ; Genitor autem non ſignificat ſubſiſtentiam ſeu relationem, ſed actum notionalem, qui eſt veluti fundamentum ipſius ſubſiſtentiæ ſeu relationis, quo Perſonæ Diuinæ non conſtituuntur formaliter, vt in Tractatu de Trinitate oſtendimus. Vnde S. Thomas in 4. ad Annib. diſt. 3. qu. vnica art. 2. ad 4. *Dicendum quod genitor, cùm ſit nomen verbale, non ſignificat perſonam, vt hypothaſim ſubſiſtentem, ſed magis per modum actus: vnde ſi dicatur in nomine Genitoris, & Geniti, non erit baptiſmus.* Quo nihil clarius & expreſſius dici poteſt. Quamuis ergo poſſit quis extra Sacramentum inuocare Trinitatem, ſub nominibus Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab vtroque, & de facto Eccleſia ſub nominibus illis eam ſæpe inuocet & laudet, non tamen vti licet in Sacramento baptiſmi; quia incertum eſt, an hæc nomina ſint omnino ſynonyma cum nominibus Patris, Filij, & Spiritus Sancti, & probabilius eſt quod non: in re-

rebus autem moralibus, præcipuè in materia Sacramentorum, non licet ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori.

Secunda difficultas eſt, an baptiſmus in nomine Chriſti validus ſit? Ratio dubitandi eſt, quia Actuum 8. viri & mulieres dicuntur in nomine Ieſu Chriſti baptizati. Vnde Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum, poſtulantium quid eſſet agendùm de illis qui à quodam Iudæo baptizati fuerant, reſpondet vt refertur de conſecrat. diſt. 4. cap. *A quodam Iudæo: Hi profectò, ſi in nomine ſanctæ Trinitatis vel tantùm in nomine Chriſti (ſicut in actibus Apoſtolorum legitur) baptizati ſunt (vnum quippe idem eſt, vt S. ait Ambroſius) rebaptizari non debent:* Ergo poteſt conferri baptiſmus, in ſolo nomine Chriſti.

Nihilominus ſententia negatiua tenenda eſt, licet enim valde probabile ſit, quod ait S. Thomas hic art. 6. ad 1. nimirum quod *ex ſpeciali Chriſti reuelatione, Apoſtoli in primitiua Eccleſia in nomine Chriſti baptizabant, vt nomen Chriſti quod erat odioſum Iudæis & Gentilibus, honorabile redderetur, per hoc quod ad eius inuocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptiſmo.* Hancque ſententiam probabilem eſſe indicet Catechiſmus Romanus cap. de baptiſmo: Nihilominus poſtea, ceſſante cauſa talis diſpenſationis, & Chriſti nomine per totum orbem diffuſo, & à Iudæis ac Gentilibus agnito, baptiſma in ſolo nomine Chriſti collatum, fuit inualidum. Nec refert quod Nicolaus citatus exiſtimauerit quod adhuc ſuo tempore duraret talis diſpenſatio, ſubindeq; valeret baptiſmus in ſolo nomine Chri-

ſti

ſti collatus, vt valebat temporibus Apoſtolo-rum, & in exordio naſcentis Eccleſiæ. Hoc enim (vt aiunt Soto & Syluius) tanquam priuatus Doctor tenuit, putans hanc eſſe Ambroſij, quem citat, ſententiam. Vel dici poteſt, ipſum, dum ait baptiſmum in nomine Sanctæ Trinitatis, vel in nomine Chriſti, valere, non excludere trium perſonarum expreſſionem, cùm eam non excludat ipſe Ambroſius quem citat, nam in libro de Sacramentis cap. 7. refert ad ſingulas immerſiones ſolitum fuiſſe ſuo tempore interrogari catechumenum: *Credis in Patrem?* In prima: in ſecunda verò, *Credis in Filium?* In tertia: *Credis in Spiritum Sanctum?*

CAPVT V.

Miniſter Baptiſmi.

DVplex eſt Baptiſmi miniſter, alter ordinarius, & ex officio, alter extraordinarius, & in caſu neceſſitatis. Primus eſt ſolus Sacerdos, ad quem pertinet cum ſolemnitate & ex officio baptiſmum miniſtrare, vt definitur in Florentino in decreto Eugenij. Cùm enim ſoli Sacerdotes habeant poteſtatem in corpus Chriſti naturale, in venerabili Euchariſtiæ Sacramento conficiendum, illi etiam ſoli habent poteſtatem in myſticum Eccleſiæ corpus, eiuſque membra, ſubindeque ad illos ſolos pertinet, alios in Chriſti familiam inducere, & recipere, alijſque Eccleſiæ mem-

bris per baptiſmum incorporare. Diaconus tamen, ex ſpeciali commiſſione Sacerdotis, vel Epiſcopi, ſolemniter baptizare poteſt, vt conſtat de Philippo Diacono, qui ab Apoſtolis ad baptizandum & prædicandum miſſus eſt Actor. cap. 8. vnde in Pontificali Romano in ordinatione Diaconi dicitur, Diaconum debere baptizare & prædicare, quod euidens argumentum eſt, illum ex vi ſuæ ordinationis, accipere facultatem baptizandi ſolemniter, ex commiſſione Sacerdotis, vel Epiſcopi. Non poteſt tamen talis commiſſio ei dari, niſi ob magnam neceſſitatem, vel Eccleſiæ vtilitatem, puta ſi non eſſent Sacerdotes qui poſſent ſolemniter baptizare; quæ neceſſitas, aut Eccleſiæ vtilitas, vix poteſt nunc reperiri, ob multitudinem Sacerdotum. Illud etiam obſeruandum eſt quod cùm antiqui Patres, Tertullianus lib. de baptiſmo, Hieronymus dialogo aduersùs Luciferianos, docent, Sacerdotem non poſſe ſine commiſſione Epiſcopi ſolemniter baptizare, vel loquuntur de baptiſmo, qui certis anni diebus, ſolemni cæremonia conſueuerat in primitiua Eccleſia ab Epiſcopo celebrari, puta in vigilia Paſchatis, vel Pentecoſtes. Vel loquuntur de ſimplici Sacerdote, qui licet in ſua ordinatione baptizandi receperit poteſtatem, vt eam tamen ad praxim reducat, iuriſdictione eget, ab Epiſcopo, vel illo cui Epiſcopus commiſerit, qualis eſt Parochus, ſibi conceſſa.

Quantùm ad miniſtrum neceſſitatis, Florentinum in prædicto Eugenij decreto ſic habet: *In caſu neceſſitatis non ſolùm Sacerdos, vel etiam Diaconus, ſed etiam laicus vel mulier,*

lier, imò etiam paganus & hæreticus, baptizare poſſunt. Ratio autem cur quicunque homo ad hoc Sacramentum miniſtrandum ſufficiat, præter Chriſti inſtitutionem & beneplacitum, eſt maxima neceſſitas huius Sacramenti; ob quam etiam Chriſtus voluit eius materiam eſſe aquam, quæ vbique de facili haberi poteſt. Vnde S. Thomas hic artic. 5. ait, quod *ſicut ex parte materiæ, quantùm ad neceſſitatem Sacramenti, ſufficit quæcumque vera & naturalis aqua, ita etiam ſufficit ex parte miniſtri quicumque homo.*

Neque obeſt reſponſum Gregorij II. ſcribentis Bonifacio, baptizatos à paganis quibuſdam eſſe rebaptizandos. Supponit enim ab illis, vtpote myſteriorum fidei ignaris, non fuiſſe adhibita omnia ad Sacramentum neceſſaria. Non obſtat etiam quod D. Auguſtinus de hac quæſtione dubitauerit, eamque indeciſam reliquerit lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani. Hoc enim fuit poſtea ab Eccleſia determinatum, præſertim à Nicolao Papa in Canone, *A quodam Iudæo*, de conſecr. diſt. 4. imò & ab ipſo Auguſtino varijs in locis, & in ipſomet libro citato, vbi ſic de baptiſmo loquitur: *Etſi nulla neceſſitate vſurpetur, & à quolibet cuilibet detur, non poteſt dici non datum, quamuis rectè dici poſſit illicitè datum.*

Licet autem in caſu neceſſitatis, quilibet idoneus ſit huius Sacramenti miniſter, & à tam neceſſarij Sacramenti adminiſtratione, nemo etiam infidelis excludatur, debet tamen in hoc debitus ordo ſeruari; ita vt minùs dignus cedat digniori, vt non baptizatus baptizato, fœmina viro (niſi pudoris cauſa de-

cap. 11. dicat: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inueniebat, omnino periclitantem infantem baptizauit, nulla ei exinde adſcribitur culpa; infantes ſic permaneant in baptiſmo*. Nam vel reſcriptum illud non eſt authenticum, vel ineptè conſtructum, vt rectè obſeruauit P. Nicolai in Scholis ad 3. qu. *66.* vbi legendus eſt.

Ex dictis conſtat, materiam proximam baptiſmi eſſe ablutionem; materia enim proxima nihil aliud eſt quam vſus ſeu applicatio materiæ remotæ: Sed ablutio eſt vſus ſeu applicatio aquæ, quæ eſt materia remota baptiſmi: Ergo ablutio eſt eius materia proxima. Quanta autem & qualis debeat eſſe ablutio, vt ad Sacramentum ſufficiat, omnes conueniunt, eam quantitatem ſufficere, qua moraliter homo poſſit dici ablutus; ſiue fiat per immerſionem baptizandi in aquam, ſiue per aſperſionem, ſiue per effuſionem aquæ, hoc enim nihil refert ad validitatem Sacramenti. Vnde non foret baptizatus, qui tantum in veſtibus ablueretur, vel in ſolis capillis, aut vnguibus, vel in minima parte corporis, puta extremitate digiti, quia hæc non ſufficiunt ad denominandum hominem ablutum; ſed ablutio fieri debet in aliqua parte notabili corporis, præſertim in capite, quia eſt pars potiſſima, in qua vigent omnes ſenſus: quapropter qui extra neceſſitatis articulum, relicto capite, aliam partem ablueret, peccaret mortaliter, quia in re graui contra communem Eccleſiæ, conſuetudinem ageret.

Ex dictis intelliges, Tertullianum in libro de Baptiſmo cap. 19. non immeritò dixiſſe, *nun-*

nunquam ſine aqua Chriſtum eſſe, cùm præcipua religionis noſtræ myſteria elemento aquę peracta ſint. *Siquidem & ipſe Chriſtus aqua tingitur; prima rudimenta poteſtatis ſuæ vocatus ad nuptias aqua auſpicatur; cùm ſermonem facit, ſitientes ad aquam inuitat ſempiternam; cùm de agape docet, aquæ calicem fratri oblatum inter opera dilectionis probat; apud puteum vires reſumit; ſuper aquam incedit, libenter transfretat, aquam diſcumbentibus miniſtrat; perſeuerat teſtimonium baptiſmi vſque ad paſſionem, cùm deditur in crucem, aqua interuenit, ſciunt Pilati manus; cùm vulneratur, aqua de vulnere prorumpit, ſcit lancea militis.* Nec minus aquas amaſſe Spiritus Sanctus viſus eſt, cùm ab ipſo rerum exordio, puritate elementi huius delectatus, aquam vt propriam ſedem, aut inſtar triumphalis currus, quo veheretur elegit. *Tunc* (inquit idem Author cap. 4. eiuſdem libri) *terra erat inuiſibilis & incompoſita; tenebræ totæ adhuc ſine cultu ſyderum; informis & triſtis abyſſus; terra imparata, & cælum rude; ſolus liquor ſemper materia perfecta, læta, ſimplex, de ſuo pura, dignum vectaculum Deo ſubyciebat.* Vnde cùm Chriſtus ad ripam Iordanis Baptizatus eſt, *tunc* (addit idem Tertullianus) *ille Sanctiſſimus libens a Patre deſcendit ſuper baptiſmi aquas, & tanquam priſtinam ſedem recognoſcens, conquieſcit, columbæ figura delapſus.*

CA-

CAPVT IV.

Forma Baptiſmi.

CErtum eſt formam baptiſmi in his verbis conſiſtere: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Ita enim definitur in Florentino in decreto vnionis, & in Tridentino ſeſſ. 7. can. 4. & colligitur ex verbis Chriſti. Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Congruentiam aſſignat D. Thomas hic art. 5. ex eo quod valde conuenit, vt in forma baptiſmi eius cauſa exprimatur, non ſolùm miniſterialis, quæ Sacramentum perficit, ſed etiam principalis, à qua tota virtus Sacramenti deriuatur: forma autem prælata, & miniſtrum exprimit, cùm dicitur *Ego te Baptizo* & cauſam præcipuam deſignat, cùm additur: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Addo quod, congruum fuit, in Sacramento fidei exprimi præcipuum eius obiectum, quod eſt Trinitas perſonarum; in Sacramento regenerationis deſignari Trinitatem, à qua initium noſtræ conditionis accepimus; ac denique proponi finem vltimum, & obiectum præcipuum noſtræ beatitudinis, in Sacramento, quod eſt initium noſtræ iuſtificationis & tendentiæ in beatitudinem ſupernaturalem.

Porro circa hanc formam duæ ſunt difficultates, breuiter hic reſoluendæ. Prima eſt, an baptiſmus, in nomine Genitoris, & Geniti, & & Procedentis ab vtroque, ſit validus? Ratio du-

dubitandi eſt, quia hæc nomina videntur eſſe ſynonima cum nominibus Patris, Filij, & Spiritus Sancti, idemque formaliter ſignificare. Vnde Eccleſia has Diuinas Perſonas ſub primis vel ſecundis nominibus indifferenter inuocat & laudat: Ergo baptiſmus in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroque videtur validus. Nihilominus ſententia negans videtur verior, ac probabilior, probaturque ex oppoſito fundamento; falſum enim eſt, quod hæc nomina ſynonima ſint, & idem ſignificantia; nam hoc nomen Pater ſignificat ſubſiſtentiam primæ perſonæ, ſeu relationem qua conſtituitur in ratione talis perſonæ; Genitor autem non ſignificat ſubſiſtentiam ſeu relationem, ſed actum notionalem, qui eſt veluti fundamentum ipſius ſubſiſtentiæ ſeu relationis, quo Perſonæ Diuinæ non conſtituuntur formaliter, vt in Tractatu de Trinitate oſtendimus. Vnde S. Thomas in 4. ad Annib. diſt. 3. qu. vnica art. 2. ad 4. *Dicendum quod genitor, cùm ſit nomen verbale, non ſignificat perſonam, vt hypothaſim ſubſiſtentem, ſed magis per modum actus: vnde ſi dicatur in nomine Genitoris, & Geniti, non erit baptiſmus.* Quo nihil clarius & expreſſius dici poteſt. Quamuis ergo poſſit quis extra Sacramentum inuocare Trinitatem, ſub nominibus Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab vtroque, & de facto Eccleſia ſub nominibus illis eam ſæpe inuocet & laudet, non tamen vti licet in Sacramento baptiſmi; quia incertum eſt, an hæc nomina ſint omnino ſynonyma cum nominibus Patris, Filij, & Spiritus Sancti, & probabilius eſt quod non: in

re-

rebus autem moralibus, præcipuè in materia Sacramentorum, non licet ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori.

Secunda difficultas eſt, an baptiſmus in nomine Chriſti validus ſit? Ratio dubitandi eſt, quia Actuum 8. viri & mulieres dicuntur in nomine Ieſu Chriſti baptizati. Vnde Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum, poſtulantium quid eſſet agendùm de illis qui à quodam Iudæo baptizati fuerant, reſpondet vt refertur de conſecrat. diſt. 4. cap. *A quodam Iudæo: Hi profectò, ſi in nomine ſanctæ Trinitatis vel tantùm in nomine Chriſti (ſicut in actibus Apoſtolorum legitur) baptizati ſunt (vnum quippe idem eſt, vt S. ait Ambroſius) rebaptizari non debent:* Ergo poteſt conferri baptiſmus, in ſolo nomine Chriſti.

Nihilominus ſententia negatiua tenenda eſt, licet enim valde probabile ſit, quod ait S. Thomas hic art. 6. ad 1. nimirum quod *ex ſpeciali Chriſti reuelatione, Apoſtoli in primitiua Eccleſia in nomine Chriſti baptizabant, vt nomen Chriſti quod erat odioſum Iudæis & Gentilibus, honorabile redderetur, per hoc quod ad eius inuocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptiſmo.* Hancque ſententiam probabilem eſſe indicet Catechiſmus Romanus cap. de baptiſmo: Nihilominus poſtea, ceſſante cauſa talis diſpenſationis, & Chriſti nomine per totum orbem diffuſo, & à Iudæis ac Gentilibus agnito, baptiſma in ſolo nomine Chriſti collatum, fuit inualidum. Nec refert quod Nicolaus citatus exiſtimauerit quod adhuc ſuo tempore duraret talis diſpenſatio, ſubindeq; valeret baptiſmus in ſolo nomine Chri-

ſti

ſti collatus, vt valebat temporibus Apoſtolorum, & in exordio naſcentis Eccleſiæ. Hoc enim (vt aiunt Soto & Syluius) tanquam priuatus Doctor tenuit, putans hanc eſſe Ambroſij, quem citat, ſententiam. Vel dici poteſt, ipſum, dum ait baptiſmum in nomine Sanctæ Trinitatis, vel in nomine Chriſti, valere, non excludere trium perſonarum expreſſionem, cùm eam non excludat ipſe Ambroſius quem citat, nam in libro de Sacramentis cap. 7. refert ad ſingulas immerſiones ſolitum fuiſſe ſuo tempore interrogari catechumenum: *Credis in Patrem?* In prima: in ſecunda verò, *Credis in Filium?* In tertia: *Credis in Spiritum Sanctum?*

CAPVT V.

Miniſter Baptiſmi.

DVplex eſt Baptiſmi miniſter, alter ordinarius, & ex officio, alter extraordinarius, & in caſu neceſſitatis. Primus eſt ſolus Sacerdos, ad quem pertinet cum ſolemnitate & ex officio baptiſmum miniſtrare, vt definitur in Florentino in decreto Eugenij. Cùm enim ſoli Sacerdotes habeant poteſtatem in corpus Chriſti naturale, in venerabili Euchariſtiæ Sacramento conficiendum, illi etiam ſoli habent poteſtatem in myſticum Eccleſiæ corpus, eiuſque membra, ſubindeque ad illos ſolos pertinet, alios in Chriſti familiam inducere, & recipere, alijſque Eccleſiæ mem-

bris per baptiſmum incorporare. Diaconus tamen, ex ſpeciali commiſſione Sacerdotis, vel Epiſcopi, ſolemniter baptizare poteſt, vt conſtat de Philippo Diacono, qui ab Apoſtolis ad baptizandum & prædicandum miſſus eſt Actor. cap. 8. vnde in Pontificali Romano in ordinatione Diaconi dicitur, Diaconum debere baptizare & prædicare, quod euidens argumentum eſt, illum ex vi ſuæ ordinationis, accipere facultatem baptizandi ſolemniter, ex commiſſione Sacerdotis, vel Epiſcopi. Non poteſt tamen talis commiſſio ei dari, niſi ob magnam neceſſitatem, vel Eccleſiæ vtilitatem, puta ſi non eſſent Sacerdotes qui poſſent ſolemniter baptizare; quæ neceſſitas, aut Eccleſiæ vtilitas, vix poteſt nunc reperiri, ob multitudinem Sacerdotum. Illud etiam obſeruandum eſt quod cùm antiqui Patres, Tertullianus lib. de baptiſmo, Hieronymus dialogo aduersùs Luciferianos, docent, Sacerdotem non poſſe ſine commiſſione Epiſcopi ſolemniter baptizare, vel loquuntur de baptiſmo, qui certis anni diebus, ſolemni cæremonia conſueuerat in primitiua Eccleſia ab Epiſcopo celebrari, puta in vigilia Paſchatis, vel Pentecoſtes. Vel loquuntur de ſimplici Sacerdote, qui licet in ſua ordinatione baptizandi receperit poteſtatem, vt eam tamen ad praxim reducat, iuriſdictione eget, ab Epiſcopo, vel illo cui Epiſcopus commiſerit, qualis eſt Parochus, ſibi conceſſa.

Quantùm ad miniſtrum neceſſitatis, Florentinum in prædicto Eugenij decreto ſic habet: *In caſu neceſſitatis non ſolùm Sacerdos, vel etiam Diaconus, ſed etiam laicus vel mulier,*

lier, imò etiam paganus & hæreticus, baptizare poſſunt. Ratio autem cur quicunque homo ad hoc Sacramentum miniſtrandum ſufficiat, præter Chriſti inſtitutionem & beneplacitum, eſt maxima neceſſitas huius Sacramenti; ob quam etiam Chriſtus voluit eius materiam eſſe aquam, quæ vbique de facili haberi poteſt. Vnde S. Thomas hic artic. 5. ait, quod *ſicut ex parte materiæ, quantùm ad neceſſitatem Sacramenti, ſufficit quæcumque vera & naturalis aqua, ita etiam ſufficit ex parte miniſtri quicumque homo.*

Neque obeſt reſponſum Gregorij II. ſcribentis Bonifacio, baptizatos à paganis quibuſdam eſſe rebaptizandos. Supponit enim ab illis, vtpote myſteriorum fidei ignaris, non fuiſſe adhibita omnia ad Sacramentum neceſſaria. Non obſtat etiam quod D. Auguſtinus de hac quæſtione dubitauerit, eamque indeciſam reliquerit lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani. Hoc enim fuit poſtea ab Eccleſia determinatum, præſertim à Nicolao Papa in Canone, *A quodam Iudæo*, de conſecr. diſt. 4. imò & ab ipſo Auguſtino varijs in locis, & in ipſo met libro citato, vbi ſic de baptiſmo loquitur: *Etſi nulla neceſſitate vſurpetur, & à quolibet cuilibet detur, non poteſt dici non datum, quamuis rectè dici poſſit illicitè datum.*

Licet autem in caſu neceſſitatis, quilibet idoneus ſit huius Sacramenti miniſter, & à tam neceſſarij Sacramenti adminiſtratione, nemo etiam infidelis excludatur, debet tamen in hoc debitus ordo ſeruari; ita vt minùs dignus cedat digniori, vt non baptizatus baptizato, fœmina viro (niſi pudoris cauſa de-

ceat fœminam potiùs quam virum baptizare infantem nondum editum) non clericus clerico, reliqui clerici Sacerdoti. Difficultas tamen eſt, & controuerſia inter Theologos, an hunc ordinem inuertere ſit mortale? Reſpondeo eſſe mortale, quando hic ordo non ſeruatur erga Sacerdotem, cui ex officio incumbit hoc Sacramentum miniſtrare; aut erga Diaconum, cui ex commiſſione Sacerdotis hoc ipſum competit: ſecùs verò quando non ſeruatur in alijs; licet enim in hoc aliqua indecentia reperiatur, eſt tamen leuis, & ideò ſolùm venialis.

Quæres, an ſi duo miniſtri ad aliquem baptizandum partialiter concurrerent, ita vt vnus ablueret, & alter formam proferret, validum eſſet baptiſma? Reſpondeo negatiuè, contra Caietanum, & Marſilium, quia in tali caſu non verificaretur forma baptiſmi; ille enim qui ſolùm proferret verba, in veritate dicere non poſſet, *Ego te baptizo*, quia reuera non ablueret: Ergo huiuſmodi baptiſma foret inualidum. Vnde D. Thomas hic qu. 66. art. 5. ad 4. *ſi conuenirent duo; quorum vnus eſſet mutus, qui non poſſet proferre verba; & alius carens manibus, qui non poſſet exercere actum, non poſſent ambo ſimul baptizare, vno dicente verba, & alio exercente actum.*

Dices primò, in Sacramento pœnitentiæ, & matrimonij, materia adhibetur ab vno, & forma ab alio: Ergo idem fieri poterit in Sacramento baptiſmi. Sed nego conſequentiam, & paritatem, nam Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum per modum iudicij, in quo oportet reum & iudicem diſtingui, & confeſ-

ſionem fieri à reo, abſolutionem verò à iudice. Matrimonium verò ſe habet per modum contractus mutuæ traditionis & acceptationis, quæ non poſſunt inter vnam & eandem perſonam reperiri.

Dices ſecundò, ſi plures miniſtri ſimul abluerent & verba proferrent, omnes verè baptizarent, vt docet D. Thomas hic artic. 6. & conſtat exemplo Sacerdotum eandem hoſtiam ſimul in die ordinationis conſecrantium: Ergo pluralitas miniſtrorum non impedit valorem Sacramenti baptiſmi.

Reſpondeo tunc ſolùm pluralitatem miniſtrorum reddere Sacramentum baptiſmi inualidum, cùm veritatem formæ deſtruunt: in caſu autem quo plures miniſtri per modum cauſæ totalis ſimul ablueren & verba proferent, veritas formæ baptiſmi ſubſiſteret, quia quilibet reuera ablueret & baptizaret; ſecùs verò, ſi plures partialiter concurrerent ad aliquem baptizandum, ita vt vnus ablueret, & alter formam proferret; iſte enim in veritate dicere non poſſet, *Ego te Baptizo*, ſed aliquid falſum diceret.

CAPVT VI.

Subiectum Baptiſmi.

CErtum eſt, omnes tam paruulos, quam adultos, cuiuſcumque ſexus, eſſe capaces baptiſmi: nam omnes illi poſſunt per baptiſmum regenerari in Chriſto, qui pecca-

tum originale per naturalem generationem contrahunt: nam *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur*, vt dicitur 1. Corinth. 15. Atqui omnes contrahunt peccatum originale ex Adamo: Ergo poſſunt quoque omnes regenerari in Chriſto, per Sacramentum baptiſmi. Imò licet aliquis ſpeciali priuilegio eſſet ſanctificatus in vtero matris, nihilominus eſſet capax baptiſmi, & baptizari deberet, quia deberet ingredi in Eccleſiam viſibilem per baptiſmum, & fieri capax reliquorum Sacramentorum. Vnde S. Thomas in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 3. ait quod *ſanctificatus in vtero debet baptizari propter tres rationes. Primò propter acquirendum characterem, quo annumeretur in populo Dei, & quaſi deputetur ad percipienda diuina Sacramenta. Secundò, vt per baptiſmi perceptionem, paſſioni Chriſti etiam corporaliter conformetur. Tertiò, propter bonum obedientiæ, quia præceptum de baptiſmo omnibus datum eſt, & ab omnibus impleri debet, niſi articulus neceſſitatis Sacramentum excludat.*

Dices, formam baptiſmi non poſſe de tali ſubiecto verificari; illa enim ſignificat ablutionem non tantùm materialem, ſed etiam ſpiritualem, à peccato originali: Sed ille qui eſſet ſanctificatus in vtero matris, non poſſet ſpiritualiter mundari per baptiſmum à peccato originali, cùm per ſanctificationem in vtero, ab illo iam eſſet mundatus: Ergo non poſſet forma baptiſmi de eo verificari.

Reſpondeo primò, hoc argumentum nimis probare, probat enim non poſſe conferri baptiſmum adulto, qui per actum charitatis, vel

contritionis, à peccatis mundatus eſſet, quia de illo non poſſet forma baptiſmi verificari.

Reſpondeo ſecundò, negando Antecedens, & ad eius probationem dico, quod ſicut hæc verba, *Ego abſoluo te à peccatis tuis*, quæ ſunt forma Sacramenti pœnitentiæ, non aliud ſignificant, niſi ego impertior tibi gratiam remiſſiuam peccatorum, ſeu quæ de ſe potens eſt ad ſoluenda peccatorum vincula, ſi ſubiectum illis inueniatur ligatum. Ita pariter hæc verba, *Ego te baptizo*, quæ ſunt forma Sacramenti baptiſmi, nihil aliud eſſentialiter ſignificant, quam infuſionem gratiæ ſanctificantis, quæ de ſe valet ad peccatum originale & actuale delendum, ſi ea in ſubiecto inueniat. Vnde ſicut in Sacramento Pœnitentiæ, prædicta verba, *Ego abſoluo te à peccatis tuis*, verificantur, quamuis pœnitens, ſolùm peccata iam confeſſa & remiſſa, quibus proinde non ligatur, confiteatur: Ita pariter in Sacramento baptiſmi, hæc verba, *Ego te baptizo*, vera ſunt, quamuis ille qui baptizatur, in vtero matris fuerit ſanctificatus, & à peccato originali mundatus.

Ex his conſtat, pueros eſſe capaces baptiſmi antequam perueniant ad vſum rationis; cùm enim ſtatim ex vtero matris infans excluditur, ſit capax ſalutis, habere debet aliquod medium ad illam conſequendam, quod in noua lege nullum aliud datur, quam baptiſmus, vt conſtabit ex dicendis capite ſequenti, vbi de neceſſitate baptiſmi. Confirmatur: in lege naturæ ſtatim ac infans ex vtero matris excludebatur erat capax Sacramenti ab originali emundantis; & in lege moſai-

ſaica, quando ob periculum mortis non pōterat expectari octauus dies vt circumcideretur infans, applicabatur illi Sacramentum legis naturæ: Ergo multò magis in lege noua, in qua, propter paſſionem Chriſti exhibitam, gratia eſt vberior & vniuerſalior, poteſt applicari baptiſma paruulo, ſtatim ac ex vtero matris excluditur. Vnde in Concilio Milleuitano ſecundo can. 2. *Placuit vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, anathema ſit*. Et Tridentinum ſeſſ. 5. can. 4. anathema imprecatur ijs qui contendunt neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate qua baptizatus eſt Chriſtus.

Hinc colligitur, nullam in paruulis requiri diſpoſitionem ad valorem baptiſmi: Sicut enim illi poſſunt abſque propria voluntate labem originalem contrahere, ita poterunt abſque propria voluntate & diſpoſitione, labis eiuſdem emundationem accipere. Vnde quando Chriſtus Matth. & Marci vltimo, ijs baptiſmum conferri præcipit qui crediderint, & ſuam fuerint legem edocti, hoc de baptiſmo adultorum intelligendum eſt, vt explicant SS. Patres.

Si autem quæras, quæ in adulto diſpoſitiones requirantur, ad hoc vt validè, & licitè ſeu cum fructu, recipiat Sacramentum baptiſmi?

Reſpondeo in primis requiri ad eius valorem voluntarium conſenſum, quo velit baptiſmum ſuſcipere: cùm enim baptiſmus ſit quædam fidei profeſſio, propter quod dicitur Sacramentum fidei, ſicut nemo recipit fidem, niſi volens & conſentiens, ita nec Sacramentum

tium baptiſmi. Addo quod in ſuſceptione baptiſmi contrahitur obligatio, Chriſti legem, eiuſque religionem amplectendi, adeò vt baptizatus poſſit cogi ab Eccleſia ad ſuam fidem ſeruandam, & ad obediendum eius præceptis: Sed adultus talem obligationem contrahere nequit, niſi velit & conſentiat: Ergo nec validè baptiſmum ſuſcipere. Nec placet aliquorum ſententia exiſtimantium ad valorem baptiſmi in adulto ſufficere quod ad illum merè negatiuè ſeu indifferenter ſe habeat, illi non conſentiendo, nec diſſentiendo. Nec enim indifferentia, ſeu negatiua permiſſio, non ſufficit ad fidem ſuſcipiendam, & ad contrahendam obligationem, legem Chriſti, eiuſque religionem amplectendi. Vnde Auguſtinus relatus Can. *Cùm à multis* de conſecrat. diſt. 4. ait, *neminem renaſci ex aqua & Spiritu Sancto, niſi volentem*: qui autem ad baptiſmum merè negatiuè & indifferenter ſe habet, non eſt volens, vt patet: Ergo ex aqua & Spiritu Sancto non renaſcitur, ſubindeque validum Sacramentum non ſuſcipit. Vnde D. Thomas hic, quæſt. 68. artic. 7. dicit quod *ſi adulto deeſſet intentio recipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus*. Requiritur ergo ad valorem baptiſmi poſitiuus conſenſus, formalis, vel ſaltem virtualis, aut interpretatiuus. Vnde ſi quis in vigilia exiſtens habuit intentionem ſuſcipiendi baptiſmum, & poſtea, non mutata tali intentione, dormiens baptizetur, verè baptizatus erit, vt determinauit Innocentius III. in cap. *Maiores* de baptiſmo. Si quis etiam, metu cadente in conſtantem vi-

rum, permittat ſe baptizari, verum ſuſcipit Sacramentum, vt ibidem definiuit idem Pontifex, & expreſsè docet D. Thomas in 4. diſt. 6. quæſt. 1. artic. 2. quæſtiunc. 3. his verbis: *Si ſit coactio inducens, ſicut minis, vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat baptiſmũ ſuſcipere, quam talia pati, tunc ſuſcipit Sacramentum, ſed non rem Sacramenti*. Ratio etiam ſuffragatur, ea enim quæ fiunt ex metu, licet ſint inuoluntaria ſecundùm quid, ſunt tamen ſimpliciter voluntaria; ſicut qui metu tempeſtatis proijcit merces in mare, vult abſolutè eas proijcere, quamuis ſecundùm quid & ſub conditione vellet eas retinere: Ergo conſenſus ex graui metu elicitus, ſufficit ad baptiſmum, licet non ſufficiat ad matrimonium: matrimonium enim cùm non ſolùm habeat rationem Sacramenti, ſed inſuper ſit contractus ciuilis, ſubijcitur iuri ciuili, quod determinauit matrimonium factum ex metu cadente in conſtantem virum, irritum eſſe.

Secundò, vt adulti licitè & cum fructu baptizentur, requiritur neceſſario actus fidei, vt docet D. Thomas hic qu. 68. art. 8. & conſtat ex verbis illis Chriſti Matth. 28. *Si quis crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*. Et ex verbis illis Philippi ad Eunuchum Act. 8. *Si credis ex toto corde, licet*. Tridentinum quoque ſeſſ. 6. cap. 6. recenſendo diſpoſitiones ad iuſtificationem, ſiue per baptiſmum, ſiue aliter conſequendā, actum fidei primo loco enumerat. De quo in materia de iuſtificatione:

Tertiò in illis adultis qui peccauerunt mortaliter ante baptiſmum, vt cum fructu tale

Sacramentum ſuſcipiant, neceſſarius eſt aliquis dolor de peccatis commiſſis. Paulus enim ad Rom. 6. docet omnino ei qui baptizatur moriendum eſſe peccato, & Petrus magnæ illi multitudini quæ ab illo poſtulauerat, quid faciendum eſſet ad dignè & fructuosè recipiendum baptiſma? reſpondit Act. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.* Et cap. 3. *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* Vnde Auguſtinus lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 8. *Baptiſmus* (inquit) *ſine pœnitentia, nunquam fuit eis qui peccarunt ſpontaneè.*

Si verò quæras, quinam debeat eſſe ille dolor? reſpondeo, ad baptiſmum cum fructu recipiendum, ſufficere ſolam attritionem, nec requiri perfectam contritionem. Vt enim oſtendemus in Tractatu de pœnitentia, ſufficit attritio in Sacramento pœnitentiæ: Ergo & in baptiſmo, qui æquè agit ex opere operato neque minùs eſt efficax ad delenda peccata, quam pœnitentia. Vnde D. Thomas in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 3. ad 5. *Ad hoc vt homo ſe præparet ad gratiam in Baptiſmo percipiendam, præexigitur fides, ſed non charitas; quia ſufficit attritio præcedens, etſi non ſit contritio.* Ratio etiam id ſuadet, nam ſi ad baptiſmum ſemper requireretur in adultis vera contritio, illud nunquam eis conferret primam gratiam ſubindeque non eſſet Sacramentum mortuorum, ſed viuorum, & nunquam eſſet in adultis regeneratio; ſupponeret enim ſemper vitam gratiæ, & regenerationem, factam per actum contritionis, quæ per ſe, & citra vſum Sacramenti, habet vim iuſtificandi, vt

docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. Sed de hoc fuſius in tractatu de pœnitentia cap. 4. §. 4.

Quæres, an liceat infidelium infantes, inuitis parentibus, baptizare?

Reſpondeo non licere baptizare filios infidelium, qui politicè tantùm & ciuiliter ſubſunt Eccleſiæ, ſeu principibus Chriſtianis vel Eccleſiaſticis, inuitis eorum parentibus; bene tamen filios infidelium, qui ſunt vera eorum mancipia, quales ſunt filij Turcarum & Maurorum, qui iuſto bello ſerui fiunt Chriſtianorum.

Prima pars huius reſolutionis, quæ eſt contra Scotum, docetur expreſsè à D. Thoma hic quæſt. 68. artic. 10. & 2. 2. quæſt. 10. artic. 12. vbi hanc rationem inſinuat: Si pueri infidelium qui politicè tantùm & ciuiliter ſubſunt Eccleſiæ, vel principibus Chriſtianis, inuitis eorum parentibus baptizarentur, vel fieret iniuria Sacramento vel ipſis parentibus: aut enim tales infantes baptizati relinquerentur ſub cura parentum, atque hoc modo eſſet ferè moralis certitudo, quod cùm ad adultam ætatem peruenirent, propter affectum erga parentes, aut ignorantiam myſteriorum fidei, cum magna religionis & Sacramenti iniuria, à ſuſcepta fide apoſtatarent. Aut ſtatim ſubtraherentur è poteſtate parentum: hoc autem eſt contra naturale ius quod parentes habent erga ſuos filios: Sunt enim filij, ratione naturalis generationis, pars parentum, vnde naturali iure eos habent ſub propria poteſtate. Quod ius paternum noluit Chriſtus per legem baptiſmi violari, vt à poſteriori conſtat ex eo quod nunquam Eccleſia

ſià curauit baptizari paruulos, inuitis parentibus infidelibus, qui erant ſub poteſtate principum Chriſtianorum, Conſtantini Magni, Theodoſij, & aliorum, qui libentiſſimè hoc feciſſent, ſi iudicaſſent id licitè fieri poſſe, imò & ad hoc obligari vt exiſtimat Scotus. Et nunc Summi Pontifices non curant infantes Iudæorum, quorum parentes multi ſubſunt poteſtati ciuili Eccleſiæ, baptizari, ſed permittunt eos circumcidi.

Ex hoc diſcurſu colligitur, quod ſi puer infidelium præuidetur ſtatim abſque vlla ſpe vitæ moriturus, baptizari poteſt, nam in eo caſu neque fit iniuria Sacramento, quia talis infans periculo apoſtaſiæ non exponitur; neq; parentibus, quandoquidem ille non eripitur eis per baptiſmum, ſed per mortem.

Quod verò liceat baptizare, inuitis parentibus, filios eorum infidelium, qui ſunt verè ſerui, ſeu mancipia, ſiue emptitia, ſiue iure belli, conſtat: tum ex continua praxi, filij enim Turcarum & Maurorum, qui iuſto bello ſerui fiunt Chriſtianorum, contra parentum voluntatem baptizantur à dominis. Tum etiam, quia tales ſerui ſubſunt dominio reali vna cum filijs, ita vt poſſit dominus, pro ſuo libito, eos vel apud ſe retinere, vel alijs vendere, vel etiam à ſe inuicem ſeparare: facta autem illa ſeparatione, ceſſat periculum apoſtaſiæ reſpectu paruulorum & iniuria reſpectu parentum, cùm illi priuentur dominio & iure paterno quod habent in filios, ratione ſeruitutis, iuſta pœna iure gentium introductæ, ad redimendam vitam, qua priuari debebant, iuſto bello capti.

Ne-

Neque huic reſolutioni & doctrinæ contrariatur D. Thomas hic artic. 10. ad 2. & 2. 2. qu. 10. art. 12. ad 3. vt nobis objicit quidam Recentior, in ſua Theologia mentis & cordis pagina 377. nam his locis S. Doctor loquitur de filijs infidelium, qui ſubſunt Principibus Chriſtianis, ſubiectione & ſeruitute duntaxat ciuili & politica; non verò de his, qui ſunt vera eorum mancipia, vt legenti patebit. Nec verum eſt quod prædictus Auctor ibidem aſſerit, nempe Iudæos eſſe vera Principum Chriſtianorum mancipia, eò quòd in mortem Domini nequiter conſpirarint; cùm illi non poſſint eos pro libito occidere, dare, aut vendere, & in quoſcumque vſus voluerint applicare, ſicut Dominus poteſt facere de mancipio; nec hanc authoritatem & poteſtatem vllus Chriſtianus princeps ſibi vnquam arrogauerit. Vnde quando S. Thomas hic quæſt. 68. art. 10. ad 2. ait Iudæos eſſe ſeruos Principum, loquitur tantùm de ſeruitute ciuili & politica; addit enim eos eſſe *ſeruos Principum ſeruitute ciuili, quæ non excludit ordinem iuris naturalis*. Quod repetit 2. 2. qu. 10. art. 12. ad 3. Eodemque modo intelligendus eſt Innocentius III. in cap. *Et ſi Iudæos* extra, *de Iudæis & Saracenis*. Vnde neuter contradicit noſtræ ſententiæ, ſed potiùs eam aſtruit, cùm in prima parte noſtræ reſolutionis dixerimus, non licere inuitis parentibus, baptizare filios eorum infidelium, qui politicè tantùm & ciuiliter ſubſunt principibus Chriſtianis.

CA-

CAPVT VII.

Neceſſitas Baptiſmi.

CAietanus hic quæſt. 68. art. 2. docet, deficiente oportunitate baptizandi paruulos, votum baptiſmi à parentibus, vel ab alijs conceptum, eis ſufficere ad ſalutem, præcipuè cùm aliquo ſigno exteriori. Quod ibidem ſic explicat: *Debet in tali caſu parens ſigno crucis infantem cum inuocatione Trinitatis munire, ſicque Deo offerre morientem, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et ſuper artic. 11. eiuſdem quæſtionis hæc ſcribit: *In articulo vndecimo occurrit ſcribendum & conſequenter dicendum (ſub correctione tamen) paruulos in maternis vteris periclitantes, poſſe ſaluari per Sacramentum baptiſmi, non in re ſed in voto ſuſceptum, cum aliqua benedictione prolis, ſeu oblatione ipſius ad Deum, cum inuocatione Trinitatis.* In eandem ſententiam inclinant Ioannes Gerſon, Cancellarius Pariſienſis, in ſer. de natiuitate B. Virg. habito in Concilio Conſtantienſi, & Gabriel in 4. diſt. 4. quæſt. 2. art. 3. dubio 2. & nonnullos Recentiores eam exiſtimare probabilem, teſtantur Serra hic art. 2. & Caramuel in Theologia fundamentali cap. 7. fundam. 64. Cœteri tamen Theologi illam vt erroneam reijciunt, quia Ioan. 3. lata fuit hæc lex generalis à Chriſto: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*: quando verò conſtat de lege generali, niſi conſtet etiam de priuilegio

gio derogant, nullum cenſetur huiuſmodi priuilegium: Sed non conſtat nobis de priuilegio illo Caietani, derogante legi generali baptiſmi; imò potiùs oppoſitum ex traditione Eccleſiæ, ex Concilijs, & SS. Patribus colligitur: Ergo nullum & fictitium tale priuilegium cenſeri debet. Minor probatur quantum ad ſingulas partes. Et in primis quod tale priuilegium ſit contra traditionem Eccleſiæ, ex eo patet, quod illa nunquam inter ſua membra numerauit infantes, qui baptiſmo fluminis vel ſanguinis renati non eſſent in Chriſto, eiſque mortuis ſemper negauit ſepulturam in loco ſacro. Vnde Auguſtinus de origi. anim. cap. 9. dicit *neminem fieri membrum Chriſti, niſi vel baptiſmate in Chriſto, vel morte in Chriſto*. Quod verò repugnet Concilijs, conſtat ex Florentino in decreto Eugenij, vbi ſic dicitur: *Cùm per primum hominem mors introierit in vniuerſos, niſi ex aqua & Spiritu Sancto renaſcamur, non poſſumus, vt inquit veritas, in regnum cælorum introire.* Et ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 4. vbi deſcribens iuſtificationem impij, ait eſſe translationem à ſtatu in quo homo naſcitur filius iræ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei; *quæ quidem translatio, poſt Euangelium promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt*. Vnde cùm paruuli, vtpote vſu rationis carentes, non ſint capaces voti ſeu deſiderij baptiſmi, manifeſtum eſt eos, iuxta Tridentinum, non poſſe ſine actuali ſuſceptione baptiſmi ſaluari. Idem paſſim docent SS. Patres: Ambroſius enim lib. 2. de Abraham cap. vltimo, explicans verba illa

la Chriſti, *Niſi quis renatus fuerit*, ſubdit: *Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum neceſſitate.* Auguſt. lib. 1. de peccat. meritis cap. 27 *Quoniam de quibus eius eſſe non incipiunt paruuli, niſi per baptiſmum, profecto ſi hoc non accipiunt, peribunt.* Et ibid. cap. 23 *Nulla ex arbitrio noſtro ſalus æterna, præter baptiſmum Chriſti, promittitur infantibus, quam non promittit Scriptura diuina, humanis omnibus rationibus præferenda.* Item lib. 3. de origine animæ: *Noli credere, noli dicere, infantes, antequam baptizentur, peruenire poſſe ad originalium peccatorum indulgentiam, ſi vis eſſe Catholicus.*

Demum S. Thom. hic qu. 68. art. 1. ſic diſcurrit: Non poteſt aliquis ſaluari ſine eo per quod homo incorporatur Chriſto, fitq; ipſius membrum; nullus enim poteſt ſalutem conſequi, niſi per Chriſtum, ac proinde niſi Chriſto incorporetur; quia ſicut per vnius hominis delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem, vt ait Apoſtolus ad Roman. 5. Sed homo per ſolum baptiſmum incorporatur Chriſto: Ergo ſine baptiſmo nullus poteſt ſalutem conſequi.

Obijcies primò cum Caietano: In antiqua lege, cùm puer ante octauum diem, in quo ſolebat fieri circumciſio, periclitabatur, ſufficiebat illi ad ſalutem, remedium ſeu Sacramentum in lege naturæ ordinatum pro ſalute paruulorum, nimirum fides parentum, aliquo ſigno exteriori & ſenſibili manifeſtata, *quod enim* (inquit Gregorius) *apud nos valet aqua ba-*

baptiſmi, hoc egit apud veteres pro paruulis ſola fides. Ergo ſimiliter, imò & à fortiori, poterit in lege Euangelica idem remedium adhiberi paruulis quibus non poteſt applicari baptiſma: alioquin in lege gratiæ eſſet arctata pro paruulis via ſalutis, & difficilior reddita, quam in lege naturæ, vel Moſaica, illique eſſent deterioris conditionis, quam iſti.

Reſpondeo, conceſſo Antecedente, negando conſequentiam & paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quia cùm in lege Moyſis Deus prohibuiſſet circumcidi pueros ante octauum diem, neceſſe erat, vt illis ante illud tempus periclitantibus, aliud remedium relinqueret applicandum, nimirum Sacramentum legis naturæ. Nunc verò quia ſic Sacramentum baptiſmi inſtituit, vt non prohibuerit illud applicare paruulis ſtatim ac in lucem eduntur, non mirum eſt, quod nullum aliud remedium pro ipſis reliquerit. Nec propterea via ſalutis pro paruulis arctata eſt & difficilior reddita, quam in lege naturæ vel Moſaica: Tum quia plures infantes ſaluantur in lege Euangelica, toto orbe diffuſa, quam in lege naturæ, aut Moſaica, quo tempore vera fides in paucis inueniebatur. Tum etiam quia baptiſmus vberiorem gratiam confert, & citiùs ad gloriam perducit. Tum denique, quia aqua, quæ eſt materia baptiſmi, eſt valde communis, & facilius eſt abluere, & quædam verba proferre, quam ſigno ſenſibili adiungere actum fidei ſupernaturalis, qui requirebatur ad remedium legis naturæ. Addo quod tunc non poterat tam multis ſubueniri paruulis, ſicut modò, quia tunc non niſi à fidelibus

Sacramentum pro paruulis inſtitutum adhiberi poterat, nunc verò etiam ab hæreticis, paganis, & infidelibus, baptiſma adminiſtrari poteſt, vt cap. 5. oſtenſum eſt. Vnde abſolutè & per ſe loquendo, conditio paruulorũm non eſt facta deterior, ſed melior: licet per accidens & ſecundùm quid poſſit dici deterior reſpectu eorum, qui ſtatim ab ortu ita ſubitò moriuntur, vt nulla parentum diligentia poſſint baptiſmum recipere.

Obijcies ſecundò, ſi in lege Euangelica nullum daretur remedium pro ſalute paruulorum, quibus non poteſt applicari baptiſma, ſequeretur quod voluntas antecedens, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri, ad illos paruulos non ſe extenderet, ſubindeque quod talis voluntas non eſſet generalis: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Maioris patet, nam per voluntatem illam antecedentem Deus dat media ſufficientia ad ſalutem; alioquin talis voluntas non eſſet vera & ſincera, ſed ficticia & ſimulatoria. Vnde D. Thomas in 1. diſt. 46. qu. 1. art. 1. ait quod *huius voluntatis effectus eſt ordo in finem ſalutis; & premouentia in finem, omnibus communiter propoſita, tam naturalia, quam gratuita*: Ergo ſi Deus in lege Euangelica nullum reliquerit remedium pro ſalute parũulorum, quibus non poteſt applicari baptiſma, illi non comprehenduntur ſub voluntate antecedenti qua vult omnes homines ſaluos fieri.

Vaſquez huius argumenti difficultate oppreſſus, fatetur voluntatem illam antecedentem quam Deus habet de ſalute omnium, par-

uulos illos non comprehendere, ſubindeque Deum illis media ad ſalutem neceſſaria denegare: ſed D. Auguſtinus lib. 4. contra Iulian. cap. 8. docet expreſsè eos ſub tali voluntate comprehendi, & conſtat ex eo quod aliàs Chriſtus omnium paruulorum redemptor non eſſet, cùm illius redemptio non excedat obiectiuè voluntatem generalem quam Deus habet de ſalute hominum, vtpote ex illa imperata.

Meliùs ergo reſpondetur, negando ſequelam Maioris, vt enim voluntas antecedens qua Deus omnium hominum ſalutem deſiderat, & generalis Chriſti redemptio, ad paruulos omnes extendantur, non requiritur quod de facto omnibus contulerit medium ſeu remedium quo peccatum originale in ipſis deleri poſſit, ſed ſufficit quod vniuerſaliter pro omnibus paruulis baptiſmus inſtitutus fuerit, & omnibus oblatus & præparatus, & per merita Chriſti quoad ſufficientiam obtentus. Vnde quando dicitur quod Deus per voluntatem antecedentem, qua vult omnes homines ſaluos fieri, dat omnibus auxilia & media ad ſalutem ſufficientia, diſtinguendum eſt: ſi ly dare accipiatur, prout ſignificat idem quod præparare ſeu offerre in communi, concedendum eſt. Si ly dare accipiatur prout eſt correlatiuum ad accipere, & prout ſignificat ipſam intrinſecam receptionem auxiliorum, vel actualem eorum applicationem, negandum. Non ergo eodem modo omnibus exhibentur media ſufficientia ad ſalutem, ex vi illius voluntatis antecedentis, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri, ſed diuerſimo-

modè. Nos autem diuerſitatem iſtam taliter extendimus, quod aliquibus de facto applicandus prouideatur baptiſmus, illis ſcilicet qui de facto lauacro regenerationis abluuntur: alijs ſolùm vt proximè applicabilis per humanam diligentiam, illis videlicet quibus ob negligentiam hominum non fuit applicatus, Alijs denique, nec vt applicatus, nec vt aliqua diligentia applicabilis, ſed vt pro illis quantùm eſt ex parte Dei inſtitutus, & per merita Chriſti quoad ſufficientiam obtentus; illis nimirum qui in vtero matris moriuntur, quibus nulla humana diligentia applicabilis eſt baptiſmus: tum quia non poſſunt ſubijci operationi miniſtrorum Eccleſiæ, tum quia baptiſmi non ſunt capaces infantes nondum nati, renaſci enim non poteſt niſi natus.

Dices, ſi nullum detur in noua lege pro paruulis in vtero materno morientibus remedium pro peccato originali, humana diligentia applicabile, ſequitur quod meritum Chriſti minus erit, quam Adami demeritum: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela maioris, patet, Adamus enim, mediante propagatione ſeminali, de facto pueros illos in vtero materno morientes inficit, eiſque communicat maculam peccati originalis: Ergo ſi Chriſtus nullum pro ipſis remedium in noua lege præparauerit, ad delendum illud peccatum, eius meritum minus erit demerito Adami.

Reſpondeo hoc argumentum ſolùm probare, meritum Chriſti in actu ſecundo eſſe ſecundùm quid, & quoad extenſionem, ſeu applicationem, ineſſicacius demerito Adami,

quatenus ſcilicet huius peccatum naturali propagatione in omnes de facto transfunditur, & meritum Chriſti ijs tantùm prodeſt quibus per certa media ab eo inſtituta applicatur. Cum quo tamen ſtat; meritum Chriſti eſſe abſolutè efficacius in actu primo, & aliquo modo etiam in actu ſecundo, quatenus non tantùm delet peccatum originale, ſed etiam peccata actualia: item quatenus vi illius quibuſdam conferuntur bona ſupernaturalia, longe maiora ijs quæ Adami demerito fuerunt perdita.

CAPVT VIII.

Effectus Baptiſmi.

TAm varij ac mirabiles ſunt huius Sacramenti effectus, vt meritò Tertullianus lib. de baptiſm. cap. 3. exclamauerit: *Quot prodigia naturæ quot priuilegia gratiæ, quot ſolemnia diſciplinæ, figuræ, præſtructiones, precationes, religionem aquæ ordinauerunt;* Primus & præcipuus eſt remiſſio peccati originalis, & omnium actualium baptiſma præcedentium: per baptiſmum enim Chriſtianus fit nouus homo, creatus in Chriſto Ieſu, ſubindeque nihil in eo remanet de vetuſtate peccati. Vnde Auguſtinus lib. 1. de peccat m eritis cap. 15. *Generante carne tantummodo trahitur peccatum originale regenerante autem ſpiritu, non ſolùm originalium, ſed etiam voluntariorum fit remiſſio peccatorum.*

Igi-

Igitur per baptiſmum projjciuntur in profundum maris omnia peccata noſtra, vt Michæas prædixerat, ſicut olim in mari rubro immerſi & extincti ſunt omnes Ægyptij. Quare Gregorius Magnus lib. 9. epiſt. 39. *Qui dicit peccata in baptiſmate funditùs non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* Et D. Bernardus ſerm. 39. in Cantica, eandem figuram & ſimilitudinem ſeu analogiam baptiſmi cum mari rubro magis explicans, ait: *Ibi populus eductus de Ægypto, hic homo de ſæculo; ibi proſternitur Pharao, hic Diabolus: ibi ſubuertuntur currus Pharaonis, hic carnalia & ſecularia deſideria quæ militant aduersùs animam, obruuntur, illi in fluctibus, iſti in fletibus: marini illi: amari iſti.*

Secundus baptiſmi effectus eſt totiùs pœnæ peccato debitæ plena remiſſio, abſque ſatisfactione, ſubindeque patefactio aditus in regnum cœlorum, abſque dilatione, ſi quis poſt baptiſmum ſine nouo peccato moriatur. De quo effectu Florentinum in decreto Eugenij ſic habet: *Huius Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis: omnis quoque pœnæ quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda eſt ſatisfactio, ſed morientes antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad regnum cœlorum & Dei viſionem perueniunt.* Similiter Ambroſius ad Roman. 11. *Gratia Dei in baptiſmo gratis omnia condonat, & non quærit gemitus aut planctum, aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſſionem.* Ratio etiam ſuffragatur, nam Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit per mo-

dum

dum generationis ſpiritualis, Vnde ſicut in generatione corporali (iuxta probabiliorem Ariſtotelis & D. Thomæ ſententiam) fit reſolutio vſque ad materiam primam, ita vt nullum accidens quod erat in corrupto, maneat in genito: ita & nullum accidens ad generationem ſpiritualem pertinens, debet remanere in homine per baptiſmum regenerato, ſiue quoad culpam, ſiue quoad pœnam. Vnde Chryſoſtomus homil. 24 in Ioan. *In aqua baptiſmi tanquam in ſepulcro caput immergentibus, vetus homo ſepelitur, emergentibus inde homo reſurgit.*

Licet autem per baptiſmum liberetur homo ab omni reatu pœnæ pro culpa debitæ, per illum tamen pœnalitates hujus vitæ non auferuntur, experientia enim conſtat in baptizatis remanere concupiſcentiam, & fomitem peccati, eóſque eſſe obnoxios fami, ſiti, morbis, doloribus, alijſque miſerijs, quibus caput noſtrum Chriſtus obnoxius fuit vſq; ad reſurrectionem ſuam, vt magis illi aſſimilentur, & vt maior in eis ſit corona, ex maioris pugnæ victoria. Vnde Auguſtinus in Enchir. cap. 66. *Videmus paruulos poſt lauacrum regenerationis diuerſorum malorum afflictione cr ciari, vt intelligamus totum quod ſalutaribus agitur Sacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quam ad retentionem vel adeptionem præſentium pertinere.*

Tertius baptiſmi effectus eſt infuſio gratiæ habitualis, & virtutum ac donorum eam concomitantium. Ratio prioris eſt, quia peccatum originale conſiſtit formaliter in priuatione gratiæ habitualis, nobis in origine debitæ,

bitæ, vt in Tractatu de peccatis oſtendimus; vnde cùm nequeat priuatio à ſubiecto tolli, niſi per formam oppoſitam, non poteſt peccatum originale remitti, niſi per infuſionem gratiæ habitualis. Ratio verò poſterioris ſumitur tum ex eo quod virtutes infuſæ ſunt proprietates gratiæ habitualis, ab ea inſeparabiles, vt in Tractatu de virtutibus demonſtrauimus. Tum etiam ex eo quod baptiſmus eſt Sacramentum perfectè regeneratiuum hominis in Chriſto, ſubindeque debet ea omnia conferre quæ ad perfectam regenerationem in Chriſto requiruntur: Atqui ad hanc non ſolùm requiritur gratia habitualis, quæ hominem transfert à ſtatu peccati, in ſtatu adoptionis filiorum Dei, ſed etiam ea quæ eundem reddunt ab intrinſeco potentem ad exercenda omnia ea opera, quæ ſunt propria filiorum Dei: hæc autem ſunt habitûs ſupernaturales fidei ſpei & charitatis, & reliquarum virtutum moralium infuſarum: Ergo hæc omnia per ſe confert baptiſmus. Vnde Proſper de vocat. Gent. cap 18. ait, *Originem veræ iuſtitiæ in regenerationis Sacramento poſitam eſſe, vt vbi homo renaſcitur, ibi etiam ipſarum virtutum veritas oriatur.*

Quartus effectus baptiſmi eſt ius ad auxilia fini eius proportionata, nempe ad ſanctè & chriſtianè viuendum, vt decet filios Dei adoptiuos, Chriſtique fratres, & regni cœleſtis hæredes, iuxta illud Leonis magni Serm. 1. de Natiuit. Chriſti: *Agnoſce ò Chriſtiane dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire.*

Quintus eſt vnio moralis cum Chriſto vt capite, ad participanda ipſius merita, in ordine ad generationem ſpiritualem. Nam vt diſcurrit S. Thomas hic art. 5. *Per baptiſmum aliquis incorporatur Chriſto, quaſi membrum ipſius. Sicut autem à capite naturali deriuatur ad membra ſenſus & motus: ita à capite ſpirituali, quod eſt Chriſtus, deriuatur ad membra eius ſenſus ſpiritualis, qui eſt per gratiæ inſtinctum; vnde Ioan 1. dicitur: vidimus eum plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus.* De hac vnione loquitur Apoſtolus ad Galatas 3. dum ait: *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis* Et ad Roman. 6. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem; vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & in nouitate vitæ ambulemus.*

Sextus baptiſmi effectus eſt character, nam vt ait Florentinum in decreto Eugenij: *Tria ſunt Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id eſt ſpirituale ſignum, imprimunt in anima, indelebile, vnde in eadem perſona non iterantur.* Baptiſmus ergo iterari non poteſt. Primò quia Chriſtianus ea characteris obſignatione indelebili, Deo æternùm conſecratus manet; res verò Deo ſemel conſecrata, cùm ex ipſa conſecrationis natura perpetuò talis maneat, iterata conſecratione non eget. Secundò, quia baptiſmus eſt quædam renaſcentia ſpiritualis; vnde ſicut natiuitas carnalis vnica eſt, ita vnicum debet eſſe baptiſma. Quare Auguſtinus tract. II, in Ioan, *Quomodo vterus non*

po-

poteſt repeti ſic nec baptiſmus. Tertiò, quia baptiſmus eſt figura mortis & reſurrectionis Chriſti, per illum enim morimur peccato, & reſurgimus in nouitatem vitæ, vt conſtat ex verbis Apoſtoli ad Roman. 6. ſupra relatis: Ergo ſicut Chriſtus ſemel tantùm mortuus eſt, & reſurrexit, ita conueniens, eſt vt homo ſemel tantùm baptizetur. Quartò, baptiſmus datur principaliter contra originale peccatum: Ergo ſicut peccatum originale non iteratur, ita non debet iterari baptiſmus. E contra verò, quia pœnitentia eſt remedium contra peccata actualia, quæ ſæpe committuntur, multoties iterari debet.

Præter hos baptiſmi effectus, Chryſoſtomus homil. ad Neophytos, cuius meminit D. Auguſtinus lib. 1. contra Iulian. cap. 6. decem Baptiſmi dotes ſeu priuilegia recenſet, his verbis: *Benedictus qui fecit mirabilia ſolus, qui fecit vniuerſa, & conuertit vniuerſa. Ecce libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captiui; & ciues Eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & iuſtitiæ in ſorte verſantur, qui fuerunt in confuſione peccati. Non enim tantùm ſunt liberi, ſed & ſancti: non tantùm ſancti, ſed & iuſti; non ſolùm iuſti, ſed & filij; non ſolùm filij, ſed & hæredes, non ſolùm hæredes, ſed & fratres Chriſti, nec tantum fratres Chriſti, ſed & cohæredes & membra; non tantum membra, ſed & templum; non tantùm templum ſed & organa ſpiritus. Vide quot ſunt baptiſmatis largitates. Et nonnulli deputant cæleſtem gratiam in peccatorum tantùm remiſſione conſiſtere: nos autem honores computauimus decem.*

CAPVT IX.

Baptiſmi reuiuiſcentia.

Baptiſmus validè ſuſceptus quoad ſubſtantiam, ſed cum obice fictionis, ſiue priuatiuæ, ſiue poſitiuæ (id eſt ortæ ex voluntaria & culpabili omiſſione diſpoſitionis requiſitæ, vel ex actuali affectu ad aliquod mortale) ſublata per pœnitentiam fictione, reuiuiſcit, id eſt eandem gratiam, eiuſdemque gratiæ gradum, baptizato confert, quem reipſa contuliſſet, ſi ſubiectum minimè fictum ſeu indiſpoſitium inueniſſet. Ita communiter docent Theologi, paucis exceptis.

Probatur primò ex Auguſtino de baptiſmo contra Donatiſtas lib. 1. cap. 12. vbi de baptiſmo in ſtatu Schiſmatis, ſeu lethiferæ ſeparationis ab Eccleſia, ſic loquitur: *Qui tamen* (baptiſmus in Schiſmate ſuſceptus) *tunc prodeſt ad remiſſionem peccatorum, cùm quis reconciliatus vnitati, ſacrilegio diſſentionis exuitur, quo eius peccata tenebantur. Sicut enim in illo qui fictus acceſſerat, fit vt non denuò baptizetur, ſed ipſa pia correctione & vera confeſſione purgetur, quod non poſſet ſine baptiſmo, ſed vt quod ante datum eſt, tunc valere incipiat ad ſalutem, cùm illa fictio vera confeſſione receſſerit.* Et rurſus lib. 3. cap. 13. *Tunc incipit valere idem baptiſmus ad dimittenda peccata, cùm ad Eccleſiæ pacem venerint, non vt iam dimiſſa retineantur, neque vt ille baptiſmus quaſi alienus improbetur, aut alter tradatur, ſed vt idem ipſe qui propter diſcordiam*

diam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur ſalutem. Idem docet Auctor ſermonis de paſſione Chriſti inter opera Cypriani, ait enim: *Licet indigni ſint qui accipiunt* (ſcilicet baptiſmum) *tamen vbi redierint ad cor, conſtat ablutionis donum, & redit effectus munerum, nec aliàs quæri aut repeti neceſſe eſt ſalutiferum Sacramentum*.

Dices, Auguſtinus ibi reijcit effectum baptiſmi in Sacramentum reconciliationis: Ergo effectum baptiſmi fictè ſuſcepti, non baptiſmati, ſed pœnitentiæ attribuit, ſubindeque non exiſtimat ipſum baptiſmum ſublata fictione reuiuiſcere. Sed nego conſequentiam, nam ſolùm ijs locis Auguſtinus intendit tunc ſolùm ficto & indigno prodeſſe baptiſma, cùm Deo per pœnitentiam reconciliatur, & ſincera conuerſione ſanatur; quod non impedit quominus tunc homini per pœnitentiam diſpoſito, & poſitum obicem auferenti, baptiſmus ſuum conferat effectum, & gratiam regenerantem impertiat; vnde tunc vtrique baptiſmatis & pœnitentiæ Sacramento datur locus, vt conſtabit ex infra dicendis.

Probatur ſecundò ratione fundamentali: Quando quis fictè ſuſcipit baptiſmum, & poſtea cum attritione confitetur, ſine dubio iuſtificatur, & à peccato originali mundatur: Atqui peccatum originale non poteſt tolli per Sacramentum pœnitentiæ, quod ſolùm pro peccatis actualibus inſtitutúm eſt, ſed duntaxat per Sacramentum baptiſmi, quod inſtitutum fuit in remedium peccati originalis: Ergo illud tunc tollitur per baptiſmum, ſubinde-

deque baptiſmus, recedente fictione, reuiuiſci, ſeu producit ſuum effectum.

Confirmatur: Regeneratio, ſeu prima iuſtificatio, debet fieri per baptiſmum, in re, vel in voto, vt colligitur ex illo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, & ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 4. Sed in caſu poſito, non poteſt fieri per nouum baptiſmum in re, cùm illud ſit interabile, nec per eius votum, cùm talis homo antea illud reipſa ſuſceperit: Ergo debet fieri per reuiuiſcentiam baptiſmi antea validè ſuſcepti.

Confirmatur ampliùs ratione D. Thomæ hic quæſt. 69. art. 10. Quando cauſa eſt ex ſe productiua alicuius effectus, ſi impediatur, eum poſtea producit, amoto obice; ſicut quia in generatione corporis grauis, reſultare debet motus deorſum, ſi motus ille impediatur, reſultat poſtea, ſublato impedimento: Atqui baptiſmus validus ex ſe poſtulat producere gratiam regenerantem: Ergo remota fictione, ſtatim eam producit ex opere operato. Quòmodo autem illam tunc producat, an phyſicè, vel ſolùm moraliter diximus in tractatu de Sacramentis in communi cap. 3. §. 3. vnde ad hunc locum Lectorem remittimus, ne eadem hic inutiliter repetamus.

Obijcies primò: Vt baptiſmus recedente fictione reuiuiſceret, ſeu produceret ſuum effectum, deberet peccatum originale delere: At hoc non præſtat baptiſmus, ſed pœnitentia: Ergo baptiſmus, recedente fictione, non reuiuiſcit. Maior patet, Minor probatur. Gratia per pœnitentiam collata, prius infunditur quam gratia baptiſmi, cùm baptiſmus

in nullum poſſit prorumpere effectum, niſi priùs fictio, gratia per pœnitentiam impetrata, auferatur: Ergo cùm quæuis gratia ſanctificans, ſit cum omni peccato mortali, ſiue originali, ſiue actuali, incompoſſibilis, priùs ſupponit peccatum originale remiſſum per pœnitentiam, quam illud poſſit delere baptiſmus.

Reſpondeo, conceſſa Maiore, negando Minorem, & ad eius probationem, nego Maiorem; gratia enim ab vtroque Sacramento, baptiſmi & pœnitentiæ, in eodem reali inomerto proficiſcitur, ſecundùm diuerſas tamen rationes; nam vt regeneratiua, eſt à baptiſmo; vt ſanatiua, à pœnitentia, mutuo ſeſe iuuantibus his duobus Sacramentis non vtroque independenter ab alio ſuum effectum operante, ſed ſuum effectum ſibi inuicem permittente. Vnde D. Thomas hic art. 10. ad 2. *Ad baptiſmi effectum conſequendum concurrit baptiſmus & pœnitentia: Sed baptiſmus ſicut cauſa per ſe agens, pœnitentia ſicut cauſa per accidens, id eſt remouens prohibens.* Ex quo intelliges, quod quando Sacramentum baptiſmi, recedente fictione per contritionem, vel per Sacramentum pœnitentiæ, incipit habere effectum ſuum, talis ordo reperitur. Priùs natura pœnitentia tollit fictionem, quæ prioritas reducitur ad genus cauſæ materialis & diſpoſitiuæ; tum quia receſſus impedimenti priùs natura intelligitur, quam introductio formæ impeditæ; tum etiam quia receſſus fictionis eſt quaſi diſpoſitio vt baptiſmus habeat ſuum effectum. In ſecundo inſtanti naturæ, baptiſmus remittit pec-

dum generationis ſpiritualis, vnde ſicut in generatione corporali (iuxta probabiliorem Ariſtotelis & D. Thomæ ſententiam) fit reſolutio vſque ad materiam primam, ita vt nullum accidens quod erat in corrupto, maneat in genito: ita & nullum accidens ad generationem ſpiritualem pertinens, debet remanere in homine per baptiſmum regenerato, ſiue quoad culpam, ſiue quoad pœnam. Vnde Chryſoſtomus homil. 24 in Ioan. *In aqua baptiſmi tanquam in ſepulcro caput immergentibus, vetus homo ſepelitur, emergentibus inde homo reſurgit.*

Licet autem per baptiſmum liberetur homo ab omni reatu pœnæ pro culpa debitæ, per illum tamen pœnalitates huius vitæ non auferuntur, experientia enim conſtat in baptizatis remanere concupiſcentiam, & fomitem peccati, eóſque eſſe obnoxios fami, ſiti, morbis, doloribus, alijſque miſerijs, quibus caput noſtrum Chriſtus obnoxius fuit vſq; ad reſurrectionem ſuam, vt magis illi aſſimilentur, & vt maior in eis ſit corona, ex maioris pugnæ victoria. Vnde Auguſtinus in Enchir. cap. 66. *Videmus paruulos poſt lauacrum regenerationis diuerſorum malorum afflictione cruciari, vt intelligamus totum quod ſalutaribus agitur Sacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quam ad retentionem vel adeptionem præſentium pertinere.*

Tertius baptiſmi effectus eſt infuſio gratiæ habitualis, & virtutum ac donorum eam concomitantium. Ratio prioris eſt, quia peccatum originale conſiſtit formaliter in priuatione gratiæ habitualis, nobis in origine debitæ,

bitæ, vt in Tractatu de peccatis oſtendimus; vnde cùm nequeat priuatio à ſubiecto tolli, niſi per formam oppoſitam, non poteſt peccatum originale remitti, niſi per infuſionem gratiæ habitualis. Ratio verò poſterioris ſumitur tum ex eo quod virtutes infuſæ ſunt proprietates gratiæ habitualis, ab ea inſeparabiles, vt in Tractatu de virtutibus demonſtrauimus. Tum etiam ex eo quod baptiſmus eſt Sacramentum perfectè regeneratiuum hominis in Chriſto, ſubindeque debet ea omnia conferre quæ ad perfectam regenerationem in Chriſto requiruntur: Atqui ad hanc non ſolùm requiritur gratia habitualis, quæ hominem transfert à ſtatu peccati, in ſtatu adoptionis filiorum Dei, ſed etiam ea quæ eundem reddunt ab intrinſeco potentem ad exercenda omnia ea opera, quæ ſunt propria filiorum Dei: hæc autem ſunt habitûs ſupernaturales fidei ſpei & charitatis, & reliquarum virtutum moralium infuſarum: Ergo hæc omnia per ſe confert baptiſmus. Vnde Proſper de vocat. Gent. cap. 18. ait, *Originem veræ iuſtitiæ in regenerationis Sacramento poſitam eſſe, vt vbi homo renaſcitur, ibi etiam ipſarum virtutum veritas oriatur.*

Quartus effectus baptiſmi eſt ius ad auxilia fini eius proportionata, nempe ad ſanctè & chriſtianè viuendum, vt decet filios Dei adoptiuos, Chriſtique fratres, & regni cœleſtis hæredes, iuxta illud Leonis magni Serm. 1. de Natiuit. Chriſti: *Agnoſce ò Chriſtiane dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire.*

Quintus eſt vnio moralis cum Chriſto vt capite, ad participanda ipſius merita, in ordine ad generationem ſpiritualem. Nam vt diſcurrit S. Thomas hic art. 5. *Per baptiſmum aliquis incorporatur Chriſto, quaſi membrum ipſius. Sicut autem à capite naturali deriuatur ad membra ſenſus & motus: ita à capite ſpirituali, quod eſt Chriſtus, deriuatur ad membra eius ſenſus ſpiritualis, qui eſt per gratiæ inſtinctum; vnde Ioan 1. dicitur: vidimus eum plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus.* De hac Vnione loquitur Apoſtolus ad Galatas 3. dum ait: *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis* Et ad Roman. 6. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem; vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & in nouitate vitæ ambulemus.*

Sextus baptiſmi effectus eſt character, nam vt ait Florentinum in decreto Eugenij: *Tria ſunt Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id eſt ſpirituale ſignum, imprimunt in anima, indelebile, vnde in eadem perſona non iterantur.* Baptiſmus ergo iterari non poteſt. Primò quia Chriſtianus ea characteris obſignatione indelebili, Deo æternùm conſecratus manet; res verò Deo ſemel conſecrata, cùm ex ipſa conſecrationis natura perpetuò talis maneat, iterata conſecratione non eget. Secundò, quia baptiſmus eſt quædam renaſcentia ſpiritualis; vnde ſicut natiuitas carnalis vnica eſt, ita vnicum debet eſſe baptiſma. Quare Auguſtinus tract. 11. in Ioan. *Quomodo vterus non*

po-

poteſt repeti: ſic nec baptiſmus. Tertiò, quia baptiſmus eſt figura mortis & reſurrectionis Chriſti, per illum enim morimur peccato, & reſurgimus in nouitatem vitæ, vt conſtat ex verbis Apoſtoli ad Roman. 6. ſupra relatis: Ergo ſicut Chriſtus ſemel tantùm mortuus eſt, & reſurrexit, ita conueniens, eſt vt homo ſemel tantùm baptizetur. Quartò, baptiſmus datur principaliter contra originale peccatum: Ergo ſicut peccatum originale non iteratur, ita non debet iterari baptiſmus. E contra verò, quia pœnitentia eſt remedium contra peccata actualia, quæ ſæpe committuntur, multoties iterari debet.

Præter hos baptiſmi effectus, Chryſoſtomus homil. ad Neophytos, cuius meminit D. Auguſtinus lib. 1. contra Iulian. cap. 6. decem Baptiſmi dotes ſeu priuilegia recenſet, his verbis: *Benedictus qui fecit mirabilia ſolus, qui fecit vniuerſa, & conuertit vniuerſa. Ecce libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captiui; & ciues Eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & iuſtitiæ in ſorte verſantur, qui fuerunt in confuſione peccati. Non enim tantùm ſunt liberi, ſed & ſancti: non tantùm ſancti, ſed & iuſti; non ſolùm iuſti, ſed & filij; non ſolùm filij, ſed & hæredes, non ſolùm hæredes, ſed & fratres Chriſti, nec tantum fratres Chriſti, ſed & cohæredes & membra; non tantum membra, ſed & templum; non tantùm templum ſed & organa ſpiritus. Vide quot ſunt baptiſmatis largitates. Et nonnulli deputant cæleſtem gratiam in peccatorum tantùm remiſſione conſiſtere: nos autem honores computauimus decem.*

CAPVT IX.

Baptiſmi reuiuiſcentia.

Baptiſmus validè ſuſceptus quoad ſubſtantiam, ſed cum obice fictionis, ſiue priuatiuæ, ſiue poſitiuæ (id eſt ortæ ex voluntaria & culpabili omiſſione diſpoſitionis requiſitæ, vel ex actuali affectu ad aliquod mortale) ſublata per pœnitentiam fictione, reuiuiſcit, id eſt eandem gratiam, eiuſdemque gratiæ gradum, baptizato confert, quem reipſa contuliſſet, ſi ſubiectum minimè fictum ſeu indiſpoſitum inueniſſet. Ita communiter docent Theologi, paucis exceptis.

Probatur primò ex Auguſtino de baptiſmo contra Donatiſtas lib. 1. cap. 12. vbi de baptiſmo in ſtatu Schiſmatis, ſeu lethiferæ ſeparationis ab Eccleſia, ſic loquitur: *Qui tamen* (baptiſmus in Schiſmate ſuſceptus) *tunc prodeſt ad remiſſionem peccatorum, cùm quis reconciliatus vnitati, ſacrilegio diſſentionis exuitur, quo eius peccata tenebantur. Sicut enim in illo qui fictus acceſſerat, fit vt non denuò baptizetur, ſed ipſa pia correctione & vera confeſſione purgetur, quod non poſſet ſine baptiſmo, ſed vt quod ante datum eſt, tunc valere incipiat ad ſalutem, cùm illa fictio vera confeſſione receſſerit.* Et rurſus lib. 3. cap. 13. *Tunc incipit valere idem baptiſmus ad dimittenda peccata, cùm ad Eccleſiæ pacem venerint, non vt iam dimiſſa retineantur, neque vt ille baptiſmus quaſi alienus improbetur, aut alter tradatur, ſed vt idem ipſe qui propter diſcordiam*

diam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur ſalutem. Idem docet Auctor ſermonis de paſſione Chriſti inter opera Cypriani, ait enim: *Licet indigni ſint qui accipiunt* (ſcilicet baptiſmum) *tamen vbi redierint ad cor, conſtat ablutionis donum, & redit effectus munerum, nec aliàs quæri aut repeti neceſſe eſt ſalutiferum Sacramentum.*

Dices, Auguſtinus ibi reijcit effectum baptiſmi in Sacramentum reconciliationis: Ergo effectum baptiſmi fictè ſuſcepti, non baptiſmati, ſed pœnitentiæ attribuit, ſubindeque non exiſtimat ipſum baptiſmum ſublata fictione reuiuiſcere. Sed nego conſequentiam, nam ſolùm ijs locis Auguſtinus intendit tunc ſolùm ficto & indigno prodeſſe baptiſma, cùm Deo per pœnitentiam reconciliatur, & ſincera conuerſione ſanatur; quod non impedit quominus tunc homini per pœnitentiam diſpoſito, & poſitum obicem auferenti, baptiſmus ſuum conferat effectum, & gratiam regenerantem impertiat; vnde tunc vtrique baptiſmatis & pœnitentiæ Sacramento datur locus, vt conſtabit ex infra dicendis.

Probatur ſecundò ratione fundamentali: Quando quis fictè ſuſcipit baptiſmum, & poſtea cum attritione confitetur, ſine dubio iuſtificatur, & à peccato originali mundatur: Atqui peccatum originale non poteſt tolli per Sacramentum pœnitentiæ, quod ſolùm pro peccatis actualibus inſtitutum eſt, ſed duntaxat per Sacramentum baptiſmi, quod inſtitutum fuit in remedium peccati originalis: Ergo illud tunc tollitur per baptiſmum, ſubin-

deque baptiſmus, recedente fictione, reuiuiſci., ſeu producit ſuum effectum.

Confirmatur: Regeneratio; ſeu prima iuſtificatio, debet fieri per baptiſmum, in re, vel in voto, vt colligitur ex illo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, & ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 4. Sed in caſu poſito, non poteſt fieri per nouum baptiſmum in re, cùm illud ſit interabile, nec per eius votum, cùm talis homo antea illud reipſa ſuſceperit: Ergo debet fieri per reuiuiſcentiam baptiſmi antea validè ſuſcepti.

Confirmatur ampliùs ratione D. Thomæ hic quæſt. 69. art. 10. Quando cauſa eſt ex ſe productiua alicuius effectus, ſi impediatur, eum poſtea producit, amoto obice; ſicut quia in generatione corporis grauis, reſultare debet motus deorſum, ſi motus ille impediatur, reſultat poſtea, ſublato impedimento: Atqui baptiſmus validus ex ſe poſtulat producere gratiam regenerantem: Ergo remota fictione, ſtatim eam producit ex opere operato. Quomodo autem illam tunc producat, an phyſicè, vel ſolùm moraliter diximus in tractatu de Sacramentis in communi cap. 3. §. 3. vnde ad hunc locum Lectorem remittimus, ne eadem hic inutiliter repetamus.

Obijcies primò: Vt baptiſmus recedente fictione reuiuiſceret, ſeu produceret ſuum effectum, deberet peccatum originale delere: At hoc non præſtat baptiſmus, ſed pœnitentia: Ergo baptiſmus, recedente fictione, non reuiuiſcit. Maior patet, Minor probatur. Gratia per pœnitentiam collata, prius infunditur quam gratia baptiſmi, cùm baptiſmus

in

in nullum poſſit prorumpere effectum, niſi priùs fictio, gratia per pœnitentiam impetrata, auferatur: Ergo cùm quæuis gratia ſanctificans, ſit cum omni peccato mortali, ſiue originali, ſiue actuali, incompoſſibilis, priùs ſupponit peccatum originale remiſſum per pœnitentiam, quam illud poſſit delere baptiſmus.

Reſpondeo, conceſſa Maiore, negando Minorem, & ad eius probationem, nego Maiorem; gratia enim ab vtroque Sacramento, baptiſmi & pœnitentiæ, in eodem reali momento proficiſcitur, ſecundùm diuerſas tamen rationes; nam vt regeneratiua, eſt à baptiſmo; vt ſanatiua, à pœnitentia, mutuo ſeſe iuuantibus his duobus Sacramentis non vtroque independenter ab alio ſuum effectum operante, ſed ſuum effectum ſibi inuicem permittente. Vnde D. Thomas hic art. 10. ad 2. *Ad baptiſmi effectum conſequendum concurrit baptiſmus & pœnitentia: Sed baptiſmus ſicut cauſa per ſe agens, pœnitentia ſicut cauſa per accidens, id eſt remouens prohibens.* Ex quo intelliges, quod quando Sacramentum baptiſmi, recedente fictione per contritionem, vel per Sacramentum pœnitentiæ, incipit habere effectum ſuum, talis ordo reperitur. Priùs natura pœnitentia tollit fictionem, quæ prioritas reducitur ad genus cauſæ materialis & diſpoſitiuæ; tum quia receſſus impedimenti priùs natura intelligitur, quam introductio formæ impeditæ; tum etiam quia receſſus fictionis eſt quaſi diſpoſitio vt baptiſmus habeat ſuum effectum. In ſecundo inſtanti naturæ, baptiſmus remittit pec-

cata quæ fuerunt ante ipſum commiſſa; nam infuſio gratiæ regenerantis intelligi nequit, ante receſſum originalis culpæ, & lethalium culparum actualium. In tertio inſtanti naturæ baptiſmus iuſtificat animam per gratiam regenerantem; quia gratia regenerans quæ confertur per baptiſmum, prioritate naturæ præcedit gratiam ſanantem, quæ per pœnitentiam infunditur. In quarto demum pœnitentia iuſtificat hominem per gratiam ſanantem, quia priùs natura eſt generatio in vita ſpirituali per baptiſmum, quam ſanatio per pœnitentiam.

Obijcies ſecundò: Si recedente fictione baptiſmus ſuum ſortiretur effectum, per gratiam baptiſmi remitterentur omnia omnino peccata actualia, ſiue illum antecedentia, ſiue concomitantia, ſiue ſubſequentia: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Maioris videtur manifeſta, gratia enim baptiſmi, cùm totum hominem renouet, & in nouam transferat creaturam, omnem etiam peccati maculam, huic perfectæ innouationi obſtantem, penitus tollit.

Hoc argumentum poſtulat, vt breuiter hic declaremus, quæ peccata remittantur per baptiſmum, recedente fictione: illa autem ſunt triplicis generis, aliqua enim baptiſmum ficte ſuſceptum præcedunt, alia ſunt quæ in ipſa eius ſuſceptione committuntur, alia demum fiunt poſt eius ſuſceptionem. Quantùm ad peccata primi generis, concedunt ferè omnes, præter Scotum & Vaſquez, ea, recedente fictione, per ipſum baptiſma remitti, non verò per Sacramentum pœnitentiæ; quia per

iſtud

iſtud facramentum remittuntur tantùm eã peccata quæ cadunt ſub iuriſdictione Eccleſiæ: Peccata autem ante baptiſmum commiſſa, ſub iuriſdictione Eccleſiæ non cadunt; ſicùt enim Eccleſia non habet poteſtatem ſiue iuriſdictionem ſuper hominem nondum baptizatum, ita neque ſuper peccata quæ ante ſuum baptiſmum commiſit. Ob eandem rationem multi exiſtimant, peccata quæ in ipſa baptiſmi ſuſceptione committuntur, non remitti per pœnitentiam, ſed per baptiſmum, recedente fictione, quia iſta pariter, cùm ſint peccata hominis nondum baptizati, non ſubduntur clauibus & iuriſdictioni Eccleſiæ. Et hæc ſententia videtur valde probabilis, non ſolùm ob rationem allegatam, ſed etiam propter auctoritatem D. Thomæ qui ei apertè videtur fauere hic artic. 10. ad 2. vbi ſic ait: *Fictio non remouetur per baptiſmum, ſed per pœnitentiam ſubſequentem, qua remota, baptiſmus aufert culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium, & etiam ſimul exiſtentium cum ipſo.*

Nec valet ſi dicas, eo inſtanti quo quis characterem & baptiſmum recipit, eſſe verè Chriſtianum, & ſubditum Eccleſiæ, ſubindeque, peccatum eo inſtanti ab illo commiſſum, ſubijci clauibus & iuriſdictioni illius; ſicut quia eo inſtanti quo Nouitius emittit vota religionis, eſt verè Religioſus; ſi in eodem inſtanti conſentiat turpi cogitationi, committit ſacrilegium. Non valet, inquam, nam licet eo inſtanti quo quis baptiſmi Sacramentum ſuſcipit, ſit Chriſtianus initiatiuè & in fieri, non tamen completè & in facto eſſe,

ſicut in eo inſtanti quo Nouitius votum emittit, non eſt profeſſus, nec religioſus complete & in facto eſſe, ſed tantùm incompletè & in fieri; vnde ſi in eo inſtanti turpi cogitationi conſentiat, non peccat peccato ſacrilegij, quia non eſt adhuc perſona ſacra, & voto caſtitatis Deo dicata, ſed ſolùm in fieri & tendentia ad illud.

Quantùm ad peccata poſt baptiſmum fictè ſuſceptum commiſſa, nulla eſt difficultas; cùm enim ea ſubijciantur clauibus Eccleſiæ, manifeſtum eſt, ea non per baptiſmum, ſed per pœnitentiam remitti. Vnde D. Thomas hic art. 10. ad 3 *Effectus baptiſmi non eſt tollere peccata futura, ſed præſentia, vel præterita; ideo, recedente fictione, peccata ſequentia remittuntur quidem, ſed per pænitentiam, non per baptiſmum: vnde non remittuntur quantùm ad totum reatum* (pœnæ) *ſicut peccata præcedentia baptiſmum.*

Dices, licet Sacramentum pœnitentiæ non ſit inſtitutum ad delenda peccata non confeſſa, tamen per concomitantiam remittit etiam illa quæ ex obliuione inculpabili non ſunt confeſſa. Item licet Euchariſtia non ſit per ſe inſtituta ad delendum peccatum cum ſola attritione, illud tamen interdum remittit per accidens, in eo qui exiſtimans ſe eſſe contritum, accedit ad illud Sacramentum: Ergo ſimiliter, licet baptiſmus non ſit per ſe inſtitutus ad remittenda peccata quæ poſt eius ſuſceptionem committuntur, interdum tamen per accidens ea remittere poterit.

Reſpondeo, conceſſo Antecedenti, negando conſequentiam, quia nullum Sacramen-

tum habet vim ad remittenda peccata, poſt eius ſuſceptionem commiſſa, neque directè, neque indirectè; ſunt enim Sacramenta medicinæ curatiuæ præcedentium peccatorum, & præſeruatiuæ tantùm reſpectu ſubſequentium. Vnde nego paritatem, peccatum enim oblitum in confeſſione, ſupponitur commiſſum ante ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ; & ſimiliter Euchariſtia non facit de attrito contritum, niſi reſpectu peccati ante ſuſceptionem talis Sacramenti commiſſi.

Ex dictis colligitur, baptiſmum, recedente fictione, remittere non ſolùm peccata mortalia, ſed etiam venialia, ante eius receptionem, vel in actuali eius ſuſceptione commiſſa; quia gratia illa quæ datur recedente fictione, tam verè eſt regeneratiua, ac ſi eſſet data in præſentia baptiſmi; & ideò, quantùm eſt de ſe, omnino tranſmutat hominem, & delet omnem maculam vitæ præteritæ.

Quæres primò, quæ diſpoſitio ſufficiat ad tollendam fictionem, vt baptiſmus habeat effectum?

Reſpondeo ad baptiſmi reuiuiſcentiam in eo qui acceſſit cum fictione merè priuatiua (id eſt orta ex inuoluntaria & inculpabili omiſſione diſpoſitionis neceſſariæ) nec vllum poſtea mortale admiſit, ſufficere attritionem; quia eo caſu nullus eſt obex efficaciæ baptiſmi, præter meram carentiam diſpoſitionis ab initio requiſitæ, ac proinde hac diſpoſitione poſita (quæ in baptiſmo non debet eſſe neceſſariò contritio, ſed ſufficit ſola attritio, vt cap. 6. declarauimus) baptiſmus operatur, ſicut ab initio operatus fuiſſet. In eo verò qui

acceſſit cum fictione poſitiua (id eſt cum actuali affectu ad aliquod peccatum mortale) requiritur contritio, vel attritio, cum Sacramento pœnitentiæ; quia peccatum illud non poteſt tolli, in vi ipſius baptiſmi: Ergo vt tollatur, non ſufficit ſola attritio, ſed neceſſariò requiritur contritio, vel attritio cum Sacramento pœnitentiæ. Conſequentia patet, Antecedens probatur: cùm talis fictio & peccatum, vt ſuppono, continuetur etiam in illo inſtanti in quo baptiſmus habere deberet ſuum effectum (quod in ſententia Thomiſtarum, eſt inſtans extrinſecè terminatiuum illius) ſubſequitur ipſum baptiſmum: Sed peccata baptiſmum ſubſequentia, cùm ſint ſubiecta clauibus Eccleſiæ non remittuntur ex vi baptiſmi, ſed ſolùm per contritionem includentem votum Sacramenti pœnitentiæ, vel per attritionem cum Sacramento: Ergo talis fictio & peccatum, non poteſt tolli vel remitti, ex vi ipſius baptiſmi, ſed ſolùm per contritionem, vel attritionem, cum Sacramento pœnitentiæ.

Quæres ſecundò, an alia Sacramenta fictè ſuſcepta, recedente fictione, producant ſuos effectus?

Reſpondeo id videri certum, non ſolùm de baptiſmate, ſed etiam de alijs duobus Sacramentis, imprimentibus characterem, nimirùm ordine & confirmatione; quia cùm illa Sacramenta ſint initerabilia, eſt in illis ſpecialis neceſſitas, quod ſortiantur ſuum effectum, recedente fictione; aliàs enim qui fictè illa ſuſciperent, manerent in perpetuum priuati effectu proprio illorum, & tamen debe-

berent obire munia ad quæ obligantur, ex vi characteris, v. g. conſtanter profiteri fidem, & actus hierarchicos rectè exercere, quod videtur inconueniens, & ſuauitati diuinæ prouidentiæ planè repugnans.

Ob eandem rationem probabile videtur & congruum, idem priuilegium Extremæ Vnctioni & matrimonio conuenire; quia licèt hæc duo Sacramenta non ſint ſimpliciter initerabilia, ſicut ea quæ imprimunt characterem, ſunt tamen initerabilia ſecundùm quid; matrimonium enim iterari non poteſt, viuente altero coniuge, nec Extrema Vnctio, in eodem ſtatu infirmitatis: Ergo ne ille qui fictè ad Sacramentum matrimonij acceſſit, toto tempore vitæ careat gratia huius Sacramenti, ſibi maximè neceſſaria ad debitè & honeſtè viuendum in vinculo coniugali; & ne ſimiliter infirmus qui cum fictione Sacramentum Extremæ-Vnctionis recepit, in illa vltima lucta careat gratia Sacramentali, & iure ad ſpecialia auxilia, ad vincendas vehementiores Dæmonum tentationes, quæ tunc occurrunt, maximè neceſſaria; videtur conueniens quod etiam hæc duo Sacramenta, fictè ſuſcepta, reuiuiſcant, & ſublata fictione, ſuos operentur effectus.

Reſtat ergo ſolùm difficultas de duobus alijs Sacramentis, Eucharistia nimirum & Pœnitentia, an reuiuiſcant, & ſublata fictione, ſuos operentur effectus? De primo negat expreſsè D. Thomas in 4 diſt. 4. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 3. ad 3. de altero verò id affirmat ibidem diſt. 17. qu. 3. art. 4. & habetur qu. 9. ſupplementi artic. 1. vbi ſic ait:

Con-

Confeſſio poteſt eſſe in eo qui non eſt contritus, quia poteſt peccata ſua pandere Sacerdoti, & clauibus Eccleſiæ ſubijcere; & quamuis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, ſicut etiam in alijs Sacramentis eſt: vnde non tenetur iterare confeſſionem qui fictus accedit, ſed tenetur poſtmodum fictionem ſuam confiteri.

Hæc tamen reſolutio & doctrina diſplicet cuidam recentiori Thomiſtæ, vnde dicit in ſua Theologia mentis & cordis, illam aliquo egere temperamento, & benigna interpretatione, ex eodem S. Doctore deprompta, & contra illam obijcit primò, quod D. Thomas loco citato vbi docuit pœnitentiam, recedente fictione, producere ſuum effectum, ſubdit: *Sicut etiam eſt in alijs Sacramentis*: Ergo cenſet vniuerſaliter omnia alia Sacramenta, ſubindeque etiam Euchariſtiam, recedente fictione reuiuiſcere, & producere ſuos effectus. Secundò, Pœnitentia non eſt diuino Euchariſtiæ Sacramento efficacior: Ergo non debet illi concedi quod iſti denegatur, vel iſti denegari quod illi conceditur. Tertiò, ſi verba D. Thomæ, prout ſonant, & nudè, ac ſuperficie tenus acciperentur, ſequeretur, planè, confeſſionem ſacrilegam, id eſt ſine contritione & nouæ vitæ ſincero propoſito peractam, non eſſe iterandam, ſed ſuum recedente fictione effectum operaturam: quod & vniuerſæ S. Thomæ doctrinæ & communi Theologorum ſententiæ, atque ipſis Catholicæ pietatis ſenſibus repugnat.

Verùm hæc nimis leuia ac friuola ſunt, vt cogant nos à mente & doctrina S. Doctoris re-

recedere, vel eam falſa aliqua interpretatione emollire, vel dicere cum illo Recentiore, hæc à D. Thoma adhuc iuniore ſcripta fuiſſe. Vnde ad primum reſpondeo cum Melchiore Cano, D. Thomam non dixiſſe, *in omnibus Sacramentis*, ſed *in alijs Sacramentis*: quare ſolùm vult, quod, præter pœnitentiam, alia quædam ſunt Sacramenta, quæ recedente fictione producunt ſuum effectum, non tamen omnia, cùm Euchariſtiam nominatim excipiat loco à nobis citato.

Ad ſecundum, conceſſo Antecedente, nego conſequentiam; hoc enim priuilegium non denegatur Euchariſtiæ, ob defectum actiuitatis, perfectionis, vel excellentiæ, ſed potiùs ob ſummam eius perfectionem & excellentiam, quæ exigit vt homines cùm maxima cautela & diligentia ad illam accedant. Præterquam quod, hoc inter Euchariſtiam & alia Sacramenta verſatur diſcrimen, quod alia Sacramenta, vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid, ſunt initerabilia, vt ſupra diximus; aut ſaltem omnino neceſſaria, vt pœnitentia, ſine qua nullum peccatum poſt baptiſma commiſſum poteſt remitti: Euchariſtia verò nec eſt initerabilis ſimpliciter, ſicut Sacramenta quæ imprimunt characterem; nec ſecundùm quid, ſicut extrema vnctio & matrimonium; nec ita neceſſaria, ſicut pœnitentia.

Ad tertium nego ſequelam, nam D. Thomas loco citato non loquitur de confeſſione ſacrilega, ſed de confeſſione valida, ſed informi (quam dari poſſe in Tractatu de pœnitentia oſtendemus) hæc enim non eſt iteranda, cùm habeat omnia ad Sacramentum pœnitentiæ

tiæ eſſentialiter requiſita, & ſuum, recedente fictione, producat effectum.

CAPVT X.

De Baptiſmo, Flaminis, & Sanguinis.

TRia Baptiſmata diſtinguunt Theologi cum S. Thoma hic qu. 66. art. 11. fluminis, flaminis, & ſanguinis: Baptiſmus fluminis eſt ordinarium baptiſmi Sacramentum, in aqua ſub trita verborum forma peractum. Baptiſma flaminis eſt perfecta in Deum conuerſio, includens votum baptiſmi. Baptiſmus ſanguinis eſt martyrium pro Chriſto perpeſſum. Hæc tria baptiſmata non ſunt tria Sacramenta, quia duo poſtrema non fiunt accedente verbo, ſed vicem tantùm Sacramenti ſupplendo, per cordis contritionem, & ſanguinis pro Chriſto effuſionem; vel vt loquitur gloſſa ordinaria, *quia ſic mundatur homo à peccatis per pœnitentiam, vel ſanguinis effuſionem, ſicut per lauacrum.* De baptiſmo fluminis capitibus præcedentibus diſſeruimus, vnde pauca nobis hic dicenda ſunt de baptiſmo flaminis, & ſanguinis.

Dico ergo primò, baptiſmum flaminis ſupplere defectum baptiſmi Sacramentalis, quoad peccatorum remiſſionem, & gratiæ infuſionem, ſubindeque quoad pęnæ æternæ condonationem; non tamen ſemper quoad totius pœnæ temporalis relaxationem, & nunquam quoad characteris impreſſionem.

Pri-

Prima pars probatur: Baptiſmus flaminis eſt perfecta contritio, vel dilectio, includens votum baptiſmi: Sed hæc remittit peccatum & confert gratiam, vt definit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. Ergo & baptiſmus flaminis. Vnde ſeſſ. 6. cap. 4. ait quod *Translatio ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius primi Adæ in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, poſt Euangelium promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut eius voto, fieri non poteſt* Quibus ſupponit iuſtificationem, quæ remiſſionem peccatorum & gratiæ infuſionem importat, non ſolùm fieri per baptiſmum fluminis, ſed etiam flaminis, includens votum baptiſmi. Vnde Actor. 10. Cornelius vir iuſtus ac timens Deum, alijque antequam baptizarentur, Spiritu Sancto repleti ſunt, & Ambroſius de Valentiniano, qui Catechumenus mortuus eſt ait: *Quem regeneraturus etiam, amiſi: veruntamen ille gratiam quam popoſcit non amiſit.* Hinc D. Bernardus epiſt. 77. expendens verba illa ſaluatoris: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*, aduertit Chriſtum non addidiſſe: *Qui baptizatus non fuerit, condemnabitur*, vt ſignificaretur, abſque baptiſmo re ſuſcepto, poſſe quempiam baptiſmi voto in neceſſitate ſaluari. Vnde S. Thomas hic qu. 68. art. 2. ſic ait: *Poteſt ſacramentum baptiſmi alicui deeſſe re, ſed non voto; ſicut cùm aliquis baptizari deſiderat, ſed aliquo caſu præuenitur morte, antequam baptiſmum ſuſcipiat. Et talis ſine baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt, propter deſiderium baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectio-*

ctio-

ctionem operante, per quam Deus interiùs hominem ſanctificat, cuius potentia ſacramentis viſibilibus non alligatur. Ex quibus patet, regulam illam generalem: *Niſi quis renatus &c.* intelligendam eſſe de baptiſmo vel in re vel in voto. Similiter cùm Patres interdum aſſerunt non niſi ſuſcepto baptiſmo peccata dimitti poſſe, vel loquuntur de eo quod regulariter & ordinariè fit, vel in eos inuehuntur, qui data opportunitate baptiſmum recipere negligunt, vel vt liberiùs vitijs indulgeant, illud vſque ad finem vitæ reijciunt. Vnde Auguſtinus lib. 4 de baptiſmo cap. 25. *Conuerſio cordis poteſt quidem ineſſe non ſuſcepto baptiſmo, ſed contempto baptiſmo non poteſt: nec vllo modo dicenda eſt conuerſio cordis ad Deum, Dum ſacramentum contemnitur.*

Secunda pars negatiua, quoad totius pœnæ temporalis relaxationem, manifeſta eſt, ſæpè enim contritio non attingit illum perfectionis gradum, quod contritus mereatur totius pœnæ temporalis condonationem. Cùm enim condonatio pœnæ temporalis, in quam virtute iuſtificationis commutatur æterna, in contritione fiat per modum condignæ ſatisfactionis, nec omnis contritio ſit condigna & adæquata ſatisfactio pro tota pœna temporali, non ſemper ſupplet vicem baptiſmi, quoad relaxationem totius pœnæ temporalis. Vnde D. Thomas hic qu. 68. art. 2. ad 2. *Si quis catechumenus ſit habens deſiderium baptiſmi, talis decedens non ſtatim peruenit ad vitam æternam, ſed patietur pœnam pro peccatis præteritis, ipſe tamen ſaluus erit ſic quaſi per ignem, vt dicitur 1. Corinth. 3.* Hinc Ambro-

ſius

ſius de obitu Valentiniani: *Pio* (inquit) *requiem eius poſcamus affectu. Animam piam noſtris oblationibus proſequamur.*

Tertia denique pars, nempe quod baptiſmus flaminis non ſuppleat effectum baptiſmi ſacramentalis, quoad impreſſionem characteris, conſtat ex eo quod hic non imprimitur niſi à ſacramento; alioquin ſola contritione iuſtificatus, non teneretur, imò nec deberet baptiſmum ſuſcipere, cùm hoc ſuſcipi non poſſit ab illo qui characterem baptiſmi habet, eſt enim initerabile ratione characteris. Vnde catechumeni per baptiſmum flaminis iuſtificati, tenentur baptiſmum ſacramentalem ſuſcipere, vt characterem recipiant, Eccleſiam ingrediantur, & fiant corporis eius membra, & aliorum ſacramentorum participes. Ideoque Actor. 10 illi qui ante baptiſmum aquæ receperant abundanter Spiritum Sanctum, fuerunt tamen iuſſu Petri baptizati. Similiterque Martyres debent ante martyrij conſummationem baptizari, ſi poſſint. Vnde S. Romanus, ſtatim pro Chriſto occidendus S. Laurentium his verbis ſollicitauit: *Feſtina me Baptizare.* Imò ſi ad vitam reuocarentur poſt martyrium, deberent baptizari; quia ſicut baptiſma flaminis non ſupplet defectum baptiſmi Sacramentalis, quoad impreſſionem characteris, ita nec baptiſma ſanguinis, quod characterem quidem ſacrum & honorabilem imprimit in Martyrum membris, in quibus pro Chriſto vulnera acceperunt, ſed non in eorum anima illud ſpirituale ſignaculum cauſat, quod eſt effectus proprius baptiſmi Sacramentalis.

Dico

Dico ſecundò, baptiſmum ſanguinis, ſeu martyrium, habere vim iuſtificandi paruulos ex opere operato. Ita communiter docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. qu. 124. art. 1. & quodlib. 6. art. 6. & in 4. quæſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 3. vbi ſic habet: *Sicut in baptiſmo aquæ liberatur homo ab omni culpa præcedente & pæna, ita in Baptiſmo ſanguinis*. Et in reſp. ad 1. *Baptiſmus ſanguinis non habet hoc tantùm ex opere operantis, ſed hoc habet ex imitatione paſſionis Chriſti, & ideò pueri, quamuis liberum arbitrium non habeant, ſi occidantur pro Chriſto, in ſuo ſanguine baptizati ſaluantur*.

Patet etiam hæc veritas ex vniuerſali Eccleſiæ traditione, quæ indiſcriminatim infantes omnes ab Herode propter Chriſtum occiſos, ſemper coluit vt Sanctos & veros martyres, vt oſtendit Baronius anno Chriſti 58. numer. 37. & inſinuat Origenes homil. 3. in diuerſos vbi ait: *Benè ergo & ſecundùm voluntatem Dei eorum memoriam SS. Patres celebrati mandarunt ſempiternam in Eccleſijs velut pro Domino morientium*. Cùm enim hic Pater proximus vixerit tempori Apoſtolorum circa annum ducenteſimum, per SS. Patres, alios intelligere non potuit, quam Apoſtolos, vel eorum immediatos ſucceſſores. Si autem cauſa ſalutis horum infantium, non fuiſſet ſanguinis pro Chriſto effuſio, ſed ſola circumciſio, cùm hæc non fuerit omnibus applicata (nempe ijs qui ad octauum diem nondum peruenerant, vel qui erant Gentilium filij, qui ſimul cum Iudæis habitabant) non potuiſſet Eccleſia omnes indiſcriminatim vt ſanctos

colere, imò neque vt martyres venerari, ſiquidem eos non martyrium, ſed ſola circumciſio ſanctos effeciſſet: Ergo baptiſmus ſanguinis ſeu martyrium habet vim iuſtificandi paruulos ex opere operato.

Nec dici poteſt, infantes ab Herode occiſos, non virtute martyrij, ſed ex ſpeciali priuilegio facto ipſorum perſonis, quod proinde ad alios extendi non debet, ſaluos factos fuiſſe. Nam totam cauſam ſalutis horum paruulorum SS. Patres referunt in mortem pro Chriſto paſſam, illamque comparant cum lauacro baptiſmi, qui ex ſe vim habet iuſtificandi à peccatis. Ait enim Auguſtinus lib. 3. de ſymbolo ad Catechum. cap. 4. *Præſtitit eis Chriſtus vt pro Chriſt morerentur: præſtitit vt ſuo ſanguine ab originali peccato mundarentur.* Bernardus ſerm. in Natali Innocentium. *An vero de Innocentium coronis quis dubitet? Ille pro Chriſto trucidatos infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Chriſto non credit inter adoptionis filios numerari.* Et Auctor de ſtella, & Magis, & nece Innocentium inter opera Cypriani: *Hi nuper cruore lacteo loti, primitias baptiſmi martyrio conſecrarunt, tradentes poſteris formam, vbi neceſſitatis articulus excluſerit moram, non minus ad lauacrum animæ ſanguinem efficacem: quam ſanctificatas verbis ſolemnibus aquas.*

Ex his colligitur primò, quæ de infantibus ab Herode occiſis dicta ſunt, dicendum eſſe de cæteris, qui ob ſimilem cauſam occiſi ſunt, vel occidentur. Tum quia infantes ab Herode propter Chriſtum occiſi, non habuerunt ex ſpeciali priuilegio facto illorum

per-

perſonis, quod iuſtificati & ſaluati fuerint per martyrium, vt iam oſtendimus. Tum etiam, quia ſi po uit mors in odium Chriſti illius infantibus illata, eos abſque circumciſione ab originali iuſtificare; illa pariter ab eodem originali abſque baptiſmo poterit alios infantes iuſtificare. Nec refert quod infantibus non videatur conuenire illa Chriſti promiſſio Matth 10. *Omnis qui confitebitur me, &c* Illi enim ſuo modo confitentur Chriſtum, non lingua, ſed ſanguine, nec loquendo, ſed moriendo, vt de ſanctis innocentibus canit Eccleſia.

Colligitur ſecundò, infantes qui in vtero cum ipſa matre propter Chriſtum trucidantur, laureolam martyrij conſequi, non minùs ac eos qui excluſi ab vtero matris, pro Chriſto interficiuntur. Nec valet ſi dicas, quod ſicut infantes qui in vtero matris extinguuntur, non ſunt capaces baptiſmi fluminis, ita nec baptiſmi ſanguinis. Non enim eadem eſt ratio de iſto baptiſmate ac de alio: aqua enim non poteſt contingere infantem intra matris vterum clauſum, ſicut illum contingere poteſt mors propter Chriſtum illata; illeque, licet non poſſit ſubijci operationi miniſtrorum Eccleſiæ, bene tamen gladio & ferro hoſtium Chriſti vel Eccleſiæ.

Dico tertiò: martyrium, etiam in adultis, inquantum eſt quædam ſimilitudo & imitatio paſſionis Chriſti, ex ſingulari priuilegio, & ſpeciali promiſſione ipſius, habet vim iuſtificandi & conferendi primam gratiam, ex opere operato, etiam ſecluſo actu charitatis illud antecedente, vel imperante.

Pro-

Probatur prima pars ex SS. Patribus aſſerentibus martyrium ſuccedere loco baptiſmi, eandemque aut maiorem habere virtutem & efficaciam ad abluenda peccata. Ita Clemens lib. 5. Conſtit. Apoſt. cap. 7. vbi ſic ait: *Etſi catechumenus ſit, lætus diſcedat, paſſio enim quam pro Chriſto ſuſtinet, cedet ei in veriorem baptiſmum &c.* Cyprianus epiſt. 73 *Nunquid poteſt vis baptiſmi eſſe maior, quam confeſſio, quam paſſio, vt quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſuo ſanguine baptizetur?* Auguſtinus 13 de ciuit. cap. 7. *Quicumque non percepto regenerationis lauacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis.* Idem ſub iiſdem verbis habet Proſper in libro ſententiarum ſent. 149. Atqui baptiſmus iuſtificat & gratiam confert, non ſolùm paruulis, ſed etiam adultis, ex opere operato: Ergo & martyrium. Vnde S. Thomas in 4. ad Annib. diſtinct. 4. quæſt. vnica art. 4. ad 3. *Baptiſmus ſanguinis non habet ſupplere effectum baptiſmi fluminis ex opere operante, ſicut obijciebatur, ſed ex imitatione paſſionis Chriſti.*

Confirmatur: Martyrium remittit omnem pœnam, idque ex opere operato: Ergo & omnem culpam. Conſequentia patet, nulla enim eſt aſſignabilis ratio cur primum potiùs quàm ſecundum tribuatur martyrio. Antecedens probatur ex Innocentio III. cap. *cum Marthæ* de celebrat. Miſſar. vbi ait: *Iniuriam facit Martyri qui orat pro Martyre:* Si autem non omnis pœna virtute martyrij remitteretur Martyri, poſſet Eccleſia pro Martyre

tyre orare, vt à pœna quam in Purgatorio pateretur, liberaretur. Hanc verò totiùs pœnæ remiſſionem martyrium ex opere operato conferre, ex eo conſtat quod ſæpe quoad acerbitatem non eſt proportionatum pœnæ, quam Martyr ob peccata commiſſa promeruit; poteſt enim contingere quod Martyr grauiſſima commiſerit crimina, & ictu leuiſſimo intereat, vt cùm inſtantaneo capitis ictu mortem priùs ſubit quàm ſentiat, vel cum globulo tormenti bellici percuſſus, breuiſſimè moritur. Vnde D. Thomas in 4. diſt. 4. qu 3. art. 3. quæſt iunc. 3. ad 2. cauſam huius virtutis & efficaciæ quam habet Martyrium remittendi omnem pœnam, refert ad paſſionem Chriſti, cuius eſt imitatio & ſimilitudo, ait enim: *Quamuis illa pæna in ſe conſiderata, non eſſet ſufficiens ad liberandum ab omni pæna peccati, tamen relata ad cauſam paſſionis, accipit efficaciam à paſſione Chriſti, cui aliquis per talem pænam conformatur; & ex hoc ab omni pæna abluere poteſt.*

Probatur ſecundò eadem pars: Martyrium habet vim iuſtificandi paruulos ex opere operato, vt præcedenti concluſione oſtendimus: Ergo & adultos. Conſequentia patet, tum quia verba illa Chriſti, *Qui me confeſſus fuerit*, quibus gratia aut vita æterna morientibus pro Chriſto promittitur, primariò dicta ſunt ad adultos, qui non ſolùm opere, ſicut infantes, ſed etiam ore Chriſtum confiteri poſſunt. Tum etiam, quia vis ſalùandi paruulos non conueni martyrio, ex priuilegio ætati conceſſo, ſed morti; quia nimirum mors Martyris eſt realis imitatio paſſionis & mortis Chriſti,

vt

vt docet D. Thomas locis ſupra citatis : Sed idem habet in adultis mors pro Chriſto tolerata, vt patet: Ergo ſi martyrium habet vim iuſtificandi paruulos ex opere operato, illam etiam habet iuſtificandi adultos, ſubindeque illos reddendi de attritis contritos, ſicut præſtant Sacraměta baptiſmi & pœnitentiæ, quod hoc exemplo declarari poteſt. Sit aliquis peccator, qui inopinatò ad martyrium ſtatim rapiatur : conetur iſte ad actum contritionis eliciendum, & illum non attingat, ſed loco eliciat actum attritionis, ita tamen vt moraliter putet ſe elicuiſſe actum contritionis, nec illi per tempus liceat maiorem diligentiam adhibere, cùm debeat tyranno de fide illum interroganti reſpondere, eiuſque inſultus ſuſtinere, ac contra tormentorum vim & mortis acerbitatem ſe munire. Quæro, an ille cum ſolo actu attritionis ſaluabitur, aut non? Si primum, habetur intentum, nempe martyrium ex attrito reddere martyrem contritum. Secundum difficile eſt creditu, nec diuina clementia dignum; nam etſi iſte non fecerit quantum potuit, fecit tamen quantùm moraliter putauit ſe poſſe facere.

Ex his probata manet ſecunda pars concluſionis, nimirum quod martyrium in adultis, habeat vim iuſtificandi, etiam ſecluſo actu charitatis illud antecedente, ſeu imperante. Si enim non iuſtificaret niſi ex vi actus charitatis ipſum imperantis, non iuſtificaret ex opere operato, ſed operantis, neque haberet vim remittendi omne peccatum, inquantum eſt ſimilitudo & imitatio paſſionis Chriſti, ſed inquantum eſt dilectio Dei; nec vnquam ſe-

ipſo immediatè culpam deleret, ſed per contritionem vel charitatem deletam præſupponeret, ſubindeque nunquam redderet hominem de attrito contritum, nec vnquam cauſaret primam gratiam, ſed tantùm ſecundam; vnde non verè diceretur à SS. Patribus ſuccedere baptiſmo, eiuſque vim & efficaciam adæquare vel antecellere. Demum ſi martyrium ſuam efficaciam iuſtificandi à peccatis, ſortiretur à ſolo actu charitatis ipſum imperante, non diſtingueretur à baptiſmo flaminis, nam hic etiam vim iuſtificandi à peccatis habet ab actu charitatis vel contritionis.

Obijcies primò contra primam partem tertiæ concluſionis. Si martyrium gratiam conferret ex opere operato, eſſet verum nouæ legis Sacramentum, eſſet enim ſignum rei ſacræ ſanctificantis homines: Conſequens eſt falſum vt docet S. Thomas hic qu. 66. artic. 11. ad 2. Ergo & Antecedens.

Reſpondeo negando ſequelam maioris, vt enim martyrium eſſet Sacramentum nouæ legis, deberet eſſe à Chriſto inſtitutum vt conferret gratiam quam ſignificaret; at hoc ei non competit, vt docet D. Thomas loco citato. Inſuper deberet eſſe remedium quo homo via ordinaria vti non poſſet, cùm vellet, in ſuam vtilitatem & ſanctificationem, quod etiam nō conuenire martyrio manifeſtum eſt. Item vt haberet rationem veri Sacramenti, deberet eſſe inſtrumentum Dei ad cauſandam gratiam, quod etiam ei non competit; eſt enim ſolùm conditio quædam, qua poſita Deus infallibiliter confert gratiam, ratione ſuæ promiſſionis & repræſentationis ſeu imitationis paſ-

paſſionis Chriſti præteritæ, vel futuræ. Quod addo, quia martyrium etiam in veteri lege gratiam ex opere operato conferebat pro fide vel lege diuina occumbentibus, quales fuerunt Machabæi, quorum martyrium Eccleſia Kalendis Auguſti veneratur.

Obijcies ſecundò: non poteſt aſſignari tempus quo martyrium gratiam ex opere operato producat, nam quandiu viuit Martyr, nondum eſt martyrium, nondumque proinde gratiam producit: poſt mortem verò non eſt tempus conferendæ gratiæ idoneum, ſed gloriæ & mercedis retribuendæ deſtinatum, cùm iam non ſit ampliùs via, ſed terminus: Ergo martyrium non confert gratiam ex opere operato.

Reſpondeo martyrium gratiam conſerre paulò ante mortem, quando Martyr, accepto lethali vulnere, non ſolùm non poteſt ampliùs naturaliter viuere, ſed nec ſenſibus nec ratione vti; tunc enim moraliter cenſetur conſummatum, nec poteſt martyr tunc gratiam martyrij perdere, cùm non ſit ampliùs in ſtatu liberè operandi, nec per conſequens peccandi. Quod ſi poſt acceptum vulnus lethale, diuinitùs mors impediretur, non propterea aureolam martyrij amitteret, vt conſtat de Beata Cecilia, quæ accepto lethali vulnere, triduo ſuperuixit, & de Beato Ioanne Euangeliſta, qui in feruentis olei dolium immiſſus, illæſus exiuit, & poſt multos annos animam efflauit, quem Eccleſia vt martyrem colit. Vnde in caſibus illis extraordinarijs & miraculoſis, Deus martyres illos adhuc in vita ſuperſtites, in gratia confirmauit, ſubinde-

deque illos reddidit impotentes ad peccan-dum, & ad perdendum aureolam martyrij; gratia enim martyrij, ob ſuam excellentiam, poſtulat confirmationem martyris in gratia. Nec refert quod de quibuſdam Chriſtianis legamus, poſt deuicta tormenta vitijs victos fuiſſe, & voluptate corruptos quos dolor ſuperare non potuit. Vnde egregiè Tertullianus: *Ma us eſt viuere cum caſtitate, quam mori pro caſtitate*. Non refert, inquam, quia cùm illi nullum adhuc lethale vulnus recepiſſent pro Chriſto, aureolam martyrij non obtinuerant, ſicut illi dé quibus eſt ſermo; vnde non mirum quod non fuerint confirmati in gratia, ſicut iſti.

Obijcies tertiò contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis: Apoſtolus 1. Corinth. 13. ait: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Quibus verbis apertè docet martyrium nihil prorſus valere ſine charitate. Vnde S. Thomas hic quæſt. 66. art. 12. ad 2. ait quod *effuſio ſanguinis non habet rationem baptiſmatis, ſi ſit ſine charitate*. Ergo martyrium in adultis non habet vim iuſtificandi, ſecluſo actu charitatis illud antecedente, ſeu imperante.

Reſpondeo verba illa Apoſtoli & S. Thomæ intelligenda eſſe de charitate quæ vel antecedit martyrium, vt regulariter & ordinariè contingit, vel quæ illud concomitatur; licet enim martyrium non ſemper à charitate imperante procedat, vt mox oſtendemus, ſemper tamen illam inuehit & affert, quia in ipſo, & per ipſum, ſemper infunditur gratia & cha-

ritas

ritas ab ea inſeparabilis, & per conſequens martyrium eſt ſemper cum charitate; & nunquam contingit, nec contingere poteſt, martyrem ſine charitate mori.

Dices D. Thom. 2.2. q.124. art.2. ad 2. expreſsè docet martyrium eſſe actum elicitum à fortitudine, & imperatum à charitate, illamque ad actum martyrij inclinare, mouere, & inducere: Sed charitas quæ imperat, mouet, & inclinat, eſt antecedens, & non purè concomitans: Ergo D. Thomas cenſet martyrium habere vim iuſtificandi ab actu charitatis illud antecedente, ſeu imperante.

Reſpondeo D. Thomam eo loco ſolùm velle, martyrium regulariter & ordinariè imperari à charitate, taleque imperium neceſſarium quidem eſſe, vt promptè & delectabiliter martyrium aliquis ſufferre poſſit, non tamen vt abſolutè illud ſufferat, vt conſtat ex eodem S. Doctore quodlib. 4. art. 19. vbi ſic habet: *Hoc opus quod eſt offerre ſe martyrem, vel etiam martyrium ſufferre, poteſt facere non ſolùm charitas perfecta, ſed etiam imperfecta, & quod plus eſt etiam ille qui caret charitate. Sed charitas perfecta hoc facit & promptè & delectabiliter; ſicut patet de Laurentio, & de Vincentio, qui in tormentis hilaritatem oſtenderunt, hoc autem non poteſt facere charitas imperfecta, vel etiam ille qui charitate caret.* Et certè quod non ſolùm charitas, ſed etiam aliæ virtutes, martyrium imperare poſſint & ad illud mouere ac inducere, conſtat ex eo quod Chriſtus Matth. 10. verſ. 28. proponit metum gehennæ, tanquam motiuum ſufficiens ad tollerandum martyrium, dum ait;

Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Sed *potiùs timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Et verſu 32. proponit motiuum ſpei gloriæ, dum dicit: *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt.* Vnde quadraginta martyres, qui Sebaſtæ ſub Licinio paſſi ſunt, & in ſtagnum gelidum immiſſi, ac frigore interempti, ſpe & motiuo gloriæ cœleſtis, & præmij vitæ æternæ, acerbiſſimam mortem ſuſtinuerunt, vt in eorum actis 9. Martij legitur. Addo quod, ſi de eſſentia martyrij eſſet à charitate imperari, illud nunquam produceret primam gratiam, nec redderet de attrito contritum, nec iuſtificaret ex opere operato, ſed duntaxat ex opere operantis, nimirum ex vi actus charitatis ipſum imperantis, ſubindeque non haberet eandem vim & efficaciam quam habet baptiſmus; quæ falſa eſſe, & à Sanctorum Patrum mente & doctrina penitus aliena, ex ſupra dictis manifeſtum eſt.

Conſectaria præcedentis doctrinæ.

EX dictis colligitur primò, martyrium poſſe dupliciter conſiderari, nimirum inquantùm eſt actus virtutis fortitudinis, imperatus à charitate; & quatenus eſt imitatio realis paſſionis Chriſti, & non repræſentatiua ſolùm, ſicut baptiſmus fluminis. Primo modo confert gratiam ex opere operantis, ſecundo verò ex opere operato; decet enim Chriſtum virtutem ſuæ paſſionis ſpecialiter applicare ei qui pro ipſo moriendo, eius paſſio-

ſionem imitatur. Præterquam quod baptiſmus ſanguinis eſt opus maximè arduum & difficile, & multò præſtantius baptiſmo fluminis, qui habet vim iuſtificandi ex opere operato: nam vt eleganter ait Auguſtinus ad Fortunatum, comparans martyrium cum baptiſmo: *Baptizatus confitetur fidem ſuam coram Sacerdote, martyr coram perſecutore. Ille poſt confeſſionem aſpergitur aqua, hic ſanguine. Ille per impoſitionem manus Pontificis, recipit Spiritum Sanctum, hic templum efficitur Spiritus Sancti.*

Colligitur ſecundò, in iuſto ad martyrium non requiri aliam diſpoſitionem, quam liberam mortis acceptationem pro Chriſto: in peccatore verò, præter acceptationem mortis, requiri inſuper (vt primam gratiam conferat ex opere operato) aliquam pœnitentiam & dolorem ſupernaturalem de peccatis. Martyrium enim ſe habet ad inſtar baptiſmi: Atqui ad baptiſmum in iuſto requiritur, & ſufficit intentio ſeu voluntas illum recipiendi; in peccatore verò, præter hunc liberum conſenſum, neceſſarius eſt inſuper aliquis dolor de peccatis commiſſis, vt ſupra cap. 6. oſtendimus: Ergo & ad martyrium.

Colligitur tertiò, ad effectum martyrij, quantùm eſt ex vi diſpoſitionis ad illum conſequendum neceſſariæ, non requiri in peccatore contritionem, ſed ſufficere attritionem ſupernaturalem; quia hæc ſufficit ad baptiſmum cui ex Patribus ſupra citatis non cedit martyrium, quoad vim iuſtificandi, & faciendi de attrito contritum. Dixi quantùm eſt ex vi diſpoſitionis ad illum conſequendum

requiſitæ, quia valde probabile eſt, aliunde peccatorem obligari ad eliciendum actum contritionis, vel ſaltem conari debere, & facere totum quod in ſe eſt, vt illum eliciat; quia nimirum obligatur in mortis articulo adhibere media ſalutis quàm poteſt ſecùriſſima, relictis incertis, ne alioqui ſe exponat periculo damni irreparabilis, vt faceret peccator cum ſola attritione voluntariè & aduertenter mortem ſuſtinens: ſi enim fortè vera ſit ſententia negans martyrio vim iuſtificandi ex priuilegio, ſine actu charitatis, quam multi non contemnendæ authoritatis Theologi amplectuntur, non liberabit eum affirmantis probabilitas, aut bona fides. Præterquam quod præceptum dilectionis in articulo mortis obligare, plures exiſtimant, de quo in tractatu de pœnitentia cap. 4. §. 2.

Colligitur quartò, mortem ex peſte in obſequium languentium oppetitam, quamuis ſit eximium charitatis & Chriſtianæ patientiæ opus; non eſſe tamen verum & propriè dictum martyrium. Nam verum martyrium eſt actus virtùtis quo aliquis contra perſequentium impetus firmiter in iuſtitia & veritate permanet, vt docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 124. artic. 1. Sed pij illi Chriſtiani, qui graſſante lue languentibus inſeruiunt, & in eorum obſequio moriantur, mortem violentam à tyranno veritatem aut iuſtitiam perſequente non patiuntur, ſed potiùs morti ſponte ſe offerunt, vt infirmis opitulentur, & charitatem exerceant: Ergo non ſunt veri Martyres.

Confirmatur: Verum martyrium tria habet

bet priuilegia cum baptiſmo communia, nempe iuſtificationem ex opere operato, remiſſionem omnis culpæ & pœnæ, & exemptionem à neceſſitate precum & ſuffragiorum Eccleſiæ; & inſuper habet aliud ſibi ſpeciale, nimirum quod ſi mater propter Chriſtum occidatur, filius quem geſtat in vtero, à peccato originali mundetur: Sed mors ex peſte in obſequium languentium opperita, priuilegijs illis non gaudet, vt conſtat præcipuè de tertio & quarto; Eccleſia enim orat & miſſæ ſacrificium offert pro illis qui inter miniſtrandum ægris mortui ſunt; & nullus Catholicorum vnquam dixit, puerulo in vtero matris, cum matre in obſequio illo immorienti decedenti, peccatum originale remitti: Ergo talis mors non eſt verum & propriè dictum martyrium, ſed impropriè tantùm & analogicè: In quo ſenſu interdum SS. Patres, Religioſos & alios Chriſtianos, qui vitam auſteram ducunt, & carnem cum concupiſcentijs crucifigunt, Martyres appellant. Vnde Auguſtinus ſerm. 150. de tempore: *Nemo dicat quod temporibus noſtris Martyrum certamina eſſe non poſſunt: habet enim & pax noſtra Martyres ſuos, nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, auaritiam contemnere, ſuperbiam humiliare, pars magna martyrij eſt.* Et Gregorius magnus homil. 3. in Euang. *Quamuis occaſio perſecutionis deſit, habet tamen & pax noſtra martyrium ſuum, quia etſi carnis colla ferro non ſubijcimus, ſpirituali tamen gladio carnis deſideria trucidamus.*

CAPVT XI.

De circumciſione, cui ſucceſſit Baptiſmus.

TRibus potiſſimum de cauſis circumciſio inſtituta fuit. Prima & principalis eſt, vt per eam peccatum originale tolleretur, & ideò fiebat in membro generationis, per quam tale peccatum contrahitur; & circulariter, ad ſignificandum quendam circulum peccati originalis, quod & à perſona tranſijt in naturam, & à natura tranſijt in perſonam; nam in primo homine perſona corrupit naturam in alijs autem natura perſonam. Ob eandem rationem pro maſculis tantùm & non pro fœminis inſtituta eſt, quia ſolus vir, vtpote caput mulieris, & totius naturæ, fuit cauſa peccati originalis. Vnde dicit Apoſtolus ad Rom 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.* Et D. Thomas 1. 2. qu. 81. art. 4. & hic qu. 70. art. 2. ad 4. ſic ait: *Peccatum originale contra quod ſpecialiter circumciſio ordinabatur, à patre trahitur, non à matre.*

Secunda ratio inſtitutionis circumciſionis fuit diminutio carnalis concupiſcentiæ, quæ præcipuè in membro illo viget in quo fit circumciſio, propter abundantiam delectationis venereorum, vt ait S. Thomas hic quæſt. 70. art 3. ad 1. Vnde Gloſſa in illud Geneſ. 17. *Circumcidetis carnem præputij veſtri*, rationem iſtam ſubiungit: *Quia in hac parte eſt propagatio corruptionis, vt ſcilicet in eo membro circumciſus, in quo libido ſolet dominari,*

ca-

caſtitatem ſibi ſeruandam, & impudentiam reſcindendam cognoſceret. Sicut ergo per circumciſionem tollebatur quædam particula carnis, alia maiore remanente, ſic virtute illius tollebatur aliqua pars concupiſcentiæ, altera remanente, non ipſa tota omnino refecabatur.

Tertiò circumciſio inſtituta fuit in ſignum diſtinctionis populi Dei, ſcilicet vt populus fidelis, id eſt Iudaicus, de quo Chriſtus erat naſciturus, ab alijs populis infidelibus diſtingueretur: decebat enim populum, de quo totius author ſanctitatis naſciturus erat, aliquo ſigno ſpeciali ſanctificationis, id eſt circumciſione, ab alijs diſtingui. Vnde ſolis Iudæis, non verò Gentilibus, data eſt circumciſio. In quo circumciſio diſcrepabat à baptiſmate, quod non vni ſingulari genti vel populo, ſed omnibus omnino nationibus exhibetur, quia in ſe continet perfectionem ſalutis, ad quam Deus omnes homines vocat, ſecundùm illud 1. Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* At verò *circumciſio* (inquit S. Thomas hic quæſt. 70. art. 2. ad 3.) *non continebat perfectionem ſalutis, ſed figurabat ipſam vt futuram per Chriſtum, ex Iudæorum populo naſciturum. Et ideò illi ſoli populo data eſt circumciſio.*

Illa non fuit inſtituta immediatè poſt lapſum primi parentis, ſed duntaxat circa tempus Abrahæ, ſeu tertia mundi ætate, quæ incœpit ab Abraham. Primò, quia cùm Adam diuinorum notitia pleniſſimè eſſet inſtructus, eaque ſuos poſteros imbuiſſet, non indigebat tunc temporis genus humanum, determi-

natis fidei ſignis, quibus fideles ab infidelibus ſecernerentur, ſed vnuſquiſque ea ſigna ad libitum eligebat, quibus ſuum in Deum cultum, fidemque proteſtaretur. Secundò, quia recens morbus peccati originalis, cuius grauitas primò tempore nondum cognita erat leuem petebat medicinam, ne maiorem ægrotus reſpueret. Et ideò vel fidem ſolam, vel cum ſacrificijs & decimis, velut facilem ac leuiorem medicinam, tunc adhiberi Deus voluit, ſed poſtea in circumciſione grauiorem; vnde illam in prædictam mundi ætatem reſeruauit, in qua magis innotuit magnitudo morbi, & vtilitas remedij. Tertiò, quantò magis appropinquabat Saluatoris aduentus, tantò expreſſiora ſigna ſalutis & efficaciora remedia eſſe debuerunt, ex quibus nullum euidentius vel expreſſius eſſe poteſt, quam circumciſio. Quartò, tempore Abrahæ dicitur idololatria incœpiſſe, & quia ſolus Abraham primus inter multos idololatras fidem tenuit, & ſe ab infidelibus ſeparauit, ideò in ſignum fidelitatis ſuæ, data fuit ei circumciſio, quam idcirco Apoſtolus, *ſignaculum fidei* appellat. Demum tempore Abrahæ nefanda illa contra naturam peccata prodierunt, horrendaque flagitia quæ Tertullianus *libidinum furias* appellat, & quæ non tam crimina, quam monſtra, dicenda ſunt: vnde tunc conuenienter Sacramentum circumciſionis inſtitutum eſt, velut cauterium quoddam, quo carnalis concupiſcentia in omne obſcœnitatis ac turpitudinis genus diffluens, cohiberetur.

Ex his colligitur tres præcipuos fuiſſe circum-

cumciſionis effectus. Primus fuit remiſſio peccati originalis, fuit enim principaliter inſtituta in remedium huius peccati, vt ſupra oſtendimus. Vnde Bernardus: *Quod aqua baptiſmi abluit, hoc petra circumciſionis abraſit.* Et Beda in homilia de Circumciſione Domini: *Idem ſal ſiferæ curationis auxilium, circumciſio in lege contra originalis peccati vulnus præbebat, quod baptiſmus reuelato gratiæ tempore agere conſueuit.* Item Gregorius magnus lib. 4. moral. cap. 3. vel 2. vt in quibuſdam exemplaribus annotatur: *Quod apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij, vel pro his qui ex Abrahæ ſtirpe prodierant, myſterium circumciſionis.*

Dices, populus Iſraeliticus quadraginta annorum ſpatio quo manſit in deſerto, non fuit circumciſus: Ergo circumciſio non fuit Iudæis neceſſaria, ad tollendum peccatum originale, ſubindeque huius peccati remiſſio, non fuit primus & præcipuus eius effectus.

Reſpondeo cum D. Thoma hic art. 4. ad 3. cum populo illo in deſerto per annos quadraginta commorante, diuinitùs diſpenſatum fuiſſe vt ſine circumciſione ſalui eſſe poſſent, & à peccato originali mundati, vtendo remedio legis naturæ; huiuſque diſpenſationis triplicem cauſam fuiſſe. Prima fuit quia tunc caſtra Hebræorum mouebant ſe ad motum columnæ ignis & nubis, qui motus erat incertus, proindeque ignorantes, quando caſtra mouenda eſſent, & contra hoſtes præliandum, ſine graui & euidenti periculo circumcidi non poterant, cùm ex circumciſione maximus do-

lor

lor cauſaretur, qui eos reddidiſſet ad pugnandum inhabiles, vt contigit Sichimitis Geneſ. 34. Secunda fuit, quia non erat neceſſe Iudæos aliquod ſignum diſtinctionis tunc habere, quando ſeorſim ab alijs populis habitabant. Tertia cauſa diſpenſationis fuit; quia Deus voluit circumciſionem tunc differri, vt vna generalis circumciſio fieret in terra promiſſionis, in ſignum & figuram illius perfectæ circumciſionis, quæ erit in patria. Addit Sanctus Doctor, quod videtur probabile, nullum eorum qui in deſerto nati ſunt, & non circumciſi, fuiſſe mortuum, priuſquam, iubente poſtea Ioſue, circumciderentur, quia vt Pſal. 104. dicitur: *Non erat in tribubus eorum infirmus*, & Ioſue 5. ſolùm dicitur, mortuos fuiſſe in deſerto eos qui exierant de Ægypto, qui omnes circumciſi erant. Si tamen aliqui incircumciſi mortui ibi ſunt, idem dicendum de eis, ac de illis qui ante inſtitutionem circumciſionis moriebantur.

Secundus circumciſionis effectus fuit collatio gratiæ ſanctificantis, cùm enim peccatum originale conſiſtat in priuatione gratiæ in origine debitæ, & nulla priuatio poſſit tolli à ſubiecto, niſi per formam ipſi oppoſitam; manifeſtum eſt, quod in circumciſione, in qua remittebatur originale peccatum, gratia habitualis infundebatur. Vnde S. Thomas ſupra quæſt. 62. art. 6. ad 3. & hic art. 4. reijcit opinionem Magiſtri ſententiarum, & aliorum antiquorum dicentium, quod in circumciſione non conferebatur gratia, ſed ſolùm auferebatur peccatum: *Hoc enim* (inquit) *non poteſt eſſe, quia culpa non remittitur niſi*

per

per gratiam, ſecundum illud ad Roman. 3. iuſtificati gratis per gratiam ipſius.

Tertius eius effectus fuit diminutio ſeu mitigatio concupiſcentiæ carnalis, ad hunc enim effectum inſtituta fuit, vt ſupra oſtendimus. Vnde D. Thomas hic art. 4. refellit ſententiam quæ ſibi iuniori placuerat, affirmantem circumciſione conferri gratiam, *quantum ad aliquem effectum poſitiuum, qui eſt facere dignum vita æterna, ſed non quantum ad omnem, quia non ſufficiebat reprimere concupiſcentiam fomitis, nec ad implendum mandata legis.* Et ſubdit: *Hoc etiam aliquando mihi viſum eſt: ſed diligenter conſideranti apparet hoc non eſſe verum, quia minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti.*

Quæres, an circumciſio & alia veteris legis Sacramenta, haberent in ſe vim gratiæ productiuam, ſicut habent Sacramenta nouæ legis? Reſpondeo eâ non habuiſſe virtutem phyſicam inſtrumentalem gratiæ productiuam, quæ in ſententia D. Thomæ, & Diſcipulorum eius, competit Sacramentis nouæ legis, ideòque vetera Sacramenta vocari ab Apoſtolo ad Galat. 4. *elementa infirma & egena*; habuiſſe tamen vim quandam moralem excitantem Deum ad dandam gratiam ritè ea ſuſcipientibus: erant enim ſigna & figuræ paſſionis Chriſti futuræ, cuius intuitu Deus gratiam in antiqua lege conferebat: à ratione autem ſigni vis excitandi moraliter infe-

pa-

parabilis eſt. Addo quod promiſſio habet moralem vim ad mouendum eum qui promiſit, vt impleat promiſſa: Atqui circumciſio, & alia Sacramenta veteris legis, fuerunt promiſſiones ſeu ſigna quibus Deus quaſi in figuris promittebat Chriſtum, & gratiam ex meritis ipſius dandam, vnde Apoſtolus ad Roman. 11. ea vocat *repromiſſiones*, quia per illa Sacramenta id quod Deus promiſerat, continuò renouabat, repromittendo quotidie: Ergo circumciſioni, & alijs veteris legis Sacramentis, non deerat vis moraliter excitatiua, qua Deum, ad conferendam gratiam, ad ipſorum præſentiam, moraliter excitabant. Ex quo intelliges, circumciſionem non cauſaſſe gratiam ex opere operato actiuè, ſicut Sacramenta nouæ legis (cùm enim caruerit virtute gratiæ productiua, nullam potuit habere actiuitatem ad productionem gratiæ, nec actiuè in eam influere, ſeu illam conferre paruulis, ſicut modò baptiſmus) ſed paſſiuè duntaxat; ad hoc enim ſufficit, quod ad eius poſitionem & præſentiam, Deus gratiam contulerit, abſque vllo merito vel diſpoſitione ſuſcipientis, intuitu paſſionis Chriſti futuræ, cuius circumciſio erat aliqua repræſentatio ſeu figura. Vnde S. Thomas in 4. diſt. 1. quæſt. 2, art. 4. quæſtiunc. 2. ſic ait: *Quia non poterat puer natus, antequam haberet vſum liberi arbitrij, ſe ad gratiam præparare, ne omnino ſine religione relinqueretur, oportuit aliquod remedium dari, quod ex ipſo opere operato peccatum ablueret, & tale remedium fuit circumciſio; & ideo ab omnibus conceditur, quod peccatum auferebat, ſicut ſignificabat eius ab-*

la-

lationem; & in hoc cum Sacramentis nouæ legis quodamodo conueniebat, quia efficiebat id quod figurabat.

Nec obſtat quod idem S. Doctor hic q. 70. art. 4. dicat quod in circumciſione conferebatur gratia ex virtu e fidei paſſionis Chriſti: non vult enim quod gratia conferebatur ex virtute fidei, quatenus erat actus perſonæ, ſed quatenus reſpiciebat obiectum ſuum. Idque patet ex eo quod in reſp. ad 2. ait quod ſicut ante inſtitutionem circumciſionis ſola fides Chriſti futuri iuſtificabat tam paruulos quam adultos, ita etiam & circumciſione data: conſtat autem quod in doctrina D. Thomæ ante circumciſionem fides parentum non iuſtificabat paruulos, quatenus erat actus perſonæ, ſed quatenus reſpiciebat ſuum obiectum, vt expreſsè docet idem S. Doctor in 4. diſt. 1. qu. 2. art. 6. ad 2. his verbis: *Dicendum quod fides aliena non iuſtificabat inquantùm erat actus perſonæ ſed ex parte illa qua reſpiciebat obiectum ſuum, ſcilicet Chriſtum, quod erat in diuina totius naturæ, in quo habebat quandam ſimilitudinem cum Sacramentis noſtris, inquantum iuſtificabat ex obiecto, quaſi ex opere operato, non autem ex opere operantis.*

Quæres ſecundò, an liceat nunc cum baptiſmo ſuſcipere circumciſionem, non tanquam cæremoniam legalem, ſed ex deuotione imitandi Chriſtum, & ferendi in ſuo corpore idem vulnus, eundemque characterem, quem Chriſtus in ſuo expreſſit; ſicut faciunt Chriſtiani Æthiopes, qui vulgo Abbaſſini dicuntur, vt refert Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ tomo 2, verbo *Circumciſio*? Reſpondeo-

negatiuè, quia conformitas ad Chriſtum in illa corporali læſione, nullam virtutis honeſtatem habet, neque in aliquem Chriſti honorem cedit, ſed eſt cultus omnino ſuperſtitioſus & vanus; alioquin liceret etiam ſibi perforare manus, & pedes, ac latus ad imitationem Chriſti. Vnde D. Thomas in 4. diſt. 1. qu. 2. art. 5 quæſtiunc. 3. ad 3. ait, *non poſſe honeſtari vſum circumciſionis, ex quocumque fine honeſto; quia ex prohibitione factus eſt malus, & actus malus non honeſtatur propter bonam intentionem*. Quare propoſito hoc dubio à Patriarcha Æthiopiæ Sacræ Congregationi Inquiſitionis, an ſcilicet Abbaſſinis liceat ſe circumcidere? Habita eſt Congregatio Patrum Qualificatorum S. Officij die 30. Iulij anno 1637. qui reſponderunt: *Non eſſe quocumque prætextu tolerandam circumciſionem; & Paſtores debere corrigere ſubditos, quantum poſſunt, contumacesque arcendos eſſe à communione*. Ex quo conſtat, Eccleſiam Romanam, ritum illum Abbaſſinorum nequaquam approbare, imò nec tolerare.

CAPVT XII.

De Sacramento Confirmationis.

Qvinque de hoc Sacramento breuiter hic explicanda ſunt, nimirum eius exiſtentia ſeu inſtitutio, illius materia, forma, effectus, & miniſter.

§. I.

§. I.

Exiſtentia & inſtitutio huius Sacramenti.

CONfirmatio ſic dicta à primario eius effectu, nempe ſpirituali corroboratione ad fidem intrepidè profitendam, vocatur à SS. Patribus quoddam baptiſmi complementum, non quòd ſine illa baptiſmus non ſit perfectum & completum Sacramentum; ſed quia datur ad augmentum gratiæ, quod primam gratiam regeneratiuam, per baptiſmum collatam, complet & perficit, vt explicat S. Doctor hic quæſt. 72. art. 7. ad 2.

Illam eſſe verum nouæ legis Sacramentum, non verò meram Eccleſiæ cæremoniam, aut inuentum purè humanum, à Romanis Pontificibus excogitatum, vt Lutherani & Caluiniſtæ dicunt, conſtat primò ex Scriptura; dicitur enim Act. 8. Apoſtolos Spiritum Sanctum, id eſt gratiæ Sanctificantis abundantiam, baptizatis contuliſſe, per manuum impoſitionem: hæc enim manuum impoſitio, cùm eſſet ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis, in actuali exercitio ipſius conferendæ, non poterat non eſſe verum Sacramentum; & cùm non fieret niſi poſt baptiſmum, & non niſi baptizatis adhiberetur, non poterat non diſtingui à baptiſmo.

Nec valet quod dicunt hæretici, per illam manuum impoſitionem, non datam fuiſſe gratiam gratum facientem, ſed tantùm gratias aliquas gratis datas, puta donum linguarum, vel donum Prophetiæ. Quod probant

ex

ex eo quod Actor. 19. dicatur, eos quibus Paulus manus impoſuerat, locutos fuiſſe linguis & prophetaſſe. Non valet, inquam, tum quia Spiritus Sanctus non datur per collationem gratiæ gratis datæ, ſed tantum per infuſionem gratiæ gratis datæ in primitiua Eccleſia non conferebantur omnibus, ſed aliquibus tantùm, prout Eccleſiæ expediebat: vnde Apoſtolus 1. Corinth. 12. *Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes loquuntur linguis?* &c. Sed donum Spiritus Sancti, de quo loco citato Scriptura loquitur dabatur omnibus per manuum impoſitionem: Ergo tale donum erat gratia ſanctificans, non verò aliqua gratia gratis data, licet interdum etiam quædam gratiæ gratis datæ, per talem manuum impoſitionem, vna cum gratia ſanctificante conferrentur.

Conſtat ſecundò eadem veritas ex SS. Patrum teſtimonijs: Dionyſius enim in libro de Eccleſiaſt. hierarch. expreſſam facit mentionem Sacramenti confirmationis, nam cap. 2. ſic ait: *Baptizatum indutum alba veſte ad Pontificem ducunt: ille diuino ac deifico prorſus vnguento virum ſignat.* Et cap. 4 *Ei* (ſcilicet ſynaxi) *finitimum eſt aliud Sacramentum, quod præceptores noſtri vnguenti myſterium nominant.* Eius etiam meminit Clemens Romanus epiſt. 4. vbi hæc ſcribit: *Omnibus feſtinandum eſt, ſine mora renaſci Deo, & demum ab Epiſcopo conſignari, id eſt ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti percipere, cùm alioquin perfectus Chriſtianus nequaquam eſſe poſſit is qui hoc Sacramentum prætermiſerit, vt à Beato Petro accipimus, & cæteri Apoſtoli*

præ-

præcipiente Domino docuerunt. Tertullianus de reſurrect. carnis cap. 8. inſinuans antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, quæ adultis Cathecumenis ritè præparatis, tria Sacramenta eodem die conferebat primò Baptiſmum, ſecundò Confirmationem, tertiò Euchariſtiam, de baptiſmo ſic ait: *Caro abluitur, vt anima emaculetur.* De Confirmatione; *Caro vngitur, vt anima conſecretur; caro ſignatur; vt anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur.* De tertio, ſeu de Euchariſtia, ſubiungit: *Caro corpore Chriſti veſtitur, vt mens de Deo ſaginetur.* Quibus verbis tria quæ in Sacramento Confirmationis (inter Baptiſmum & Euchariſtiam medio) reperiuntur, luculenter deſcripſit: nam in Confirmatione primò vngimur Chriſmate; deinde ſignamur, quia forma huius Sacramenti eſt, *ſigno te ſigno Crucis, vngo te Chriſmate ſalutis.* Demum in ea manuum impoſitione adumbramur.

His tribus Patribus antiquiſſimis, tres alios adiungo, qui tertio vel quarto ſæculo floruerunt, nimirum Cyprianum, Cyrillum Hieroſolymitanum, & Auguſtinum. Primus enim lib. 1. epiſt. vltima ſic ait: *Vngi quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus eſt, vt accepto Chriſmate, id eſt vnctione, eſſe vnctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit.* Secundus verò Catecheſi 3. hæc habet: *Vnguento quidem viſibili corpus inungitur, ſancto verò ac viuifico ſpiritu anima ſanctificatur.* Tertius demum lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. ita de hoc Sacramento loquitur: *In hoc vnguento Sacramentum Chriſmatis vult interpreta-*

tari; quod quidem in genere viſibilium ſigna-culorum, Sacroſanct-m eſt, ſicut ipſe baptiſmus. Et concludit: *Diſcerne ergo viſibile ſanctum Sacramentum, quod eſſe & in bonis & in malis poteſt, illis ad præmium, iſtis ad vitium.*

Nec dici poteſt cum hæreticis, hoc SS. Patres de cofirmatione locutos fuiſſe, vt de cæremonia ab Eccleſia inſtituta. Primò, quia expreſsè dicunt, per illam nobis dari gratiam, & Spiritum Sanctum. Eccleſia autem poteſtatem non habet inſtituendi ſignum collatiuum gratiæ aut Spiritus Sancti. Secundò, quia nonnulli expreſsè aſſerunt, huius Sacramenti vſum ex ipſis Apoſtolis deſcendere. Tertiò, quia aliqui hoc Sacramentum comparant cum Baptiſmo, eique præferunt: eò quòd in Baptiſmo gratia, in Confirmatione plenitudo gratiæ donetur. Denique quia aliqui expreſsè cæremoniam illam Sacramentum appellant. Vnde Melchiades Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, rogatus quodnam maius eſſet Sacramentum Baptiſmi, an Confirmatio? Reſpondet *Scitote vtrumque magnum eſſe Sacramentum.*

Ratio etiam ſuffragatur: nam vt diſcurrit D. Thomas hic qu. 72 art. 1. Sacramenta nouæ legis ordinantur ad ſpeciales gratiæ effectus, vnde vbi neceſſarius eſt ſpecialis effectus gratiæ, neceſſarium quoque eſt ſpeciale Sacramentum quod ſingularem illum gratiæ effectum producere natum ſit: in vita autem ſpirituali, poſt regenerationem in Baptiſmo nouis creaturis collatam, neceſſarium eſt ſpirituale augmentum, quo geniti in Chriſto ple-

plenum animi robur accipiant: Ergo & aliquod Sacramentum, quod tribuat tale robur & augmentum, nimirum Confirmatio. Vnde Melchiades Papa cin *Spiritus Sanctus*, de conſecrat diſt 5 *Spiritus Sanctus qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu in Fonte plenitudinem tradit ad innocentiam in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam Et quia in hoc mundo tota æ ate victuris, inter inuiſibi es hoſtes & pericula gradiendum eſt, in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur.*

De tempore quo hoc Sacramentum fuit à Chriſto inſtitutum, inter Catholicos non conſta; probabilior ſententia aſſerit illud inſtitutum fuiſſe in nocte cœnæ, qua Chriſtus Apoſtolos inſtruxit de hoc & alijs Sacramentis. Ita docet Catechiſmus Romanus cap de confirm. & colligitur ex Fabiano Papa Epiſt. 2. vbi hæc habet *In illa die Dominus Ieſus, poſtquam cœnauit cum Diſcipulis ſuis & lauit eorum pedes, ſicut à SS Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit.* Atque hæc eſt ratio, cur Eccleſia ſingulis annis, veteri combuſto, nouum Chriſma conſecret in die cœnæ.

Quare veram non arbitror aliquorum ſententiam, qui docent hoc Sacramentum non fuiſſe inſtitutum, niſi poſt reſurrectionem, quando ſcilicet Chriſtus dixit Apoſtolis Ioan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum*; quia tunc eos fecit Epiſcopos, & dedit eius poteſtatem miniſtrandi hoc Sacramentum, Cum enim eſ-

ſen-

ſentia Sacramenti magis penſanda ſit ex materia ex qua intrinſecè conſtituitur, quam ex miniſtro qui extrinſecè ſolùm & efficienter ad illud ſe habet; tunc potiùs dici debet inſtitutum Sacramentum, cum materia eius deſignatur, quam cùm miniſter eius inſtituitur. Vnde Theologi communiter docent, Baptiſma inſtitutum fuiſſe, cùm Chriſtus in Iordane baptizatus eſt, quia tunc eius materiam deſignauit; licet tunc non fuerit data Apoſtolis poteſtas baptizandi, ſed poſtea, vt colligitur ex cap. 4. Matthæi. Idem cum proportione dicendum eſt de Sacramento Confirmationis, illud nimirum inſtitutum fuiſſe in nocte cœnæ (qua eius materia, ſcilicet chriſma, deſignata eſt) vt ſuo tempore ab Apoſtolis adminiſtraretur.

§. II.

Materia, forma, & effectus huius Sacramenti.

MAteriam remotam Sacramenti confirmationis eſſe chriſma, ſeu oleum oliuarum, admixtum balſamo, & ab Epiſcopo benedictum, conſtat ex Florentino in decreto Eugenij. Congruentiam aſſert D. Thomas hic art. 2. ex eo quod oleum, ob ſuam pinguedinem, deſignat gratiæ plenitudinem, quæ in hoc Sacramento tribuitur, & balſamum, ratione ſuæ fragrantiæ & ſuauitatis, ſignificat odorem bonæ famæ, quam fideles hoc Sacramento muniti, in alios effundere debent, iuxta illud Apoſtoli 2. Corinth. 2. *Chriſti bonus odor ſumus.*

Ni-

Nihilominus circa huius Sacramenti materiam triplex eſt difficultas & controuerſia inter Theologos : Prima eſt , an admixtio balſami cum oleo oliuarum , ſit de eſſentia materiæ confirmationis , ita vt , vero balſamo non oppoſito , non fiat Sacramentum ? Caietanus enim , Soto , Nauarrus , & plures alij, exiſtimant ſolum oleum per ſe ad materiam Sacramenti huius deſiderari , balſamum verò ex præcepto duntaxat Eccleſiaſtico permiſceri, ſicut vino aqua in Sacramento Euchariſtiæ permiſcetur : Sed hæc ſententia non videtur vera , nec in praxi probabilis ; quia Florentinum in decreto citato hæc habet : *Secundum Sacramentum eſt confirmatio , cuius materia eſt chriſma , confectum ex oleo , quod nitorem ſignificat conſcientiæ , & balſamo , quod odorem ſignificat bonæ famæ .* Vbi clarè docere videtur , oleum & balſamum æquè pertinere ad materiam confirmationis ; vnde cùm conſtet oleum eſſe materiam eſſentialem ipſius , idem de balſamo dicendum eſt .

Neque refert ſi dicas , idem Concilium ibidem docuiſſe materiam calicis eſſe vinum aqua mixtum , & tamen certum eſt , mixtionem aquæ cum vino , non eſſe de neceſſitate Sacramenti , ſed tantùm præcepti . Non refert , inquam , Concilium enim loquens de materia calicis , non dicit eſſe vinum aqua mixtum, vel eſſe compoſitum ex vino & aqua, ſed eſſe vinum , cui aqua debet admiſceri . At verò de chriſmate docet eſſe confectum ex oleo & balſamo .

Ex quo patet manifeſta diſparitas inter Sacramentum Confirmationis , & Euchariſtiæ,

Poteſt etiam impugnari Caietani ſententia ex eo quod Concilium ibidem doceat, materiam confirmationis, neceſſariam neceſſitate Sacramenti, eſſe chriſma, quod priùs longè ante docuerat Fabianus epiſt. 2. ad Epiſcopos Orientis, vbi Apoſtolos chriſmatis confectionem à Domino accepiſſe, nobiſque reliquiſſe teſtatur: Sed nomen chriſmatis non ſolum oleum, ſed oleum balſamo mixtum deſignat: Ergo materia Sacramenti confirmationis, eſſentialiter conſtat ex oleo & balſamo, vel vt loquitur S. Thomas in 4. diſt. 7. qu. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. *eſt oleum balſamatum*. Minor probatur ex SS. Patribus: Dionyſius enim de Eccleſ. hierarch. cap. 4. loquens de chriſmate, dicit illud componi ex re odorifera, quod de ſimplici oleo intelligi nequit, bene tamen de oleo cum balſamo, quod ſuauiſſimum odorem habet. Auctor de vnctione chriſmatis apud Cyprianum: *Hodie* (inquit) *chriſma conficitur, in quo mixtum oleo balſamum, regiæ ac Sacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem*. Item Gregorius magnus in illud cant. 1. *Botrus Cypri in vineis Engaddi*, ait: *In Engaddi balſamum gignitur, quo cum oleo, pontificali benedictione, chriſma efficitur*. Vnde Catechiſmus Romanus, explicans materiam confirmationis, ſic ait: *Hæc chriſma appellatur, quo nomine a Græcis accepto, etſi prophani ſcriptores quodlibet vnguenti genus ſignificent, illi tamen qui res diuinas tradunt, communi loquendi conſuetudine, ad illud tantummodo vnguentum accomodarunt, quod ex oleo & balſamo, ſolemni Epiſcopi conſecratione conficitur*.

Nec

Nec refert quod nonnulli ex SS. Patribus, confirmationem, *Sacramentum olei* appellant, ſumunt enim appellationem à maiori parte, quia nempe in chriſmate multum eſt olei, balſami verò perparum. Non obſtat etiam, quod Paulus III. Pius IV. & Gregorius XIII. permiſerint, in confectione chriſmatis, loco balſami Syriaci, adhiberi Americanum; ſolùm enim declararunt, Americanum eſſe verum balſamum, licet forte à Syriaco ſpecie diſtinctum, ſicut probabile eſt, vinum gallicum v. g. ſpecie differre à Paleſtino, & vinum album à rubro.

Dices, Innocentius III. cap. *Paſtoralis*, de Sacramentis non iterandis, rogatus an confirmatio iteranda eſſet in eo qui per errorem, non chriſmate, ſed oleo ſimplici fuerat delinitus? Reſpondet *non eſſe aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum quod incautè fuerat prætermiſſum:* Ergo ſupponit illud quod omiſſum fuerat, nimirum vnctionem chriſmaticam, non eſſe eſſentiale; aliàs enim Sacramentum fuiſſet nullum, & conſequenter denuò conferendum.

Reſpondeo Pontificem ibi tantùm velle, in illo caſu non eſſe iterandam externam ſolemnitatem, cum qua ſolet hoc ſacramentum adminiſtrari, ad vitandum ſcandalum; non negare tamen, ea quæ ſunt de eſſentia & neceſſitate huius ſacramenti, ſeu defectus ſubſtantiales eſſe ſupplendos, ſubindeque in occulto, priuatim, & abſque ſolemnitate, denuò adhibendam eſſe vnctionem olei & balſami, cum debita forma, vt non obſcurè colligitur ex illa particulari *cautè*. Nec refert quod

ibidem eodem modo Pontifex reſpondet ſupplendam eſſe manuum impoſitionem quæ obmiſſa fuerat in collatione Subdiaconatus, quæ tamen iuxta multorum ſententiam eſt tantùm accidentalis. Nam ex hoc tantùm colligitur, voluiſſe Pontificem, breuitatis cauſa, vna reſponſione generali, vtrique interrogationi ſatisfacere, vnicuique tamen modo proportionato, vt nimirum in vno ſacramento ſuppleatur quod omiſſum fuit ſubſtantiale, in alio quod omiſſum fuit accidentale.

Secunda difficultas eſt, an ad valorem huius ſacramenti requiratur conſecratio Chriſmatis ab Epiſcopo, ſaltem vt ab ordinario conſecrante? Reſpondeo affirmatiuè, ita enim colligitur ex Florentino, in prædicto decreto vnionis, vbi diſertis verbis ait materiam huius ſacramenti eſſe chriſma ab Epiſcopo benedictum. Idem fuſiùs declarat Catechiſmus Romanus his verbis: *Conſecratur autem chriſma ſolemnibus cæremonijs ab Epiſcopo ita enim Saluatorem noſtrum docuiſſe in extrema cœna, cùm chriſmatis faciendi rationem Apoſtolis commendaret, Fabianus Pontifex, ſanctitate & martyrij gloria clariſſimus, tradidit.* Et rationem aſſignat, cur debeat materia benedictione conſecrari: *Quia in pleriſque alijs Sacramentis, Chriſtus ita eorum materiam inſtituit, vt ſanctitatem quoque illi tribuerit; non ſolùm enim aquam elementum baptiſmi eſſe voluit, cùm inquit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei, ſed cùm ipſe baptizatus eſt, effecit vt ea deinceps vi ſanctificandi prædita eſſet.*

Quo-

Quoniam igitur Dominus, hanc confirmationis materiam, vſu ipſo & tractatione non ſacrauit, neceſſarium eſt vt ſanctis & religioſis precationibus conſecretur. Hac etiam ratione vtitur S. Thomas hic art. 3.

Sed grauior controuerſia ſupereſt, an ſaltem per diſpenſationem Pontificis poſſit conſecratio chriſmatis ſimplici Sacerdoti committi, vt legitur à B. Gregorio commiſſa aliquando adminiſtratio confirmationis, quæ eſt aliquid maius, quam conſecratio chriſmatis? Dicendum tamen eſt, nequidem ex commiſſione Summi Pontificis, poſſe ſimplicem Sacerdotem chriſma conficere, multo minus ex commiſſione Epiſcopi, vt ſentit Ledeſma. Nam Fabianus Papa ſupra citatus, teſtatur Chriſtum in vltima cœna Apoſtolos docuiſſe chriſma conficere: Ergo ſentit conſecrationem chriſmatis iure diuino pertinere ad ſolos Epiſcopos, Apoſtolorum ſucceſſores, quod etiam innuere videtur Catechiſmus Romanus vbi ſupra dicens: *Neque ad alium ea confectio niſi ad Epiſcopum pertinere poteſt.* Quibus verbis videtur omnino excludere omnem inferiorem Sacerdotem. Vnde licet Florentinum in decreto vnionis fateatur aliquando eſſe diſpenſatum, vt ſimplex Sacerdos confirmaret, addit tamen hoc debuiſſe facere chriſmate per Epiſcopum benedicto, quod probabile argumentum eſt, ſuppoſuiſſe Concilium, hoc eſſe neceſſarium neceſſitate Sacramenti, ſubindeque Pontificem vel Eccleſiam in hoc diſpenſare non poſſe. Nec valet in materia Sacramentorum argumentum à maiori ad minus, nam ſimplex Sacerdos non

poteſt conſecrare altaria, nec ordinare Presbyteros, vel Epiſcopos, & tamen poteſt conſecrare corpus Chriſti, quod eſt aliquid maius. Præterquam quod, ſicut in naturalibus excellentius & præſtantius eſt producere materiam, quam totum compoſitum, quia materia non eſt producibilis niſi per creationem: ita maius videtur conſecrare materiam confirmationis, quam Sacramentum ipſum miniſtrare; quia qui materiam conficit, ad modum creantis ſe habet, ideoque hoc ſummis Eccleſiæ Principibus, ſcilicet Epiſcopis referuatur.

Tertia difficultas eſt, an vnctio chriſmatica ita ſit de eſſentia ac neceſſitate huius Sacramenti, vt ſine illa eius effectus conferri nequeat? Ratio dubitandi, eaque grauiſſima, eſt, quia Apoſtoli in primitiua Eccleſia, per ſolam manuum impoſitionem conferebant hoc Sacramentum, vt conſtat ex capite 8. & 9. actuum Apoſtolorum: Ergo vnctio chriſmatica non eſt de eius eſſentia.

Vt ab hac difficultate ſe expediant P. Sirmundus, & Cardinalis Bellarminus, diuerſis omnino vijs procedunt. Primus enim in Antirrhetico docet chriſmaticam vnctionem non eſſe de eſſentia huius Sacramenti, ſed duntaxat cæremoniam quandam accidentalem, ad illius ornatum ab Eccleſia inuentam, & nudæ manuum impoſitioni ſuperadditam, ſubindeque illud ex diſpenſatione Summi Pontificis poſſe per ſolam manuum impoſitionem conferri. Alter verò lib. 2. de confirm. cap. 9. è contra aſſerit chriſmaticam vnctionem ita eſſe de eſſentia huius Sacramenti, vt ſine illa nunquam miniſtratum fuerit. Vnde quan-

quando in Actibus. Apoſtolorum legitur, Apoſtolus per manuum impoſitionem contuliſſe hoc Sacramentum, dicit hanc manuum impoſitionem fuiſſe chriſmaticam, ac proinde eandem quam nunc adhibent Epiſcopi. Sed vtraque ſententia falſa eſt. Prima quidem, quia cùm materia remota huius Sacramenti ſit chriſma, vt aſſerit Florentinum, materia eius proxima non poteſt eſſe alia, quam vnctio chriſmatica, vt infra dicemus: Sed id quod habet rationem materiæ, ſiue proximæ, ſiue remotæ, in Sacramentis, eſt de illorum eſſentia, cùm illa eſſentialiter conſtent ex materia & forma: Ergo vnctio chriſmatica eſt de eſſentia Sacramenti confirmationis, non verò cæremonia accidentalis ei ſuperaddita, vt ait Sirmundus. Secunda verò, quia idem Florentinum ait, loco manus impoſitionis, quam adhibebant Apoſtoli, ſucceſſiſſe in Eccleſia Confirmationem, hoc eſt chriſmatis vnctionem: apertè ſignificans, aliam fuiſſe manus impoſitionem, quam tunc adhibebant Apoſtoli, ab ea quam nunc adhibet Eccleſia; alioqui dici non poſſet, loco illius nunc ſuccedere chriſmatis vnctionem, cùm nulla res propriè in ſui locum ſuccedat.

Meliùs ergo rationi dubitandi reſpondetur cum D.Thoma hic art. 2. ad 1. & art. 4. ad 1. quod licet chriſma ex oleo & balſamo confectum, ſit materia huius Sacramenti, à Chriſto in nocte cœnæ determinata & inſtituta; nihilominus in primitiua Eccleſia Apoſtoli, ex eiuſdem Chriſti inſtinctu ac diſpenſatione, hoc ſacramentum per ſolam manus impoſitio-

nem, abſque chriſmatis vnctione, conferebant; cùm enim tunc Spiritus Sanctus ſuper baptizatos viſibiliter deſcenderet, & interior vnctio, euidenti illo Spiritus Sancti illapſu, ſatis innoteſceret, non erat neceſſaria ad illam deſignandam, aliqua vnctio exterior & ſenſibilis, nempe chriſmatis applicatio. Aliúde verò, cùm interdum plura hominum millia vno die baptizarentur, moſque tunc eſſet, vt baptizati ſtatim confirmarentur, congruum erat, vt dum Apoſtolis in talia incumbentibus, non vacabat ſingulos inungere, illos ab hac cura liberaret Chriſtus, Spiritu Sancto ad ſolam manuum impoſitionem patenter veniente. Idē docet Concilium Moguntinum anno 1549. ſub Paulo III. celebratum cap. 8. poteſtque confirmari exemplo baptiſmi, cuius etſi perpetua ac ſtabilis forma inſtituta ſit à Chriſto cum expreſſa inuocatione omnium Diuinarum Perſonarum ad celebritatem tamen nominis Ieſu, tunc Iudæis & Gentilibus exoſi, inſtinctu & diſpoſitione eiuſdem Chriſti, initio naſcentis Eccleſiæ Apoſtoli baptizabant in ſolo nomine Ieſu, vt ſupra cap. 4. oſtendimus. Ita pariter quamuis vnctio chriſmatica pro perpetua ac ſtabili Confirmationis materia, fuerit à Chriſto inſtituta, voluit tamen, ob rationes allegatas, initio naſcentis Eccleſiæ diſpenſaſare cum Apoſtolis, vt per ſolam manuum impoſitionem, ſine vnctione chriſmatica hoc ſacramentum miniſtrarent.

Ex dictis facilè colligitur, quæ ſit materia proxima huius ſacramenti; cùm enim materia proxima in ſacramentis in vſu conſiſtentibus, nihil aliud ſit, quàm applicatio

ma-

materiæ remotæ, & materia remota huius ſacramenti ſit chriſma, manifeſtum eſt, eius materiam proximam eſſe chriſmatis applicationem, ſeu vnctionem chriſmaticam, quæ vt ait Florentinum fieri debet in fronte, vbi verecundiæ ſedes eſt, ne confirmandus Chriſti nomen confiteri erubeſcat. Debet etiam fieri in modum crucis, tum vt verificentur verba illa formæ, *Signo te ſigno crucis*, tum etiam vt per hoc declaretur, Chriſtianum non debere erubeſcere crucem Chriſti, quæ ſecundùm Apoſtolum, Iudæis fuit ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia. Tum denique, quia vt ait Tertullianus de reſurrect. carnis cap. 8. *Non perficiuntur Sacramenta Chriſtianorum, niſi ſigno crucis*. Vnde Leo Papa: *Crux omnium fons benedictionum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte*.

Quantùm verò ad eius formam, ea qua Eccleſia Romana vtitur, in verbis iſtis conſiſtit: *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris & filij & Spiritus Sancti* In qua forma tria deſignantur quæ in hoc Sacramento reperiuntur, nimirum ſignum quo notatur is qui in certamen Chriſtianæ militiæ deſcenſurus eſt, robur ſpirituale quod illi confertur, & cauſa conferens tale robur, ſcilicet Sanctiſſima Trinitas, quæ conuenientiſſimè in hoc Sacramento exprimitur, tum quia illud eſt perfectio baptiſmi, qui fit expreſſa inuocatione Trinitatis, tum etiam, quia in confirmatione armatur Chriſti miles, vt inter alia myſteria, Trinitatem profiteri non erubeſcat. Alia-

forma vtitur Eccleſia Græca nempe iſta : *Signaculum Doni Spiritus Sancti*, vt conſtat ex omnibus Græcorum Euchologijs. Vnde cùm hæc ſpecie differat ab ea qua Romana Eccleſia vtitur, dicendum eſt, Chriſtum non determinaſſe formam huius ſacramenti, quoad ſpeciem, ſed ſolum quoad genus, & inſtituiſſe ſolùm quod celebraretur per aliqua verba quæ eius effectum ſignificarent, ac reliquiſſe poteſtati Eccleſiæ verba illa determinare ; vnde orta eſt diuerſitas illa formarum, diuerſique ritus ſacramentum iſtud miniſtrandi in Latina & Græca Eccleſia. De quo fuſiùs infra, cùm de ſacramento Ordinis.

Demùm proprius huius ſacramenti effectus facilè ex dictis colligitur, eſt enim augmentum gratiæ, quo homo roboratur ad profitendum fidem, & acquirit ius ad auxilia ſpecialia pro illo actu conſtanter eliciendo. Etenim vnctio, & conſignatio, & hæc verba formæ, *Confirmo te*, ſignificant gratiam, quæ confertur ex vi huius ſacramenti, dari in ordine ad certamen & luctam, roburque ſpirituale ad fidem conſtanter profitendam conferre. Vnde diſt. 5. de conſecrat. refertur iſtud Vrbani Papæ decretum : *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum, debent Spiritum Sanctum, poſt baptiſmum accipere, vt ſicut in fonte plenitudinem accepimus ad innocentiam, ita & confirmatione augmentum & robur accipiamus ad pugnam.* Præter hunc effectum ſibi ſpecialem, cauſat Confirmatio alium, qui etiam à Baptiſmo & Ordine producitur, nempe characterem, ratione cuius

ini-

interabilis eſt, ſicut Baptiſmus, & Ordo. De quo Tract. præcedenti cap. 4.

§. III.

Miniſter huius Sacramenti.

DE fide eſt ordinarium huius Sacramenti miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum, vt definitur in Florentino in decreto vnionis, & in Tridentino ſeſſ. 7. can. 3. de confirm. colligiturque ex ſcriptura, nam Actuum 8. dicuntur à Hieroſolymis in Samariam miſſi Petrus & Ioannes, ad confirmandos eos qui baptizati erant à Philippo Diacono: nulla autem poteſt reddi ratio, cur potiùs Apoſtoli, & non alij, vel ipſe Philippus qui eos baptizauerat, hoc Sacramentum contulerint, niſi quia ſoli Apoſtoli tunc erant Epiſcopi: Ergo ad Epiſcopos tantùm, vt ad ordinarios miniſtros, ſpectat hoc munus baptizandos confirmandi. Vnde Innocentius IV. in epiſtola ad Epiſcopum Tuſculanum, Apoſtolicæ Sedis legatum in regno Cypri. *Soli Epiſcopi conſignent chriſmate in frontibus baptizatos, quia huius vnctio non debet niſi per Epiſcopum fieri; quoniam ſoli Apoſtoli, quorum vires gerunt Epiſcopi, per manus impoſitionem, quam confirmatio, vel frontis chriſmatio repræſentat, Spiritum Sanctum tribuiſſe leguntur.*

Congruentia eſt, tum quia per hoc ſacramentum homo adſcribitur in militiam Chriſti: in militiam autem adſcribere, non eſt cuiuſcumque, ſed exercitus ducum, quales in exercitu Eccleſiaſtico ſunt Epiſcopi, qui

Apoſtolis ſuccedunt. Tum etiam, quia confirmatio eſt perfectio & conſummatio baptiſmi; per eam enim baptizatus fit perfectus & plenus Chriſtianus, vt loquitur Vrbanus I. in epiſt. ad omnes Chriſtianos: Ergo illorum eſt hoc Sacramentum miniſtrare, qui ſunt in ſtatu perfectionis acquiſitæ, quales ſunt ſoli Epiſcopi. Quam rationem illuſtrat D. Thomas hic art. 11. vbi ſic diſcurrit: In quolibet opere vltima conſummatio ſuperiori artifici reſeruatur, ſicut in conſtructione ædificij, inferiores miniſtri præparant quidem materiam, dolant lapides, erudiunt ligna, cæmenta conficiunt; operis tamen abſolutio, & domus ædificatæ forma, ab architecto efficitur: Ergo fideles, qui ſunt opus quoddam diuinum, & Dei templum, iuxta illud Apoſtoli 2. Corinth. 3. *Dei ædificatio eſtis*, ab alijs quidem miniſtris in baptiſmo præparantur, ſed à ſolis ſummis Sacerdotibus, qui Epiſcopi ſunt, in confirmatione perficiuntur & conſummantur.

Hoc apud omnes Catholicos eſt certum, ſed difficultas eſt & controuerſia inter Theologos, an ſimplices Sacerdotes, ex Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione, poſſint eſſe extraordinarij confirmationis miniſtri? Reſpondeo affirmatiuè, contra Durandum, Eſtium, Petrum Aurelium, & alios. Primò quia in Florentino in decreto Eugenij ſic habetur: *Legitur aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili & vrgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem, chriſmate per Epiſcopum confecto, hæc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*. Vbi ſacrum Concilium,

liùm, non ſolùm eam diſpenſationem factam recenſet, ſed eam etiam approbat, & ex rationabili cauſa proceſſiſſe teſtatur. Secundò, quia dum Concilia Arauſicanum 1. & 2. Toletanum 1. Florentinum, & Tridentinum docent, ordinarium miniſtrum huius Sacramenti eſſe Epiſcopum, tacitè indicant extraordinarium poſſe eſſe alium. Tertiò, quia Beatus Gregorius Magnus prohibuit Presbyteris Sardiniæ ne confirmarent: at cùm intellexiſſet ſcandalum inde ortum, conceſſit illis confirmandi licentiam, vt teſtatur Baronius anno 594. & refertur in cap. *Peruenit* diſt. 95. his verbis: *Peruenit ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Presbyteros chriſmate vngere eos qui baptizati ſunt, prohibuimus. Et nos quidem ſecundum vſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus: Sed ſi omnino hac de cauſa aliqui contriſtantur, vbi Epiſcopi deſunt, vt Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate vngere valeant, concedimus.* Vnde D. Thomas hic quæſt. 72. art. 11. ad 1. ſic ait: *Papa in Eccleſia habet plenitudinem poteſtatis, ex qua poteſt quædam quæ ſunt ſuperiorum Ordinem committere quibuſdam inferioribus, ſicut quibuſdam Presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad poteſtatem Epiſcopalem. Et ex hac plenitudine poteſtatis conceſſit B. Gregorius Papa, quod ſimplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quandiu ſcandalum tolleretur.*

Quod verò aliqui dicunt, eo tempore omnes Sacerdotes fuiſſe Epiſcopos ſimul ordinatione & conſecratione, falſum eſt, & prorſus improbabile. Nam longè ante tempora D. Gre-

Gregorij Magni, ſimplices Sacerdotes cœpérant eſſe diſtincti ab Epiſcopis, tam ordinatione, quam iuriſdictione, vt apertè colligitur ex Euſebio Papa ep. 3 ad Epiſcopos Tuſchiæ, & ex Melchiadæ ep. decretali ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Quod itē Eſtius & Aurelius reſpondent, nimirum chriſmaticam illam vnctionem, à D. Gregorio conceſſam, non eſſe Sacramentum confirmationis, ſed aliam cæremoniam Eccleſiaſticam, eſt apertiſſimè contra S. Thomam iam relatum, qui conceſſionem illam intellexit de Sacramento Confirmationis. Videtur etiam eſſe contra Florentinum, quod agens de Sacramento Confirmationis, diſertiſſimè ait, legi aliquando fuiſſe à Sede Apoſtolica diſpenſatum, vt Presbyteri illud adminiſtrarent, alluditque ſine dubio ad illam diſpenſationem Gregorij Magni, ſcriptis à ſeipſo teſtatam, & relatam in iure Canonico. Addo quod ſi D. Gregorius cæremoniam tantùm mutari conceſſit, cur tam ſtrictè præcepit, vt niſi in abſentia vel penuria Epiſcopi; ritus ille adhiberetur: cæremonia enim, etſi ritu diuerſa, modò pia ſit, ſiue in præſentia, ſiue in abſentia Epiſcopi, perinde fieri poteſt, neque enim eædem ſunt omnes Eccleſiarum cæremoniæ.

Demum probatur eadem ſententia, ex eo quod Arcudius & alij referunt, hanc conſuetudinem vt Presbyteri confirmarent (ex conceſſione videlicet Summi Pontificis, tacita, vel expreſſa) viguiſſe in Eccleſia Græca, diu ante ſchima; eamque Eugenium & Concilium tacitè approbaſſe. Nam ſeſſ. 25. cùm Eugenius vndecim quæſtiones Græcis propoſuiſſet,

in-

inter quas ſexta erat, *Cur non Epiſcopi, ſed Sacerdotes, innungunt ſacro Chriſmate, cùm hoc Pontificibus ſit datum?* Addit in fine Concilium: *Hæc à Latinis obiecta, Mitylenenſis Præſul, legitimè & ſecundum Canones, omnia diſſoluit, præterquam duo, videlicet ſeparationem matrimonij quoad vinculum, & creationem Patriarchæ extra Conſtantinopolim.* Ergo tacitè Eugenius cum Concilio approbauit ritum Græcorum confirmandi per Presbyteros: quæ conſuetudo quarto ſæculo incœpit, vt oſtendit Vericelli de Apoſtolicis miſſionibus tit. 7. quæſt. 130. Quod verò illi Sedes Apoſtolica expreſsè vel tacitè conſenſerit, ibidem probat ex eo quod Sedes Apoſtolica, antequam ab ea deficeret Oriens, annuatim chriſma mittere ſolita erat Conſtantinopolitanis, vt teſtatur Arcudius in concordia Eccleſiæ occidentalis & orientalis lib. 2. cap. 9. Vnde non eſt veriſimile, Romanum Pontificem, à ſuis Apocriſarijs non fuiſſe certioratum eius moris Græcorum Presbyterorum confirmandi infantes; quare illi conſenſit, vel expreſsè, vel tacitè, nam facile potuiſſet tunc hoc eis prohibere: cùm enim Conſtantinopolitani tantā reuerentiam tunc deferrent Romanæ Eccleſiæ, vt ab ipſa ſingulis annis peterent ſacrum chriſma, quod poterant Græci Epiſcopi ex Ordinis poteſtate ipſimet conſecrare: quantò magis obſequentes fuiſſent, & abſtinuiſſent Presbyteri à conferendo Sacramento Confirmationis, ſi hoc eis Romanus Pontifex prohibuiſſet. Sed voluit S. Sedes hoc eis indulgere, vt ita faciliùs à perniciosa conſuetudine baptizandi in adulta ætate, quæ apud

Græ-

Græcos tūc vigebat, recederent, prout fecerūt.

Obijcies primò: Innocentius III. cap. 4. *de conſuetudine*, decernit vt fideles potiùs careant Sacramento Confirmationis, quam vt à Presbyteris illud accipiant: At ſi potuiſſent Presbyteri ex conceſſione ſummi Pontificis confirmare, id debuiſſet potiùs ſummus Pontifex ipſis concedere, quam priuare fideles tam vtili Sacramento ſine quo homines non ſunt perfectè Chriſtiani: Ergo non poſſunt Presbyteri, ex commiſſione ſummi Pontificis Sacramentum Confirmationis conferre.

Confirmatur: Eodem modo Pontifices loquuntur de adminiſtratione Confirmationis, atque de confectione & conſecratione Chriſmatis, vt patet ex Leone magno epiſt. 88. vbi ſic ait: *Nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare, Presbyteris & Chorepiſcopis liceat. Quæ omnia ſolis debere Pontificibus authoritate canonum præcipitur.* Sed Presbyteri non poſſunt, etiam ex conceſſione & diſpēſatione Apoſtolicæ Sedis, chriſma conficere, vt §. præcedenti oſtēdimus: Ergo nec Sacramentum Confirmationis adminiſtrare.

Ad obiectionem reſpondeo Innocentium III. aliquorum Presbyterorum præſumptionem coercere voluiſſe, qui abuſu intollerabili, poteſtatem confirmandi ſibi arrogabant, etſi nullam haberent ad hoc ſedis Apoſtolicæ conceſſionem, prætendentes id poſſe ex conſuetudine. Vt ergo Pontifex conſuetudinem illam, priſcis & antiquis Eccleſiæ moribus repugnantem, abrogaret vel cohiberet, ſtatuit ſatius eſſe Confirmationis Sacramento, ad ſalutem minimè neceſſario, aliquandiu carere,

quam

quam talem poteſtatem omnibus indiſcriminatim & pro quouis tempore Sacerdotibus impertire.

Ad confirmationem reſpondeo quod licet D. Leo Papa, & alij ſummi Pontifices, interdum eodem modo loquantur in ſuis decretalibus, de adminiſtratione confirmationis, atque de confectione & conſecratione Chriſmatis, nihilominus, cùm nunquam legatur ſimplici Sacerdoti conficiendi chriſma facta facultas, bene tamen adminiſtrandi Confirmationis Sacramentum, vrgens argumentum eſt, non poſſe ſimplicem Sacerdotem, etiam ex conceſſione Apoſtolicæ ſedis, chriſma conficere, bene tamen Sacramentum Confirmationis, chriſmate ab Epiſcopo conſecrato, adminiſtrare.

Obijcies ſecundò: non poteſt perfici Sacramentum ſine miniſtro inſtituto à Chriſto: Sed miniſter confirmationis à Chriſto inſtitutus, eſt ſolus Epiſcopus, vt definitur in Florentino & Tridentino ſupra citatis: Ergo à ſolo Epiſcopo poteſt hoc Sacramentum conferri.

Confirmatur: Dum Epiſcopus confirmat, id non præſtat præcisè ratione poteſtatis iuriſdictionis, quam habet in ſuam diœceſim, ſed ratione poteſtatis ordinis, characteri ſuo diuinitùs alligatæ; alioquin poteſtatem confirmandi poſſet ſuis Vicarijs generalibus, quibus iuriſdictionem ſuam tribuit, impertire: Ergo quicumque charactere Epiſcopali caret etiam poteſtate confirmandi, illi eſſentialiter annexa.

Ad obiectionem reſpondeo, miniſtrum quidem ordinarium confirmationis à Chriſto inſtitutum, eſſe ſolum Epiſcopum, ſimplicem

ta-

tamen Sacerdotem ex eadem Chriſti inſtitutione, eſſe illius miniſtrum extraordinarium, in caſu neceſſitatis, & ſuppoſita commiſſione Summi Pontificis, cui cùm Chriſtus commiſerit regimen totius Eccleſiæ, conſequenter dedit illi poteſtatem prouidendi de idoneo miniſtro confirmationis, in aliquibus caſibus extraordinarijs, in quibus Epiſcopus adeſſe non poteſt ad illud Sacramentum miniſtrandum. Vnde ad confirmationem dico, Epiſcopum vt miniſtrum ordinarium confirmare, ratione characteris ſui Epiſcopalis, Sacerdotem verò vt miniſtrum extraordinarium, & à ſummo Pontifice commiſſum, id præſtare, ratione ſui characteris Sacerdotalis, dependenter tamen à conceſſione ſeu diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ; licet enim poteſtas Ordinis ad confirmandum; non dependeat à poteſtate iuriſdictionis, quando eſt perfecta & completa, qualis eſt poteſtas Epiſcopalis; dependet tamen à ſuprema iuriſdictionis poteſtate in ſummo Pontifice exiſtente, quando eſt, ſicut poteſtas ſimplicis Sacerdotis, incompleta ad illum effectum. Vnde in ſimplici Sacerdote poteſtas Ordinis ad cofirmandum, non ſolùm characterem Sacerdotalem importat, ſed inſuper connotat Summi Pontificis conceſſionem, ſubindeque ſupremam iuriſdictionem, in eo vt in capite totiùs Eccleſiæ exiſtentem. Ex quo intelliges, non poſſe ſimplicem Sacerdotem ex commiſſione Epiſcopi confirmare, quia quæ ſpectant ad regimen totius Eccleſiæ (vt prouidere de idoneo miniſtro confirmationis in aliquibus caſibus extraordinarijs, in quibus Epiſcopus confirmare non poteſt) ſoli

ſum-

ſummo Pontifici competunt. Vnde nullibi legitur Presbyteros ex Epiſcopi iuſſione vel diſpenſatione confirmaſſe, ſed tantùm ex ſummi Pontificis priuilegio. Intelliges etiam, non poſſe Pontificem conferre Diacono facultatem confirmandi, quia talis poteſtas neceſſariò ſupponit vel requirit characterem Epiſcopalem, vel ſaltem Sacerdotalem; operatio enim Sacramentalis in corpus Chriſti myſticum, procedere debet ad habente poteſtatem in corpus Chriſti verum, quam Diaconus non habet, cùm non poſſit corpus Chriſti conſecrare. Vnde D. Thomas in 4 diſt. 7 qu. 3 art. 1 quæſtiunc. 3 *Promouere ad illas perfectiones quæ non reſpiciunt corpus Domini verum, ſed ſolum corpus myſticum, poteſt à Papa, qui habet plenitudinem poteſtatis Pontificalis, committi Sacerdoti, qui habet actum ſummum ſuper corpus Domini verum; non autem Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere corpus Domini verum.*

TRA-

TRACTATVS IV.

DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

SIcut in veteri teſtamento Agnus Paſchalis habuit rationem Sacramenti & Sacrificij, ita & in noua lege, Euchariſtia vtramque ſortitur rationem, cùm non ſolùm inſtituta ſit in animarum ſalutem, vt cætera Sacramenta; ſed etiam ad peculiarem Dei cultum ordinata, quomodo habet rationem Sacrificij. Illam ſub vtraque ratione in hoc tractatu conſiderabimus, & primò agemus de illa, vt habet rationem Sacramenti, deinde illam, vt eſt nouæ legis ſacrificium contemplabimur: inuocata priùs huius admirabilis Sacramenti, & incruenti Sacrificij gratia, verbis Diui Dionyſij, qui cap. 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, acturus de Euchariſtia, ſic præfatur: *O diuinum penitus, ſanctumque myſterium: obducta ſignantium operimenta ſigno-*

gnorum, dignanter operiens nobis, palam atque apertè luceſce, noſtroſque ſpirituales oculos, ſingulari & aperto tuæ lucis ſplendore imple.

CAPVT I.

De exiſtentia, eſſentia, vnitate, neceſſitate, & inſtitutione huius Sacramenti.

§. I.

Exiſtentia & eſſentia huius Sacramenti.

LIcet plures hæretici circa Euchariſtiam errauerint, nullus tamen ex illis negauit eam eſſe verum nouæ legis Sacramentum; hoc enim Scripturæ, Concilia, & SS. Patres apertè tradunt, & ratio congrua, quam adducit S. Thomas hic q. 73. art. 1. facilè ſuadet. Cùm enim nouæ legis Sacramenta (inquit) in eum finem ſint inſtituta, vt eorum ope in ſpirituali vita ſubueniretur hominibus, & vita eorum ſpiritualis, ſit corporeæ ſimilis: manifeſtum eſt, quod ſicut ad vitam corpoream requiritur generatio, per quam homo vitam accipit; & augmentum, quo perducitur ad perfectionem vitæ, & alimentum, quo conſeruatur in vita; ſic ad vitam ſpiritualem, præter Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis generatio; & Confirmationem, quæ eſt ſpirituale augmentum; oportuit eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, quæ eſt ſpirituale alimentum. Nec re-

refert quod in via corporea augmentatio & nutritio proueniant ab eodem alimento: non enim eſt exacta & perfecta ſimilitudo inter res corporeas & ſpirituales; augmentum enim corporeum ſucceſſiuè fit, per multiplicem vſum cibi & potus, ſpirituale verò fit totum ſimul, per Sacramentum confirmationis, quod idcirco iterari non poteſt. Item ſpirituale robur quod datur in confirmatione, non fit ad modum nutritionis, ſed in modum vnctionis athleticæ: vnde conueniens fuit, vt præter confirmationem, qua tale robur per chriſmaticam vnctionem confertur, daretur cibus & potus Euchariſticus, ad ſpiritualem refectionem. Addo quod, licet hæc duo potuiſſet Chriſtus vnico Sacramento præſtare, conuenientius tamen fuit, vt non niſi duobus hos effectus tribueret; tum vt in ipſa Sacramentorum diuerſitate, varietas & multitudo effectuum gratiæ cognoſceretur. Tum etiam vt hac Sacramentorum mirabili & ſapientiſſima varietate, magis ab hominibus coleretur Deus.

Maior difficultas eſt, in quo conſiſtat Sacramenti huius eſſentia? In primis enim Hæretici huius temporis exiſtimant, hoc Sacramentum non conſiſtere in aliqua re permanente, ſed in ſolo vſu ſeu ſumptione; ita quod ſicut aqua in baptiſmo non habet rationem Sacramenti, niſi quando actu applicatur, ita nec Euchariſtia, niſi cùm actu manducatur, non verò quando conſeruatur in pixide. Hic error à Tridentino proſcribitur ſeſſ. 13. can. 3. & cap. 3 vbi ſic ait: *Illud in Euchariſtia excellens & ſingulare eſt, quod reliqua*

Sa-

Sacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur; at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis author ante vſum eſt. Nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cùm verè tamen ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe quod præbebat. Quibus verbis ſancta Synodus hanc rationem inſinuat: Tunc aderat in nocte cœnæ corpus Chriſti, quando hæc verba ab eo prolata ſunt: *Hoc eſt corpus meum*, alioquin eius propoſitio fuiſſet falſa, & Chriſtus mendacium protuliſſet: Sed antequam Apoſtoli manducaſſent corpus Chriſti, verba illa Chriſtus protulit: Ergo ante vſum & ſumptionem huius Sacramenti, corpus Chriſti erat ſub ſpeciebus panis, ſubindeque tunc exiſtebat Euchariſtiæ Sacramentum.

Negant Minorem Caluiniſtæ, contendentes verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, non fuiſſe prolata ante actionem manducandi, ſed inter manducandum, quod colligi putant ex ſerie verborum D. Matthæi cap. 26. vbi ſic habetur: *Accepit Ieſus panem, & Benedixit ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis & ait, accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Sed hoc facilè refellitur, quia ex eo Chriſtus Diſcipulos ſuos inuitabat ad manducationem, quòd cibus quem manibus tenebat eſſet corpus ſuum: Ergo priùs fuit corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, quam manducarent Apoſtoli. Vnde non debet hic attendi ſeries verborum D. Matthæi (alioquin ex textu Marci 14. *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic eſt ſanguinis meus &c.* ſequeretur corpus & ſanguinem Chriſti ſolùm

lùm eſſe in hoc Sacramento poſt vſum & ſumptionem illius, quod nec ipſi quidem hæretici admittunt) ſed ſolùm debet attendi ſignificatio & ſenſus, quem ex conſtanti Eccleſiæ & Patrum ſenſu conſtat eſſe hunc, vt ſignificetur Chriſtum, dum panem adhuc manu tenebat, ante diſtributionem dixiſſe: *Hoc eſt corpus meum.*

Accedit auctoritas plurimorum Patrum, aſſerentium Euchariſtiam aſſeruari & recondi in arculis, vel pixidibus, domum aſportari, à fidelibus ſecum deferri, ad collum ſuſpendi, & ſimilia, quæ illam eſſe quid permanens, apertè declarant. Tertullianus enim lib. 2. ad vxorem innuit fuiſſe olim moris, vt fideles Euchariſtiam ſecum deferrent, quam oportuno tempore reciperent. Baſilius in epiſt. ad Cæſariam Patritiam teſtatur, Anachoretas, qui non poterant commodè ſæpiùs Eccleſiam frequentare, Euchariſtiam ſecum in Eremum deferre. Cyprianus ſerm. de lapſis narrat mulierem Euchariſtiam domi in arcula ſua concluſam, indignis manibus tractare tentantem, igne ſurgente ſubitò, fuiſſe deterritam. Ambroſius in orat. de obitu Satyri fratris ſui cap. 7. ſcribit eum in orario inuolutam Euchariſtiæ particulam ſuſpendiſſe ad collum ſuum, in periculo naufragij, & eo auxilio fretum, ſe deieciſſe in mare, ac liberum ad litus euaſiſſe. Iuſtinus Martyr, qui vixit primo ſæculo poſt Apoſtolos, in ſecunda Apologia prope finem, ſcribit poſt ſacra peracta in Eccleſia, Euchariſtiam dari conſueuiſſe Diaconis, deferendam ad abſentes, qui impediti fuerant ex cauſa rationabili, ne cele-

lebrationi myſteriorum intereſſent. Demum S. Hieronymus epiſt. ad Ruſtic. laudat S. Exuperium Epiſcopum Toloſanum, quòd ob inopiam volontariam, cogeretur Chriſti corpus in caniſtro portare. Verba eius ſunt: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, & ſanguinem portat in vitro.* Quæ teſtimonia adeò expreſſa ſunt & manifeſta, vt Caluinus fateri coactus ſit, pro nobis ſtare exemplum veteris Eccleſiæ: *ſed in re tanta* (inquit) *tutius eſt ſequi veritatem*, ei ſcilicet, & alijs eiuſmodi Apoſtatis reuelatam, & prioribus ſæculis, SS. Patribus, ac toti Eccleſiæ occultatam.

Ratio etiam ſuffragatur: nam Euchariſtiæ Sacramentum per modum cibi & potus à Chriſto inſtitutum eſt, iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus:* At cibus & potus ſunt quid permanens, nec vſus cibi & potus, ſiue eius ſumptio, de ipſius eſſentia cenſetur, ſed eſt ſolùm ipſius applicatio, ſeu conditio ad nutritionem requiſita: Ergo ſimiliter Sacramentum Euchariſtiæ eſt quid permanens, & eius ſumptio ſeu vſus eſt tantùm conditio requiſita, vt virtus eius habeat ſuum effectum, ſpiritualem ſcilicet animæ refectionem. Nec refert quod Baptiſmus, Confirmatio & alia nouæ legis Sacramenta, in vſu conſiſtant. In hoc enim Euchariſtia differt ab alijs nouæ legis Sacramentis, quòd continet rem ſacram abſolutè, nempe corpus Chriſti; alia verò ſolùm continent rem ſacram in ordine ad aliud, nempe virtutem ad ſanctificandum eos quibus applicantur. Ex

quo fit quod Euchariſtia perficiatur in ſola conſecratione materiæ, alia verò in applicatione ad hominem ſanctificandum.

Quantùm ad Catholicos, qui vniuerſaliter tenent hoc Sacramentum in aliquâ re permanente conſiſtere, difficultas & controuerſia eſt inter illos quid in Euchariſtia habeat propriè & eſſentialiter rationem Sacramenti, ſeu ſigni ſenſibilis gratiæ ſanctificantis? Multa enim in ea ſunt de quibus dubitari poteſt, an talis ratio eis conueniat, nempe verba conſecrationis; actio tranſubſtantiatiua, ſeu conuerſiua panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, ſpecies continentes corpus & ſanguinem Chriſti, corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus contenta; demum ſumptio Euchariſtiæ, quæ vocatur vſus illius? Quæritur ergo quid ex illis quinque habeat propriè & eſſentialiter rationem Sacramenti in Euchariſtia?

Reſpondeo breuiter, Sacramentum Euchariſtiæ, vt Sacramentum eſt, ſeu ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis, conſiſtere eſſentialiter in ſpeciebus conſecratis, connotatis tamen corpore & ſanguine Chriſti, ſub eis contentis, vt cauſatiuis gratiæ nutrimentalis, verbis conſecratorijs, ipſaque conſecratione, vt cauſa vel actione per quam efficitur, & ipſo vſu ſeu ſumptione, tanquam fine ad quem ordinatur. In primis enim quod nec verba conſecrationis, nec ipſa conſecratio, ſeu actio conuerſiua panis in corpus & ſanguinem Chriſti, nec vſus ſeu ſumptio Euchariſtiæ, poſſint eſſe ipſum Euchariſtiæ Sacramentum, nec partes eſſentiales & intrinſecæ conſtitu-

tiuæ

tiuæ illius, manifeſtum eſt, quia, vt iam oſtendimus contra hæreticos, Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in aliqua re permanente, hæc verò entia ſucceſſiua ſunt. Præterquam quod verba conſecrationis, & ipſa conſecratio, ſunt cauſa, vel actio, per quam conficitur Euchariſtia, ſeu fieri & via ad Sacramentum: Sed cauſa vel actio per quam conficitur Sacramentum, non eſt ipſum Sacramentum, & via non eſt ratio conſtitutiua termini: Ergo Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit eſſentialiter in verbis conſecrationis, nec in ipſa conſecratione, nec illa poſſunt eſſe partes intrinſecæ & eſſentiales illius. Idem dicendum eſt de vſu ſeu ſumptione, vſus enim cibi, non eſt ipſe cibus, ſed ſolùm eius applicatio; vnde ante ſumptionem Euchariſtiæ, ac ſtatim poſt conſecrationem, eſt integrum & completum Euchariſtiæ Sacramentum. Similiter euidens eſt, quod non ſolæ ſpecies ſacramentales, nec ſolum corpus & ſanguis Chriſti ſub eis contenta, ſunt totum Euchariſtiæ Sacramentum; quia ſolæ ſpecies, ſecluſo corpore & ſanguine Chriſti, non poſſunt eſſe cibus ſpiritualis, & cauſa vitæ ac nutritionis animæ, cùm non habeant vim ſanctificandi & viuificandi, niſi à corpore & ſanguine Chriſti, quæ ſub eis continentur. Ipſum verò Chriſti corpus, cùm non ſit ſenſibile, niſi ratione ſpecierum, non poteſt ſe ſolo, & illis ſecluſis, habere rationem Sacramenti, ſeu ſigni ſenſibilis gratiæ ſanctificantis. Debet ergo Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtere, vel in aggregato ex ſpeciebus & corpore ac ſanguine Chriſti, vt volunt plu-

res ex Recentioribus. Vel, vt meliùs dicunt Thomiſtæ, in ſpeciebus vt conſecratis, & continentibus ac connotantibus corpus & ſanguinem Chriſti. De illis enim ſic conſideratis verificatur quidquid eſt de ratione Sacramenti, nempe eſſe ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis. Sicut enim de ſe ſenſibiles, vt conſtat; ratione verò corporis & ſanguinis Chriſti quæ connotant & continent, habent vim ſanctificandi, & cauſandi gratiam, animam cibantem ac reficientem. Vnde Catechiſmus Romanus eam apertè tradit ſententiam titulo de Euchar. nu. 8. his verbis: *Diligenter obſeruandum eſt, multa in hoc myſterio eſſe, quibus aliquando Sacramenti nomen ſacri Scriptores tribuerunt. Interdum enim & conſecratio frequenter verò, & ipſum Domini corpus & ſanguis, qui in Euchariſtia cõtinetur, Sacramentum vocari conſuetudo... Verùm hæc omnia minùs propriè Sacramenta dici perſpicuum eſt. Ipſæ autem panis & vini ſpecies, veram & abſolutam huius nominis rationem habent.*

Obijcies primò: Florentinum in decreto Eugenij ait, Sacramenta nouæ legis perfici rebus vt materia, & verbis vt forma: Ergo ſicut in alijs ſacramentis verba ſunt forma intrinſeca & pars eſſentialis, ita & in Euchariſtiæ ſacramento verba conſecrationis; præſertim cùm per illa ſpecies determinentur ad ſignificandam gratiam cibantem, ſicut in baptiſmò aqua determinatur per verba ad ſignificandam gratiam regenerantem.

Reſpondeo verba Florentini intelligenda eſſe & applicanda ſacramentis nouæ legis per diſtributionem accommodam; ita vt de illis

quæ

quæ in vſu conſiſtunt poſſit dici ipſa intrinſecè componi ex rebus & verbis : de Euchariſtia verò, quæ non conſiſtit in vſu, ſed in re permanente, extrinſecè tantùm ; quia in hoc ſacramento verba conſecrationis non determinant materiam, niſi extrinſecè & efficienter, quatenus eam in corpus & ſanguinem Chriſti conuertunt ; in baptiſmo verò, & alijs ſacramentis in vſu conſiſtentibus, verba intrinſecè & formaliter determinant materiam ad ſignificandum gratiam ſacramentalem, ſeu cuilibet ſacramento propriam.

Obijcies ſecundò : Sacramenta nouæ legis ſunt ſigna practica & effectiua gratiæ:Sed Euchariſtia non cauſat gratiam, niſi in actuali vſu & ſumptione : Ergo talis vſus & ſumptio, vel eſt ipſum Euchariſtiæ ſacramentum, vel ſaltem pars eſſentialis illius.

Reſpondeo de ratione ſacramenti non conſiſtentis in vſu, quale eſt Euchariſtia, non eſſe quod cauſet ſemper in actu ſecundo gratiam ſed ſufficere quod ſemper ſit aptum eam cauſandi, & de facto ipſam cauſet, poſitis requiſitis, atque adeò poſito vſu, ſiue applicatione, tanquam conditione ſine qua non. Vnde vſus non eſt pars intrinſeca huius ſacramenti, ſed duntaxat finis ad quem ordinatur, ſubindeque extrinſecum illius connotatum.

Obijcies tertiò, SS. Patres dicunt Euchariſtiam eſſe carnem Chriſti, vel corpus Chriſti, eamque eſſe ſpiritualem animæ cibum : Sed hæc verificari nequeunt, niſi hoc ſacramentum conſtet corpore Chriſti, tanquam parte intrinſeca illud componente vna cum ſpeciebus ; Ergo reuera corpus Chriſti eſt pars

huius Sacramenti, & non ſolùm aliquid in eo contentum. Vnde D. Thomas in 4. diſtin. 8. quæſt. 1. artic. 1. quæſtiunc. 1. ad 2. ſic ait: *Ex ſpeciebus & corpore Chriſti fit vnum Sacramentum.*

Reſpondeo, conceſſa Maiori negandą Minorem: Euchariſtia enim à SS. Patribus caro vel corpus Chriſti appellatur per metonymiam, tribuendo contento nomen continentis, qui eſt frequentiſſimus modus loquendi. Similiter dicitur ſpiritualis animæ cibus, quia ſignificat & cauſat gratiam animam cibantem; quod non ſolùm conuenit corpori Chriſti, ſed etiam ſpeciebus conſecratis, vt eleuatis, ad cauſandam gratiam; nam ratione huius eleuationis, ſunt cibus animæ, quo ſpiritualiter nutritur: quia tamen corpus Chriſti, vtpote inſtrumentum Diuinitati coniunctum, ad hanc nutritionem nobiliori modo concurrit, animæ cibus ſimpliciter & communiter appellatur. Ad D.Thomam dicendum, quod vt ex ſpeciebus conſecratis & corpore Chriſti dicatur fieri vnum Sacramentum non requiritur quod illa ſe habeant adinuicem per modum partium vel extremorum componentium, ſed ſufficit quod ſpecies conſecratæ connotent corpus Chriſti, vt rem ab ipſis contentam & ſignificatam. Vnde idem S. Doctor poſt verba in obiectione relata, ſubdit: *Sicut in alijs Sacramentis ex elemento & virtute quaſi vnum efficitur.* Virtus autem per quam alia Sacramenta eleuantur, non eſt Sacramentum, nec pars intrinſeca componens illud, nec ad illud pertinet in recto, ſed tantùm in obliquo: Ergo & in Sacramento Euchariſtiæ

cor-

corpus Chriſti non ſe habet per modum partis intrinſecæ, ſed ſolùm per modum contenti & ſignificati à ſpeciebus conſecratis. Ex ſpeciebus ergo in recto importatis, & corpore Chriſti in obliquo, fit vnum Sacramentum; eò quod ſpecies non poſſint habere rationem Sacramenti niſi contineant ipſum corpus Chriſti, quia aliàs non ſignificarent gratiam cibantem, cùm non habeant eam ſignificare, niſi ex determinatione facta per verba, quæ vt verificentur, debent ſpecies realiter continere corpus Chriſti.

Obijc es quartò: Sacramentum Euchariſtiæ ſecundùm ſe eſt adorandum adoratione latriæ, vt docet Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 5. Atqui ſpecies, etiam cum habitudine ad corpus Chriſti præſens conſideratæ, non debent adorari cultu latriæ; quia vt ſæpe docet ſeptima Synodus, hoc cultu Deus adorari debet: Ergo ſpecies conſecratæ, ſeu vt dicentes habitudinem ad corpus Chriſti præſens, non ſunt ipſum Euchariſtiæ Sacramentum, nec pro illo ſupponunt.

Reſpondeo, conceſſa Maiori, negando Minorem; cùm enim ſpecies Sacramentales ex eo quod contineant Chriſtum, ſint ei coniunctæ, obijciuntur adorandæ eodem actu quo Chriſtus adoratur: vnde ſicut qui adorat Verbum in carne, eodem actu adorat carnem ipſam; ita qui adorat Chriſtum ſub ſpeciebus Euchariſticis, eadem adoratione adorat ipſas ſpecies. Quod vt meliùs percipiatur: Aduertendum eſt, ſpecies Euchariſticas poſſe duobus modis adorari, vel ſimul cum ipſo Chriſto, vel ſeparatim ab illo, & præcisè propter

dignitatem quam habent ex eo quod ipſum contineant. Si adorentur ſimul cum Chriſto, quamuis res per ſe primò adorata ſit Chriſtus, concomitanter tamen, & quaſi implicitè, atque adeò eodem cultu quo Chriſtus, adorantur ſpecies illæ. Si verò adorentur vt diſtinctè à Chriſto, fateor adorationem illam non eſſe latriæ perfectæ, ſed hyperduliæ; quia licet dignitas quæ prouenit in illis ſpeciebus ex coniunctione ad Chriſtum, ſit maior omni excellentia & dignitate purè creata & creabili, minor tamen eſt, quam dignitas Chriſti ſecundùm ſe conſiderati; & in hoc ſenſu debet explicari ſeptima Synodus.

Ex dictis colligitur primò, quod in Euchariſtia ſpecies conſecratæ, continentes corpus & ſanguinem Chriſti, ſunt Sacramentum tantùm: corpus autem & ſanguis Chriſti ſub illis contenta, ſunt res Sacramenti & Sacramentum ſimul: gratia verò ſanctificans, res Sacramenti tantùm. Ratio eſt, quia ſpecies conſecratæ ſignificant tantùm & non ſignificantur. Corpus & ſanguinis Chriſti ſignificantur ipſis ſpeciebus, & ſignificant gratiam. Gratia verò ſanctificans per modum alimenti ſpiritualis, tantùm ſignificatur, nec ſignificat aliquid quod ſit proprius huius Sacramenti effectus; licet ſignificet gloriam, quæ eſt ſignificatum commune omnibus Sacramentis.

Colligitur ſecundò, Sacramentum Euchariſtiæ phyſicè ſumptùm, nihil aliud eſſe quam ſpecies panis & vini conſecratas, ſub præſcripta verborum forma, vt realiter continent Chriſtum, ad cauſandam gratiam cibantem

ani-

animam, Metaphyſicè verò conſideratum, eſſe Sacramentum nouæ legis, ſignificans Chriſtum, vt realiter contentum ſub ipſis ſpeciebus, & gratiam cibantem animam.

§. II.

Vnitas huius Sacramenti.

Certum eſt Euchariſtiæ Sacramentum, licet conſtet duabus ſpeciebus & formis partialibus, eſſe tamen vnum ſpecie atoma Sacramentum, & non plura ſpecie diuerſa: Ait enim Catechiſmus Romanus parte 2. cap. 4. *Licet duo ſint elementa, panis ſcilicet & vinum ex quibus integrum Euchariſtiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura, ſed vnum tantum Euchariſtiæ Sacramentum, Eccleſiæ authoritate ducti, confitemur*. Verùm difficultas eſt, vnde ſit vnitas ſpecifica huius Sacramenti petenda? Aliqui enim illam ſumunt ex vnitate rei contentæ, quæ eſt Chriſtus, alij ex vnitate inſtitutionis, alij ex vnitate paſſionis Chriſti, quam ſignificat, vel ex vnione fidelium, quam cauſat. Sed meliùs S. Thomas eam ex vnitate finis ad quem ex inſtitutione Chriſti ordinatur, venandam eſſe docet hic artic. 2. vbi ſic diſcurrit: *Sacramentum Euchariſtiæ ordinatur ad ſpiritualem refectionem, quæ corporali conformatur: ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, ſcilicet cibus, qui eſt alimentum ſiccum, & potus, qui eſt alimentum humidum, & ideò etiam ad integritatem huius Sacramenti duo concurrunt, ſcilicet ſpiritualis cibus, &*

ſpiritualis potus, ſecundùm illud Ioan. 6. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: Ergo hoc Sacramentum multa quidem eſt materialiter: ſed vnum formaliter & perfectiuè. Quæ ratio illuſtrari poteſt, exemplo Sacramenti Extremæ-Vnctionis: Nam ſicut in Extrema-Vnctione ſunt plures vnctiones partiales, & plures formæ partiales, & tamen eſt vnum Sacramentum, quia illa omnia ordinantur ad vnum finem, & ad vnum effectum, ſcilicet ad tollendum omnes reliquias peccatorum, quæ ex ſenſibus oriuntur, & animam deprimunt. Ita Sacramentum Euchariſtiæ, licet conſtet duabus ſpeciebus, & formis partialibus, cenſetur tamen eſſe vnicum ſpecie Sacramentum, quia ordinatur ad vnum finem, nimirum ad vnam integram refectionem ſpiritualem.

Non minùs certum videtur, Sacramentum Euchariſtiæ, licet vnum ſpecie, diuidi tamen in plura numero Sacramenta, ſecundùm quod in diuerſis Eccleſijs & altaribus conſecratur: cùm enim tunc ſint plures materiæ, & plures formæ huius Sacramenti, numero diuerſæ, non poſſunt non eſſe plura Sacramenta, numero diſtincta. Sed difficultas & controuerſia eſt inter Theologos, vnde tunc vnitas vel diſtinctio numerica huius Sacramenti deſumenda ſit? Quidam enim putant eam deſumi ex vnitate & continuatione phyſica ſpecierum; atque ita quot fuerint ſpecies panis & vini phyſicè diſcontinuatæ, tot eſſe numero Sacramenta. Alij verò exiſtimant eam petendam eſſe à conſecratione per quam conficitur, ita vt vnum ſit Sacramentum, quod vnica con-

ſecratione conficitur, plura verò numero Sacramenta, ſi diuerſis conſecrationibus conficiantur. Alij demum aſſerunt, vnitatem numericam Euchariſtiæ, nec ex continuatione phyſica ſpecierum, nec ex vnitate conſecrationis ſumi debere, ſed ex ordine ad vnam ſumptionem. Et hæc ſententia probabilior videtur, quia Euchariſtiæ Sacramentum eſt inſtitutum à Chriſto per modum conuiuij ſpiritualis, quo reficitur anima, vnde de illo agendum eſt cum proportione & analogia ad conuiuium materiale: Sed conuiuium materiale non habet ſuam vnitatem numericam à phyſica continuatione ciborum, cùm plura fercula inter ſe diſcontinua, poſſint in eodem conuiuio miniſtrari: nec ab actione qua præparatur, cùm vnica vel pluribus actionibus inter ſe diſcontinuis, & numero diuerſis, præparari poſſit; ſed à cibis & ferculis, prout ordinantur ad vnam refectionem: Ergo pariter vnitas numerica Sacramenti Euchariſtiæ, non ſumitur à continuatione phyſica ſpecierum, nec ex vnitate conſecrationis, per quam conficitur, ſed ex ordine ad vnam numero refectionem ad quam deſeruit. Quod vt magis declaretur & illuſtretur.

Aduertendum eſt, duplicem eſſe conſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ in eſſe indiuiduali, vnam incompletam, conuenientem ei ex intentione ſaltem virtuali Sacerdotis conſecrantis, per quam deputatur ad vnam vel plures refectiones: Alteram completam, qua conſequenter ad talem intentionem, idem ſacramentum deſeruit de facto ad vnam vel plures refectiones, Vnde licet Sacerdos conſe-

cret plures hoſtias, in ordine ad plures refectiones, non habent tamen completè, ſed tantùm inchoatiuè, eſſe plura numero ſacramenta, antequam in ipſa ſumptione deſeruiant de facto pluribus refectionibus. Similiter ſi plures conſecret, in ordine ad vnicam numero refectionem, inchoatiuè tantùm ex tunc erunt vnicum numero ſacramentum, completiuè verò in ipſa actuali & vnica ſumptione. Sicut plura fercula pluribus refectionibus deputata, ex illa deputatione, inchoatiuè tantùm conſtituunt plura conuiuia; completè verò plura efficiunt, quando de facto pluribus refectionibus deſeruiunt; & è conuerſo, quando plura fercula ad vnam tantùm refectionem deputantur, ex tali deputatione conſtituunt inchoatiuè tantùm vnum conuiuium; completè verò, quando de facto miniſtrantur, & vni tantùm refectioni deſeruiunt.

§. III.

Neceſſitas huius Sacramenti.

CErtum eſt, hoc Sacramentum in re ſuſceptum, non eſſe neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem, nam paruuli ſacris vndis intincti, vel proprio ſanguine baptizati, ſalutem abſq; actuali Euchariſtiæ perceptione obtinent, vt definit Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 4. Sæpè etiam adulti in ea rerum ſerie conſtituuntur, in qua cœleſti hoc cibo paſci nequaquam poſſunt, vt qui tempeſtate iactati, in aquis ſepeliuntur, vel qui ad mortem damnantur, aut vomitum patiuntur, quibus Eccle-

ſia

ſta non ſolet Euchariſtiæ ſacramentum porrigere, etiam in articulo mortis. Certum eſt etiam, votum ſeu deſiderium formale & explicitum recipiendi ſacramentum Euchariſtiæ, non eſſe de neceſſitate ſalutis. Votum enim alicuius rei eſt in ſupplementum illius, vnde dicitur eius vicarium, atq; adeò non poteſt eſſe magis neceſſarium ad ſalutem, quam ſit ipſa res quæ deſideratur: Ergo ſi Euchariſtia actu ſuſcepta, non ſit de neceſſitate ſalutis, eius votum ſeu deſiderium formale & explicitum, non erit ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium. Solùm ergo difficultas eſt & controuerſia inter Theologos, an ſaltem implicitum & virtuale Euchariſtiæ votum, ſit omnibus neceſſitate medij ad ſalutem neceſſarium? Hoc enim negant plures ex Recentioribus, affirmant verò Thomiſtæ cum S. Doctore hic art. 3. vbi ſic ait: *Per Baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam: & ideò ex hoc ipſo quod pueri baptizantur, ad Euchariſtiam ordinantur per Eccleſiam, & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex fide Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam*. Et quæſt. 79. art. 1. ad 1. *Hoc Sacramentum ex ſeipſo virtutem habet gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante ſuſceptionem huius Sacramenti, vel niſi in aliquo voto ipſius; vel per ſeipſum, ſicut adultis; vel voto Eccleſiæ, ſicut paruulis*.

Ratio etiam ſuffragatur: Baptiſmus enim & pœnitentia ſunt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem: Sed in baptiſmo & pœnitentia, alijſque Sacramentis, includitur implicitè, virtualiter, & interpretatiuè, votum Euchariſtiæ; Ergo Sacramentum Euchariſtiæ,

in

in voto ſaltem implicito, tacito, & interpretatiuo, eſt neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij. Maior eſt certa, minor probatur. In volitione medij includitur, implicitè ſaltem, virtualiter, & interpretatiuè, intentio finis, ſeu voluntas & votum ipſius: Atqui Sacramentum Euchariſtiæ eſt finis baptiſmi, & pœnitentiæ, aliorumque Sacramentorum: Ergo in baptiſmo, & pœnitentia, alijſque Sacramentis, implicitè, virtualiter, & interpretatiuè includitur votum Euchariſtiæ. Maior patet, minor verò probatur à D. Thoma ſupra quæſt. 65. art. 3. vbi ſic diſcurrit: *Omnia alia Sacramenta ordinari videntur ad hoc Sacramentum* (Euchariſtiæ) *ſicut ad finem: manifeſtum eſt enim quod Sacramentum Ordinis ordinatur ad Euchariſtiæ conſecrationem, Sacramentum vero baptiſmi ordinatur ad Euchariſtiæ receptionem. In quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, vt non vereatur ſe ſubtrahere à tali Sacramento. Per pœnitentiam etiam & extremam vnctionem præparatur homo ad dignè ſumendum corpus Chriſti, Matrimonium etiam ſaltem ſua ſignificatione, attingit hoc Sacramentum, in quantum ſignificat coniunctionem Chriſti, & Eccleſiæ cuius vnitas per Sacramentum Euchariſtiæ figuratur, vnde & Apoſtolus dicit Epheſ. 5. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

Confirmatur primò: Omnis res inclinatur ad ſuam perfectionem & conſummationem, tanquam in proprium finem: Sed Euchariſtia eſt perfectio & conſummatio aliorum ſacramentorum, quia gratia quæ in illis confer-

fertur, habet nos vnire Chriſto, quæ vnio maximè perficitur & conſummatur per Euchariſtiam: vnde Dionyſius de Eccleſ. hierarchia cap 3. ait quod *non contingit aliquem perfici perfectione hierarchica, niſi per diuiniſſimam Euchariſtiam*: Ergo illa eſt finis aliorum Sacramentorum.

Confirmatur ſecundò: Cùm Deus ſit finis omnium creaturarum, id in quo ſpeciali modo inhabitat, habet rationem finis reſpectu aliorum: vnde quia Deus eſt in Chriſto homine, ſpeciali modo, nimirum per vnionem hypoſtaticam, Chriſtus vt homo eſt finis omnium creaturarum: quare in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. dicitur cauſam finalem iuſtificationis noſtræ, eſſe gloriam Dei & Chriſti: Sed Chriſtus Deus & homo eſt ſpeciali modo in Sacramento Euchariſtiæ, cùm hoc Sacramentum realiter & ſubſtantialiter ipſum contineat: Ergo illud eſt finis aliorum Sacramentorum.

Ex his intelliges, quod licet realis & Sacramentalis receptio Euchariſtiæ, non ſit de neceſſitate ſalutis, bene tamen miſtica & ſpiritualis quæ conſiſtit in vnione & incorporatione cum Chriſto, ad quam omnia Sacramenta vt in finem ordinantur, præſertim baptiſmus, cùm ſit initium vitæ ſpiritualis, quod ſpeciali quadam ratione ad ſuam perfectionem & conſummationem tanquam in finem inclinatur. Vnde Auguſtinus verba illa Chriſti Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, extendit ad paruulos, ait enim lib. 1. de peccat. meritis cap. 20. *An*

20. *An verò quiſquam hoc dicere audebit; quod ad paruulos hæc ſententia Domini non pertineat, poſſintque ſine participatione corporis huius & ſanguinis, in ſe habere vitam.* Quod non eſt intelligendum de participatione reali & Sacramentali (vt perperam Auguſtino Caluiniſtæ imponunt) ſed de myſtica & ſpirituali, quæ conſiſtit in vnione & incorporatione cum Chriſto, ad quam baptiſmus ſpecialiter ordinatur, vt exponit ipſemet Doctor Sanctus lib. 3. de peccat. meritis cap. 4. ipſumque interpretatur D. Thomas ſupra qu. 65. art. 4. ad 2. & hic quæſt. 73. art. 3. ad 1.

Argumenta Aduerſariorum ſoluta manent ex dictis, ea enim ſolùm probant, actualem Euchariſtiæ receptionem, vel eius votum explicitum & formale, non eſſe de neceſſitate ſalutis, id tamen non oſtendunt de voto implicito & virtuali Euchariſtiæ, quod in ſuſceptione baptiſmi & aliorum Sacramentorum includitur. Vnde diligenter obſeruandum eſt, Euchariſtiam poſſe duobus modis conſiderari, nimirum vt eſt particulare aliquod Sacramentum, & vt eſt cauſa vniuerſalis aliorum Sacramentorum, quæ ad illam vt ad finem ordinantur, quatenus habet incorporare nos Chriſto illique nos perfectè vnire, qui eſt finis omnium Sacramentorum, vt antea declaratum eſt. Primo modo efficienter concurrit ad producendam gratiam quam confert diſtinctam à cæteris; ſecundo verò influit per modum cauſæ finalis in omnem gratiam & in omnes effectus qui dantur per alia Sacramenta. Vnde ſi primo modo

conſideretur, votum eius non eſt de neceſſitate ſalutis, benè tamen ſi altero modo ſpectetur; quia nemo poteſt ſalutem conſequi, niſi Chriſto vniatur & incorporetur.

§. IV.

Inſtitutio huius Sacramenti.

HOc Sacramentum fuiſſe à Chriſto inſtitutum in nocte cœnæ vltimæ, factæ cum Diſcipulis pridie quam pateretur, de fide certum eſt, cùm hoc apertè teſtentur Euangeliſtæ, præſertim Matthæus cap. 26. Illudque tempus fuiſſe eius inſtitutioni conuenientiſſimum, ex eo patet, quòd teſtamenta fieri ſoleant ante mortem teſtatoris; quare cùm Chriſtus in Euchariſtia ſuum corpus & ſanguinem Diſcipulis & alijs fidelibus quaſi teſtamento legauerit, vt dicitur Lucæ 22. conuenientiſſimum fuit, vt pridie quam moreretur, mirabile hoc Sacramentum inſtitueret. Vnde Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2 *Saluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuiniſſimi ſui amoris veluti in nos effudit.*

In hoc conueniunt omnes Canonici, ſed celebris eſt controuerſia inter Græcos & Latinos, qua die Chriſtus vltimam cœnam cum Apoſtolis fecerit: Græci enim vt ſuum ritum de confectione Euchariſtiæ in pane fermentato tueantur, aſſerunt Chriſtum cœnam illam celebraſſe, non die aut Luna 14. primi menſis (qui apud Iudæos erat menſis Martius) nam tunc Iudæis non licebat comedere

fer-

fermentatum, vt patet Exodi 12. Sed die aut Luna 13. quo tempore Iudæi non azymis, ſed fermentatis panibus vtebantur. Latini è contra, vt ſuum ritum de conſecrando in azymo defendant, affirmant Chriſtum cœnam agni Paſchalis celebraſſe die ſeu Luna 14 menſis primi, in qua incipiebat ſolemnitas primæ diei azymorum, ſubindeque Chriſtum in azymo non verò in fermentato conſecraſſe. Quæ ſententia nititur euidentibus Scripturæ teſtimonijs, dicitur enim Matth. 26. *Prima autem die azymorum, accesſerunt Diſcipuli ad Ieſum dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Et paulò poſt dicitur Chriſtum veſpere facto cum illis diſcubuiſſe & cœnaſſe, quod idem aſſeritur Marci 14. Lucæ 22. Atqui prima dies azymorum, non erat decima tertia menſis primi, quia tota die decima tertia comedebatur panis fermentatus, ſed decima quarta, in cuius veſpera incipiebat comedi azyma, & non licebat comedere fermentatum, aut illud in domibus habere, vt patet Exodi 12. Ergo Chriſtus non celebrauit die decima tertia, ſed decima quarta primi menſis, cœnam paſchalem cum Diſcipulis ſuis, in qua Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit. Vnde Theophylactus in cap. 22. Lucæ: *Diem azymorum*, inquit, *nominat feriam quintam, in cuius veſpera Paſcha immolaturi erant.*

Nec valet, quod ait Euthymius, nempe per primum diem azymorum Euangeliſtas intellexiſſe pridie azymorum in qua volunt Chriſtum cœnam Paſchalem cum Diſcipulis celebraſſe, ſubindeque ſolemnitatem illam vna

die præueniſſe. Non valet, inquam, tum quia Lucas addit diem feſtum: erat autem dies feſtus ſolùs primus & ſeptimus dies azymorum, vt conſtat Exodi 12. Tum etiam, quia non eſt aſſignabilis cauſa ſufficiens, ob quam Chriſtus legis obſeruantiſſimus cuſtos, qui non venerat legem ſoluere, ſed adimplere, eam tranſgredi voluiſſet, & legalem cœnam celebrare pridie quam lex iuberet. Et certè, ſi diem à lege præſcriptum in comedendo agno Paſchali præueniſſet, iuſtam eum accuſandi mortique tradendi cauſam, Iudæi inueniſſent, cùm de obſeruantia azymorum lex dicat Exodi 12. *Quicumquè fermentatum comederit, peribit anima illa ex Iſrael.* Nec verum eſt quod ait idem Euthymius, nempe fuiſſe licitum in antiqua lege præuenire Paſcha, quamuis non liceret vltra diem conſtitutum à lege illud differre. Nam ſcriptura nullibi apparenter quidem id inſinuat, ſed potiùs contrarium apertè indicat. Numerorum enim cap. 9. lex permittit quidem in fauorem immundorum, ac peregrinorum, vt propter immunditiam, aut peregrinationem longinquam extra terram Chanaam, Paſcha ſuum in ſecundum menſem differant; imperat tamen vt illud celebrent ipſa Luna decima quarta ſub veſperam.

Obijciunt Græci plura D. Ioannis teſtimonia, ex quibus apertè colligi videtur, Chriſtum Paſcha celebraſſe cum Diſcipulis ſuis, antequam Iudæi illud celebrarent, ſubindeque præueniſſe diem à lege ſtatutam, quæ erat decima quarta menſis. In primis enim Ioan. 13. Omnia illa quæ Chriſtus geſſit in cœna

cœna facta dicuntur *Ante die feſtum Paſchæ*. Secundò, idem Euangeliſta cap. 18. ait quod in die Paſſionis Domini, *Iudæi non introierunt Prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha*, id eſt agnum Paſchalem: Ergo illa die à Iudæis manducabatur, ſubindeq; Chriſtus celebrauit Paſcha cum Diſcipulis ſuis, pridie quam à Iudæis celebraretur. Tertiò c. 19. Chriſtus dicitur mortuus in Paraſceue Paſchæ: eſt autem paraſceue, præparatio ad feſtum celebrandum, ſeu vigilia Paſchæ. Demum dies Sabbati quæ ſecuta eſt immediatè mortem Chriſti, Ioan. 19. appellatur *dies magnus Sabbati*, quo nomine non deſignatus fuiſſet, niſi extitiſſet dies primus azymorum, quia non habuiſſet ſpecialem aliquam magnitudinem & ſolemnitatem ſuper alia Sabbata: Ergo Chriſtus non eſt paſſus die prima azymorum, ſubindeq; ante illum diem celebrauit Paſcha cum Diſcipulis ſuis.

Ad primum reſpondeo ea quæ à Chriſto geſta ſunt in nocte cœnæ, dici ab Euangeliſta facta ante diem feſtum Paſchæ, ſumpta die pro die artificiali, prout diſtinguitur à nocte; non pro naturali, vt complectitur noctem, vnde non dixit *ante feſtum*, ſed *ante diem feſtum*. Quæ explicatio eſt D. Thomæ in 4. diſt. 11. qu. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. ad 1. & Catechiſmi Romani cap. de Euchariſtia. Vt autem illa clariùs percipiatur, ſciendū eſt, apud Iudæos tres fuiſſe dierum differentias, nempe legalium, naturalium, & artificialium. Dies legales accipiebantur à veſpera vnius diei, ad veſperam ſubſequentis, iuxta illud Leuitici 13. *A veſpera vſque ad veſperam ce-*

lebrabitis Sabbata veſtra. Dices naturales accipiebantur apud Hebræos, ſicut apud nos, à media nocte in medium noctis ſequentis; vel vt aliquibus placet, & inſinuat S. Thomas vbi ſupra in reſp. ad 2. ab ortu ſolis in ortum ſubſequentem. Dies verò artificiales condiſtinguebantur etiam ſicut modo contra noctem, ita vt comprehenderent tantùm illud ſpatium in quo lux ſolis apparebat.

Ad ſecundum reſpondeo cum eodem Sancto Doctore ibidem ad 3. quod quando Euangeliſta ait, quod Iudæi die qua Chriſtus crucifixus eſt, non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha; per ly *Paſcha*, non intellexit eſum agni Paſchali, ſed eſum panum azymorum, qui per ſeptem dies comedebantur, aut victimarum, quæ per dies Paſchales offerebantur, & quæ *Paſchata* dicebantur; illæ enim, non niſi à mundis comedi debebant.

Ad tertium dicendum, per Paraſceue Paſchæ, non intelligi præparationem ad Paſcha, ſed Paraſceue, quod erat feſtum Paſchæ, id eſt feria ſexta, intra feſta Paſchalia illo anno occurrens. Iudæi enim quamlibet feriam ſextam appellabant paraſceue, quia in ea præparabant neceſſaria ad diem Sabbati ſequentem, in quo non licebat eis quidquam operari, nè quidem cibos præparare. Quæ explicatio confirmatur ex illo Marci 15. *Erat paraſceue, quod eſt ante Sabbatum*, & ex illo Ioan. 19. *Iudæi ergo, quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, &c.* Ex quibus conſtat paraſceue fuiſſe, non ad Paſcha, ſed ad Sabbatum.

Ad quartum reſpondeo diem illam Sabbati quæ ſecuta eſt immediatè mortem Chriſti, magnum diem Sabbati ab Euangeliſta appellari, quia inciderat in ſecundum diem azymorum, qui ob frequentiam populi, qui ad Paſcha conuenerat, erat celeberrimus.

CAPVT II.

Materia huius Sacramenti.

MAteria huius Sacramenti aſſignatur à Florentino in decreto vnionis ſæpe citato, his verbis: *Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cuius materi. eſt panis triticeus, & vinum de vite.* Vnde omnis panis non eſt materia ſufficiens huius Sacramenti, puta panis confectus ex hordeo, milio, auena, vel leguminibus; ſed ſolus panis confectus ex farina tritici, & aqua naturali, ac igne coctus: quare *ſi farinæ admiſceretur aqua roſacea, vel quicumque alius liquot, quam vera aqua, non poſſet ex ea confici Sacramentum, quia non eſt verus panis*, vt ait D. Thomas hic quæſt. 74. artic. 7. ad 3. Similiter maſſa paſtæ cruda, aut torrida ſole, vel frixa oleo, non eſt apta materia huius Sacramenti, ſicut nec amydum ſeu amylum, quod ſit ex tritico corrupto, cùm eius materia non tam ſit tritici farina, quam lac ex eo expreſſum, vt notauit Soto. Ratio huius rei alia non eſt, quam Chriſti inſtitutio, qui hoc Sacramentum inſtituit in pane vſuali: panis autem vſualis eſt ille qui ſit ex farina tritici,

tici, & aqua naturali, & qui igne decoquitur; nam omnis alius panis ſubſtituitur in defectum huius, nec panis ſimpliciter dici conſueuit, ſed cum addito, panis hordeaceus, panis ex milio &c. Ergo ſolus panis confectus ex farina tritici, & aqua naturali, ac igne coctus, eſt ſufficiens materia Euchariſtiæ. Hæc cenſetur Apoſtolica traditio, quam Eccleſiaſtica authoritas confirmauit, vt teſtatur Catechiſmus Romanus.

Nihil tamen intereſt ad valorem huius Sacramenti, an panis ſit azymus, vel fermentatus, vt definiuit Florentinum ſeſſ. vltima in litteris ſanctæ vnionis, his verbis: *Definimus in azymo ſiue fermentato pane triticeo, corpus Chriſti veraciter confici.* Licet azymus conuenientior ſit quam fermentatus: Tum quia Chriſtus in azymo conſecrauit, cùm cœnam legalem celebrauerit, & Sacramentum Euchariſtiæ inſtituerit prima die azymorum, in qua nullus panis, niſi azymus, in domibus Iudæorum debebat reperiri, ſicut Exodi 12. præcipitur, vt cap. præcedenti §. 4. oſtendimus. Tum etiam, quia etſi daremus, quod Chriſtus (vt volunt Græci) in celebratione Paſchæ, legitimum eius tempus, ſcilicet primam diem azymorum, ſiue decimam quartam lunam, præuenire voluiſſet; conſequens tamen non foret, eum fermentato in cœna vltima vſum fuiſſe, ſed azymo; quia ſicut ipſius agni Paſchalis immolationem & eſum obſeruare voluit, ita & totum eius ritum in lege præſcriptum (qui inter alia habet, vt cum azymis & lactucis agreſtibus comedatur) ſeruare voluiſſe credendum eſt. Vnde Chryſoſtomus

hom.

hom. 82. ſuper Matth *Apertiſſimè Dominus demonſtrauit, quia à principio circumciſionis ſuæ, vſque ad diem Paſchæ extremum, non erat contrarius diuinarum legum; in quibus præcipiebat vt cum azymis Paſchalis agnus comederetur.* Tum denique, quia cùm azymum in ſcriptura, puritatem, candorem, ſimplicitatem, humilitatem, & incorruptionem ſignificet, magis congruere videtur proprietatibus huius Sacramenti, quam fermentatum, quod vt plurimum in malam partem ſumitur. Vnde Apoſtolus 1. Corinth. 5. *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi: etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.*

Fateor tamen Græcorum morem celebrandi in fermentato, ſuis congruentijs non carere; cùm enim fermentatum, à fermento ſaporem habeat, & à ſale calorem, Euchariſtiæ, quæ eſt Sacramentum amoris, & ſpiritualis ſuauitatis, conuenire videtur. Præterea (vt notauit S. Thomas 4. contra Gent. cap. 69. ex D. Gregorio in regiſtro) *Romana Eccleſia offert azymos panes, propterea quod Dominus ſine vlla commixtione carnem ſuſcepit; ſed cæteræ Eccleſiæ offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum eſt carne, & eſt verus homo, ſicut & fermentum commiſcetur farinæ.* Imò etiam Romanam Eccleſiam, aliquando in fermentato conſecraſſe, Richardus, Scotus, Durandus, & alij aſſerunt; idque teſtatur D. Tho-

Thomas in 4. diſt. 11. qu. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. vbi ſic ait: *Hunc morem* (celebrandi in azymo) *Romana Eccleſia ab Apoſtolis qui ipſam fundauerunt, accepit, vt Innocentius III. dicit: Sed poſtea, vt dicit Leo Papa, imminente hæreſi Ebionitarum, qui dicebant ſimul cum Euangelio legalia obſeruanda, SS Patres ne eis conſentire viderentur, voluerunt ad tempus, inſtinctu Spiritus Sancti, ex fermentato confici Sacramentum: poſtea ceſſante illa hæreſi, Eccleſia Romana ad priſtinum morem rediit.* Ex quo patet, Authorem Theologiæ mentis & cordis, non legiſſe D. Thomam, dum hoc in dubium reuocauit, & oppoſitum probabilius eſſe dixit diſſert. 2. de materia Euchar. cap. 2.

Quantùm ad materiam calicis conſecrandi, non minùs certum eſt, illam eſſe vinum vitigineum, quam materiam ex qua corpus Chriſti conficitur, eſſe panem triticeum: Sicut enim ſolus panis triticeus, propriè & ſimpliciter panis appellatur, & ſolum oleum de oliuis, propriè & ſimpliciter vocatur oleum, ita ſolum vinum de vite, propriè & ſimpliciter dicitur vinum. Vnde liquor ex malogranatis, pomis, aut moris expreſſus, non eſt materia huius Sacramenti, quia non eſt vinum de vite. Nec acetum, quia non eſt ſimpliciter vinum, ſed vinum corruptum; ſicut cadauer non eſt homo, ſed homo mortuus. Nec agreſta, ſeu ſuccus expreſſus ex vua acerba, quia nondum habet ſpeciem vini, ſed eſt in via generationis; bene tamen muſtum, quia eſt ſimpliciter vinum de vite, licet non perfectè purgatum & defœcatum. Poteſt etiam conſecrari in ſucco expreſſo ex vuis paſſis (in quo

fama eſt conſecrare Ægyptios) quia talis ſuccus eſt vinum de vite, eoque perfectius, quò ab aqueo humore purgatus.

Vino conſecrando admiſcere modicam aquam, non eſt neceſſarium, neceſſitate Sacramenti, ſed duntaxat neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, vt declarat Florentinum in decreto Eugenij, & Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 7. his verbis: *Monet Sancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent.* Cuius cæremoniæ triplicem reddit rationem D. Thomas hic art. 6. Prima eſt, ob imitationem Chriſti, quem in vino aqua permixto, hoc Sacramentum inſtituiſſe & peregiſſe creditur, aſſeriturque in liturgijs D. Iacobi Apoſtoli, & Baſilij, & teſtatur Clemens Romanus lib. 8. Conſtit. cap. 17. his verbis: *Similiter calicem miſcens ex vino & aqua, & ſanctificans, tradidit eis dicens: Bibite ex eo omnes.* Secunda, ob repræſentationem paſſionis eius, in qua aqua ſimul cum ſanguine, ex latere eius exiuit. Tertia, ob ſignificationem effectus huius Sacramenti, qui eſt vnio populi fidelis cum Chriſto capite. Vinum enim ſignificat Chriſtum, ſeu ſanguinem eius; aqua verò populorum ſymbolum eſt, iuxta illud Apocal. 17. *Aquæ quas vidiſti, populi ſunt & gentes.*

Circa hanc cæremoniam mixtionis aquæ cum vino in calice conſecrando, celebris eſt difficultas & controuerſia inter Theologos, an ſcilicet talis aqua immediatè conuertatur in Chriſti ſanguinem, vel ſolùm mediatè, ità vt priùs debeat conuerti in vinum, quam in ſanguinem? Reſpondeo breuiter,

hoc ſecundum multò probabilius eſſe : quia ita videtur ſentire Innocentius III. cap *cùm Marthæ*, de celebratione Miſſarum, vbi Pontifex, relatis tribus opinionibus, quarum prima aſſerit, aquam vino permixtam, in eam conuerti quæ de latere Chriſti promanauit. Secunda; quod mutetur in ſanguinem, *cùm in vinum tranſeat mixta vino*, ideſt, quia prius in vinum verſa fuit. Tertia, quod maneat integra & immutata. His inquam tribus opinionibus relatis, concludit Pontifex pro ſecunda, vt probabiliori, dicens: *Verùm inter opiniones prædictas, illa probabilior iudicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari, poſito nimirum quod in vinum conuerſa fuerit.* Secunda enim opinio id tantùm aſſerit, & nulla ex alijs opinionibus ab eo relatis, aliud dicit, nempe conuerti in ſanguinem immediatè: Ergo cenſet Pontifex, quod ſi aqua non priùs vertatur in vinum, non mutatur in ſanguinem. Vnde S. Thomas hic artic. 8. referens ſecundam illam ſententiam, ſic habet: *Ideo ſicut ipſe* (Innocentius) *dicit, aliorum opinio probabilior eſt, qui dicunt aquam conuert. in vinum, & vinum in ſanguinem.* Ipſeque Pontifex clarè ſuam mentem expreſſit, & omnia ſubterfugiet præoccupauit lib. 4. de myſterijs miſſæ cap. 31. vbi ſic ait: *Quibuſdam non abſurdum eſſe videtur, quod aqua cum vino tranſit in ſanguinem, ea ſcilicet ratione quod aqua per admixtionem tranſit in vinum, & vinum per conſecrationem in ſanguinem: quis enim ambigat, aquam in vinum tranſire, cùm multo vino modicum aquæ infunditur?*

Eandem ſententiam docet Catechiſmus Romanus tract. de Euchariſtia cap. 4. his verbis: *Illud autem Sacerdotibus animaduertendum eſt, quemadmodum in ſacris myſteriis, aquam vino adhiberi oportet, ſic etiam modicam infundendam eſſe: nam Eccleſiaſticorum ſcriptorum ſententia & iudicio, aqua illa in vinum conuertitur*. Similia habet Sacerdotale Romanum, cuius verba infra referemus. His addi poteſt authoritas Tridentini ſeſſ. 13. can. 2. definientis poſt conſecrationem ſolas ſpecies panis & vini remanere: ſi autem aqua in vinum non conuerſa, ſed in propria ſpecie aquæ manens, in ſanguinem Chriſti conuerteretur; non tantùm ſpecies vini, ſed etiam ſpecies aquæ, ſub quibus ſanguis Chriſti exiſteret, remanerent: Ergo iuxta Tridentinum aqua in vinum non conuerſa, non conuertitur in Chriſti ſanguinem.

Ratio quoque efficax noſtræ ſuffragatur ſententiæ. Nam illud ſolùm immediatè conuertitur in ſanguinem Chriſti, quod eſt materia conſecrationis calicis: Sed aqua, etiam vt mixta vino, non eſt materia conſecrationis calicis; omnis enim ſacramentorum materia à Chriſto deſignata & inſtituta eſt, permixtio verò aquæ cum vino conſecrando, eſt ſolùm de iure & præcepto Eccleſiaſtico, vt docet Tridentinum ſupra relatum: Ergo aqua, admixta vino conſecrando, non conuertitur immediatè in ſanguinem.

Confirmatur & magis illuſtratur hæc ratio: Si id quod non eſt materia conſecrationis, & ſolùm ex præcepto Eccleſiæ, materiæ neceſſariæ immiſcetur, immediatè mutari

poſ-

poſſet in Chriſti corpus vel ſanguinem, ſequeretur quod ſi ex præcepto Eccleſiæ, calici conſecrando, loco aquæ naturalis, miſceretur aqua roſacea, illa quoque conuerteretur immediatè in ſanguinem Chriſti. Similiter, ſi de mandato Eccleſiæ, pani conſecrando miſceretur aliquid de butyro, melle, vel alio liquore, talis materia conuerteretur in corpus Chriſti: Sed hæc abſurda ſunt, & à communi Theologorum ſenſu penitus aliena: Ergo pariter abſurdum videtur dicere, aquam vino mixtam, ex Eccleſiæ præcepto, conuerti immediatè in ſanguinem Chriſti.

Dices cum Aduerſarijs, diſparem eſſe rationem, aqua enim roſacea, etiam vt vino mixta, non eſt materia huius Sacramenti, bene tamen aqua naturalis, vino admixta; quia (inquiunt) materia ſufficiens conſecrationis calicis, eſt vinum vſuale, quo nomine intelligitur vinum limphatum, ſeu modica aqua dilutum; & in iſto dicunt Chriſtum conſecraſſe in vltima cœna, ſubindeque ipſum in materiam ſufficientem conſecrationis calicis deſignaſſe.

Sed contra primò: Scriptura, Concilia, & SS. Patres, aſſerunt materiam conſecrationis calicis, eſſe genimen vitis, ſeu vinum de vite; vnde Chriſtus, peracta huius Sacramenti inſtitutione, dixit Matth. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis &c.* Sed per genimen vitis, ſeu vinum de vite, non ſignificatur propriè, niſi liquor ex vuis expreſſus: Ergo ſolus ille liquor poteſt dici materia huius Sacramenti.

Contra ſecundò, vinum quod erat potus

vſualis apud Iudæos, erat vinum multa aquâ dilutum, vtpote potens ac generoſum, quale fert terra Paleſtinorum: Ergo ſi nomine vini, quod eſt materia huius ſacramenti, intelligi debeat vinum vſuale, dicendum eſt, vinum quod eſt materia conſecrationis calicis, poſſe & debere eſſe multa aqua dilutum, quod repugnat Florentino, dicenti materiam huius Sacramenti eſſe vinum de vite, *cui ante conſecrationem modiciſſima aqua admiſceri debet*. Per quod corrigit quod antea ſtatutum fuerat in Concilio Triburienſi Prouinciali, nimirum tertiam partem aquæ eſſe vino conſecrando admiſcendam; quòd certè non debebat corrigere, ſed potiùs confirmare, ſi verum eſſet quod dicunt Aduerſarij, vinum vſuale eſſe ſufficientem materiam conſecrationis calicis; cùm ad vinum vſuale tertia ſaltem pars aquæ requiratur.

Contra tertiò, cùm vinum limphatum ſeu vſuale ſit mixtum quoddam ex vino & aqua, ſi illud ſit materia conſecrationis calicis, ſequitur non ſolùm vinum, ſed etiam aquam, eſſe materiam, ſaltem partialem, huius Sacramenti, vt concedit Coninchus, dicens aquam eſſe materiam Sacramenti Euchariſtiæ, non neceſſariam & eſſentialem, ſicut vinum, ſed liberam & ſufficientem, ſicut peccata venialia ſunt materia ſufficiens & libera ſacramenti pœnitentiæ: At hoc videtur abſurdum: Ergo & illud. Minor probatur, tum quia hæc diſtinctio materiæ Euchariſtiæ in liberam, & neceſſariam, commentum eſt, hactenus in Eccleſia inauditum. Tum etiam, quia (vt ſupra arguebamus) omnis Sacramentorum materia

teria eſt à Chriſto deſignata & inſtituta: permixtio verò aquæ cum vino conſecrando, eſt de iure tantùm & præcepto Eccleſiaſtico. Tum denique, quia ſi aqua vino permixta eſſet huius ſacramenti libera materia, poſſet calici conſecrando in magna quantitate apponi, cur enim modiciſſima præſcriberetur, ſi in Chriſti ſanguinem immediatè conuerti poſſet, nec eam priùs in vinum tranſmutari oporteret? Non enim dici poteſt, hoc fieri ob myſticam ſignificationem, vt nimirum denotetur, quod *Maior eſt maieſtas Chriſti* (ſignificata per vinum) *quam fragilitas populi*, ſignificata per aquam, vt loquitur Concilium Triburienſe: hæc enim myſtica ſignificatio, poteſt tam bene per notabilem, ac per modiciſſimam aquam exprimi, vnde in illo Concilio præcipitur, quod ad exprimendam hanc myſticam ſignificationem vnionis populi cum Chriſto capite, tertia pars aquæ miſceatur vino conſecrando: Ergo non poteſt eſſe alia ratio, quæ Eccleſiam moueat, ad præcipiendum, vt modiciſſima aqua calici conſecrando miſceatur, & vt talis mixtio fiat initio miſſæ, vt in quibuſdam religionibus obſeruatur, niſi quia cenſet, aquam priùs conuertendam eſſe in vinum, quam in ſanguinem. Vnde Sacerdotale Romanum 1. par. tract. 10. cap. 2. *Aqua quæ in calice vino admiſcetur, debet eſſe in modica quantitate, quia eam in vinum conuerti oportet.*

Obijciunt in primis Aduerſarij plura SS. Patrum teſtimonia, quibus aſſerunt aquam & vinum conſecrari, & conſecratione, in ſanguinem Chriſti conuerti. Verùm hæc intelli-

gi & explicari debent de conſecratione & conuerſione mediata. Nullus enim eorum dicit aquam ſecundum ſe proximè conuerti in ſanguinem, ſed aquam ſimul cum vino in ſanguinem tranſire; coniunctam nimirum, non solùm per infuſionem, ſed etiam per tranſmutationem in vinum. Nec valet, ſi dicas, aquam in vinum tranſmutatam, non debere appellari aquam, ſed vinum, ſolent enim ſubſtantiæ in alias tranſmutatæ, eo nomine nuncupari, quo ante conuerſionem vocabantur. Nam Ioan 2. aqua in vinum in nuptijs à Domino conuerſa, priſtino nomine appellatur: *Cùm guſtaſſet*, inquit, *architriclinus aquam vinum factam*. Exodi etiam 6. ſerpens factus ex conuerſione virgæ Moyſis, virga appellatur. Et magis ad rem, corpus Chriſti in Euchariſtia, à Scriptura & SS. Patribus dicitur panis, quia ex pane factum eſt. Cur ergo ſimiliter vinum factum ex aqua, in ipſum conuerſa & tranſmutata, non poterit ſimiliter per quandam ampliationem, aqua à SS. Patribus appellari?

Obijciunt ſecundò: In rubricis Miſſalis Romani præſcribitur, vt ſi Sacerdos paulò ante conſecrationem aduertat, non fuiſſe tempore oblationis calici appoſitam aquam, illam apponat, & ſtatim conſecret: Sed in tam breui mora, aqua appoſita non poteſt conuerti in vinum: Ergo tunc immediatè conuertitur in ſanguinem Chriſti.

Reſpondeo primò, quod ſi in illo caſu modiciſſima aqua, puta vna duntaxat guttula, calici conſecrando apponatur, poterit conuerti in vinum, antequam verba conſecrationis preſe-

ferantur; vinum enim breuiſſimo tempore poteſt corrumpere aquam, in parua quantitate ſibi admixtam, & illam in ſuam ſubſtantiam conuertere. Si autem quæras quomodo id fieri poſſit? Reſpondeo breuiter, id fieri per diuiſionem, ratione cuius illa modica aqua diuiditur ſtatim in partes minimas, ſub quibus non poteſt forma aquæ manere, & conſequenter ſtatim ſuccedit formam vini.

Reſpondeo ſecundò, quòd ſi in caſu poſito, aqua non fuerit conuerſa in vinum, antequam verba conſecrationis proferantur, non conuertetur in ſanguinem, ſed remanebit in propria ſpecie, accidentibus vini circumfuſa, donec per actionem illorum fuerit conuerſa in vini ſubſtantiam, tunc enim manebit vinum mixtum ſanguine.

Contra hanc ſecundam reſponſionem inſtant Aduerſarij, tripliciter, & dicunt quod ſi in eo caſu aqua non conuerteretur in ſanguinem, ſed in propria ſpecie remaneret, non verificaretur forma calicis, cùm pronomen *Hic* cadat ſupra totum quod in calice continetur. Daretur etiam occaſio idololatriæ, cùm totum quod calici ineſt, populo adorandum exhibeatur. Addunt aliqui cum Baronio ad finem anni 1188. totum liquorem contentum in calice, conuerti in ſanguinem per conſecrationem, fide tenendum eſſe, ſemperque ita creditum fuiſſe à fidelibus.

Sed hæc parùm vrgent, ad primam enim inſtantiam facilè reſpondetur, in eo caſu verba conſecrationis verificari, quia pronomen, *Hic*, non reſpicit abſolutè quidquid in calice reperitur, ſed tantùm materiam conſecrationi

aptam, qualis non eſt aqua in vinum non conuerſa, vt ſupra oſtenſum eſt.

Ad ſecundam ſimiliter dico, in eo caſu nullam dari occaſionem idololatriæ populo; quia cùm adoratio fidelium, per fidem dirigatur, fertur ſolùm ad ſanguinem Chriſti latentem ſub ſpeciebus Eucharíſticis, non verò ad alia quæ per accidens ijs adiuncta ſunt; ſicut ſi hoſtiæ conſecratæ crinis inſertus ſit, vel muſca decidat in calicem, vt ſæpe contingit, nullus creditur ea adorare.

Ad tertiam reſpondeo Baronium & alios exiſtimantes de fide certum eſſe, totum liquorem in calice contentum, ſemper & immediatè conuerti in ſanguinem per conſecrationem, idque ſemper fuiſſe communem fidelium ſenſum, & traditionem omnium ſæculorum, in hoc non parùm excedere, & contradicere non ſolùm Catechiſmo & Sacerdotali Romano, ſupra relatis, ſed etiam Innocent. III. Ille enim ſatis apertè ſignificat rem non eſſe de fide, quando capite ſupra citato refert vt probabilem ſententiam plurium Theologorum ſui temporis, affirmantem aquam manere poſt conſecrationem permixtam accidentibus vini. Poſteaque ſolùm præfert vt probabiliorem alteram ſententiam, aſſerentem aquam conuerti mediatè in ſanguinem, cùm priùs in vinum tranſeat, vt ſupra retulimus. Et certè ſi oppoſita ſententia ſemper fuit communis fidelium & Theologorum ſenſus, quomodo non ſolùm Innocentius III. doctiſſimus Pontifex, ſed etiam D. Thomas, qui non diu poſt illum floruit, hunc communem ſenſum ignorauerunt, ſicut & D. Bonauentura, Scotus, & plu-

res

res alij antiqui Theologi, qui noſtram apertè docent ſententiam?

Obijciunt tertiò: Chriſtus, vt ex Patribus, Concilijs, & traditione conſtat, conſecrauit vinum aquâ mixtum, quam in ſatis magna copia vino miſcuiſſe veroſimile eſt, tum ob illius regionis calidæ conſuetudinem, tum etiam vt temperantiæ daret exemplum: Ergo cùm illius mixtionem ſtatim ſubſecuta fuerit conſecratio, non potuit talis aqua priùs conuerti in vinum, quam in ſanguinem Chriſti.

Reſpondeo veroſimile eſſe, Chriſtum, tam modicam calici conſecrãdo adhibuiſſe aquam, vt vi & efficacia vini potentis & generoſi calidiſſimæ illius regionis, facilè & breuiſſimo tempore, in vinum conuerſa fuerit; quia tunc aquam vino non adhibuit, ad potum ſolitum, ſeu vſualem, ſed myſticum & ſacramentalem. Vnde S. Bonauentura in 4. diſt. 11. 2. part. artic. 2. qu. 3. ait, Chriſtum Dominum non conſecraſſe calicem, donec aqua fuiſſet conuerſa in vinum.

Alia eſt difficultas circa materiam Euchariſtiæ, breuiter hic expedienda, an nimirum ſit de iure diuino, quod Sacramentum Euchariſtię non conficiatur, niſi conſecrando vtramque ſpeciem, ſubindeque Summus Pontifex diſpenſare non poſſit, vt Sacerdos conſecret in vna tantùm ſpecie? Reſpondeo affirmatiuè, tum quia quæ ſunt neceſſaria ad integritatem Sacramenti, ſunt de iure diuino: conſecratio autem vtriuſque ſpeciei eſt neceſſaria ad integritatem ſacramenti Euchariſtiæ, quia illud eſt inſtitutum per modum conuiuij, ad cuius integritatem requiritur cibus & potus. Tùm

K 6 etiam,

etiam, quia Euchariſtia non habet ſolùm rationem ſacramenti, ſed etiam ſacrificij: Sacrificium autem offerri nequit, niſi vtraque ſpecies conſecretur; quia in eo debet fieri ſeparatio quædam myſtica corporis Chrſti, ab eius ſanguine, quatenus ex vi verborum, & ex ſignificatione ſpecierum, ponitur in vna corpus, & in alia ſanguis, vt magis declarabitur infra, cùm de ſacrificio Miſſæ. Ex quo patet, non poſſe Summum Pontificem diſpenſare, vt Sacerdos conſecret in vna tantùm ſpecie: quia licèt poſſit in aliquo iure diuino diſpenſare, v. g. in adimpletione votorum ſimplicium, non tamen in iure diuino, ſpectante ad ſubſtantiam vel ad integritatem ſacramentorum vel ſacrificij Miſſæ, vt colligitur ex Tridentino ſeſſ. 21. cap. 2. Vnde fabuloſum eſt, quod refert Volaterranus lib. 3. Geographiæ, cap. de Saxonibus, nempe Innocentium VIII. diſpenſaſſe cum illis, ad conſecrandum tantùm in pane. Cùm nullum alibi extet talis conceſſionis monimentum; & cùm non ſtet ratio ipſa quam prædictæ diſpenſationis refert, nimirum quòd vinum in Noruegia non aceſcat, & aliunde importatum citò aceſcat; hoc enim ipſi experientiæ repugnat, cùm vinum in regiones illas aſportatum, tam longo tempore conſeruetur, vt nec ipſi laici ſine ſpecie vini communicare velint.

CAP.

CAPVT III.

Realis præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.

IN hoc Sacramento verè & realiter contineri corpus & ſanguinem Chriſti, probari in primis poteſt duplici Scripturæ teſtimonio. Primum habetur Ioan. 6. vbi Chriſtus ait: *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vbi Chriſtum non loqui de manducatione ſpirituali per fidem, vt contendunt Caluiniſtæ, ſed de reali, & ſubſtantiali, conſtat primò, quia loquitur in futuro: *Panis quem ego dabo caro mea eſt:* Si autem loqueretur tantùm de ſeipſo, vt edendo per fidem, credendo ſcilicet eius diuinitatem & incarnationem non debuiſſet loqui in futuro ſed in præterito, quia iam pridem hoc dederat: Ergo panis quem promittit ſe daturum, & quem nondum dederat, aliquid aliud eſt. Conſtat ſecundò, quia Chriſtus ibi expreſsè diſtinguit carnem & ſanguinem per modum cibi & potus, dicens: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* At ſi loquebatur de ſola manducatione per fidem, illa diſtinctio erat inanis & ſuperflua; quia comeſtio & potio per fidem, ſunt vnum & idem, nempe credere in Chriſtum: Ergo ibi Chriſtus non loquebatur de ſola manducatione per fidem. Conſtat tertiò, quia Iudæi audientes Chriſtum dicentem, *Caro mea verè eſt cibus, & ſan-*

ſang. is meus vere eſt potus, litigabant adinuicem dicentes: *Quomodo poteſt hic dare nobis carnem ſuam ad manducandum?* Aliqui etiam ex Diſcipulis Chriſti ex illis verbis ſcandalizati ſunt, & dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire.* At ſi Chriſtus de ſpirituali manducatione per fidem locutus fuiſſet, facilè hoc ſcandalum & murmur ſedare potuiſſet, & vnico verbo manducationis per fidem, difficultatem omnem non modò eleuare, ſed penitùs adimere, quod tamen Chriſtus non fecit; quin potiùs acriùs inſtans, iterumque repetitis affirmationibus dictum ſuum confirmans, ſubiunxit: *Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis,* & ad faciendam fidem huius myſterij, mentionem fecit miraculi futuræ aſcenſionis ſuæ, dicens: *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem vbi erat prius?* Quaſi volens rem vnam mirabilem, alia æquè mirabili confirmare: Ergo Chriſtus ibi non loquebatur de ſpirituali corporis ſui manducatione per fidem, ſed de vera & reali, facienda ore corporis, mediantibus ſpeciebus panis.

Nec obſtat quòd Chriſtus murmurantibus Capharnaitis reſponderit: *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quidquam* &c. His enim verbis ſignificare non voluit, vt putant Sectarij, quod ea quæ de comeſtione ſuæ carnis dixerat, figuratè eſſent intelligenda de ſola manducatione ſpirituali per fidem: horum enim verborum ſenſus eſt hic, caro mea à ſeipſa non habet vim ſpiritualiter viuificandi,

ſed

ſed à ſpiritu, id eſt à Diuinitate ſibi vnitâ. Vel ſignificant, verba Chriſti non eſſe carnaliter intelligenda, id eſt de comeſtione facta modo carnali & vſitato, & per carnis diuiſionem, maſticationem, & conuerſionem in ſubſtantiam aliti, vt fit, cùm comeduntur carnes animalium, ſed ſpiritualiter, id eſt non quidem per ſolam fidem, ad mentem hæreticorum; ſed de comeſtione ſacramentali & velut ſpirituali per ſumptionem ſpecierum, ſub quibus caro inuiſibiliter & velut ſpiritualiter continetur. Vnde Auguſtinus tract. 27. in Ioan. *Caro non prodeſt quidquam, ſed quomodo illi* (ſcilicet Capharnaitæ,) *intellexerunt: carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. Accedat ſpiritus ad carnem, & prodeſt plurimum, nam ſi caro non prodeſſet, Verbum caro non fieret.*

Secundum teſtimonium ſumitur ex capit. 26. Matthæi, vbi Chriſtus adimplens quod promiſerat Ioan. 6. & Sacramentum Euchariſtiæ inſtituens, ſic ait Diſcipulis ſuis, *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Quæ verba non figuratè, ſed in ſenſu proprio intelligenda eſſe, conſtat ex eo quod Chriſtus his verbis teſtamentum condebat ſuum: teſtamenta autem à viris bonis & prudentibus, non niſi verbis proprijs & perſpicuis condi ſolent, ne vnde lites extingui deberent inde potiùs pullulent: Ergo prædicta verba non debent in ſenſu figuratiuo intelligi. Et certè cùm teſtamentum vetus, quod noui vmbra & figura erat diſertis verbis & perſpicuis, antiquis Patribus datum fuerit Exodi 24. credibi-
le

le non eſt, Chriſtum figuratis & obſcuris lo-cutionibus, nouum quod condebat implicare voluiſſe. Præſertim cùm verbis illis præ-ſtantiſſimum omnium Sacramentorum inſti-tuerit, vt fatentur hæretici: Sacramenta enim, cùm ſint Eccleſiæ baſes & fundamenta, minimè debent tropicis & obſcuris verbis tra-di & inſtitui, ne grauiſſimi erroris circa eo-rùm vſum detur occaſio. Vnde circumciſio clariſſimè inſtituitur Geneſ. 17. & comeſtio agni paſchalis Exodi 12. & baptiſmus Matth. vltimo. Quis ergo ſibi perſuadeat, Chriſtum in inſtituendo & tradendo primario legis Euangelicæ Sacramento, obſcurè, & tropicè locutum eſſe, & verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, non inſenſu proprio, ſed figuratiuo vſurpaſſe: *Fortè* (inquit Hilarius) *qui Verbum eſt, & qui veritas eſt, loqui vera neſciuit & qui ſapientia eſt, in ſtultiloquio errauit? & qui virtus eſt, in ea fuit infirmitate, vt non poſſet eloqui quæ vellet intelligi?*

Confirmatur ex Concilijs & SS. Patribus, qui verba illa Chriſti, non figuratè, ſed in ſenſu proprio intelligenda eſſe, apertè tra-dunt. In primis enim ſeptima Synodus gene-ralis act. 6. damnat hæreticos, qui Euchari-ſtiam vocabant figuram aut imaginem corpo-ris Chriſti, & rationem dat ſui anathematis, quia *Chriſtus non dixit, ſumite imaginem cor-poris mei, ſed ſumite corpus meum*. Secundò Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 4. myſtag. paulò poſt initium ſic ait: *Cùm igitur Chri-ſtus ipſe ſic affirmet, atque dicat de pane, Hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubita-re? Atque eodem confirmante & dicente, Hic*

eſt ſanguis meus, quis, inquam, dubitet, & dicat non eſſe eius ſanguinem? &c. Tertiò Damaſcenus lib. 4. fidei cap. 14. hæc habet: *Non eſt figura panis & vinum corporis & ſanguinis Chriſti: abſit enim hoc, ſed eſt ipſum corpus Domini deificatum, ipſo Domino dicente, hoc eſt corpus meum: non figura co poris, ſed cor us; non figura ſanguinis, ſ d ſanguis.* Similia habet Theophilactus in c. 26. Matthæi, & in c. 14 Marci, vbi eadem Chriſti verba, *Hoc eſt corpus meum*, exponens, ſubdit: *Oſtendit quod ipſum corpus Domini eſt panis qui ſanctificatur in altari, & non reſpondens figura: non enim dixit, hoc eſt figura, ſed hoc eſt corp s meum.* Idem paſſim docent alij SS. Patres, quorum teſtimonia breuitat is cauſa prætermittimus. Non eſt tamen omittendum Lutheri teſtimonium, qui licet maximè propenſus eſſet ad negandam realem Chriſti præſentiam in hoc ſacramento, ingenuè tamen fatetur in epiſtola ad Argentinenſes, ſe non poſſe tam manifeſto ſcripturæ teſtimonio repugnare. *Vellem* (inquit) *quod poſſet mihi aliquis perſuadere, nihil eſſe in Euchariſtia, præter panem & vinum, magno ille beneficio me deuinciret. Iam ſæpe grauibus curis in hac materia deſ daui: verùm ego me captum video, nulla elabendi via relicta eſt, textus Euangelij nimis eſt apertus.*

Poteſt inſuper Catholica veritas, de reali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, varijs rationibus aut congruentijs ſuaderi. Prima eſt: ſi Euchariſtia ſit tantum ſignum ſeu figura corporis Chriſti, nec ipſum in ſe contineat, non erit præſtantior in

ra-

ratione ſacramenti, quam manna, vel agnus Paſchalis: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela maioris probatur: Manna quod de cœlo cadebat, & Angelorum artificio mirabili fiebat, præſtantius erat pane communi, qui de clibano prodit, & manu piſtorum fit: perfectiùs etiam corpus Chriſti repræſentabat, quam panis; tum quia de cœlo erat Pſ. 77. tum etiam quia ſaporem mirabilem continebat, ſapient. 16. & æquali menſura ſumebatur ab omnibus, licet inæqualiter colligeretur, Exod. 16. tum denique, quia incorruptibile erat die ſabbati, per quod ſignificabatur, corpus Chriſti non corrumpendum in ſepulchro die ſabbati. Idem à fortiori dicendum eſt de agno paſchali, nam meliùs caro Chriſti, per veram carnem agni exprimebatur; & mors, per veram eius mortem; & ſanguis, per ſanguinem, quam per ſolum panem, vel panis fractionem: Ergo ſi Euchariſtia ſit tantùm ſignum vel figura corporis Chriſti, nec ipſum contineat, non erit præſtantior, ſed inferior & minùs perfecta in ratione ſigni & ſacramenti, quam manna, & agnus paſchalis.

Secunda ratio, ſi fideles noui teſtamenti non manducent realiter & ſubſtantialiter carnem Chriſti, ſub ſpeciebus Euchariſticis contentam, ſed ſpiritualiter tantùm & per fidem, vt Caluiniſtæ docent, ſequitur fideles noui teſtamenti, non eſſe quoad manducationem corporis Chriſti in conditione diuerſa ac meliori quam fuerint Patres antiquæ legis: Sed hoc falſum eſt: Ergo & illud. Minor conſtat ex verbis Chriſti Ioan. 6. promittētis ſe da-

tu-

turum fidelibus noui teſtamenti carnem ſuam manducandam, modo aliquo quo fideles veteris teſtamenti illam non comederunt, ait enim; *Non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis Dei eſt qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur, &c.* Maior verò, in qua eſt difficultas, ſic oſtenditur, Patres antiquæ legis, qui manna in deſerto manducauerunt, in Chriſtum crediderunt, ſibindeque ſpirituali manducatione per fidem corpus eius comederunt. Vnde Auguſtinus tract. 26. in Ioannem: *Manducauit manna & Moyſes, manducauit manna & Aaron, manducauit manna & Phinees; manducauerunt ibi multi, qui Domino placuerunt, & mortui non ſunt. Quare? Quia viſibilem cibum ſpiritualiter intellexerunt, ſpiritualiter eſurierunt, ſpiritualiter guſtauerunt, vt ſpiritualiter ſatiarentur.* Ergo ſi fideles noui teſtamenti non manducant corpus Chriſti, niſi ſpirituali manducatione per fidem, non ſunt, quantùm ad manducationem corporis Chriſti, in conditione diuerſa, & meliori, quam fuerint Patres antiquæ legis.

Tertia ratio: Sacramentum Euchariſtiæ adorari debet à fidelibus: Sed non deberet adorari, imò talis cultus eſſet idolatria, ſi Chriſtum verè & realiter non contineret: Ergo Chriſtus verè & realiter in Sacramento Euchariſtiæ continetur. Minor patet, nam cultus adorationis ſoli Deo exhibendus eſt.

Ma-

Maior verò paſſim docetur à Sanctis Patribus: Cyrillus enim Hieroſolymitanus catech. 5. myſtag. docet accepturum Euchariſtiam, accedere oportere *pronum adorationis in modum*. Et Chryſoſtomus homil. 3. in epiſtol. ad Epheſ. *Conſidera quæſo* (inquit) *menſa regalis eſt appoſita, & Angeli menſæ miniſtrantes: ipſe Rex adeſt, & tu aſtas oſcitans? Igitur adora, & communica*. Item Auguſtinus epiſt. 120. cap. 27. ait quod *fideles veniunt ad menſam, manducant, & adorant*. Et in Pſal. 98. exponens verba illa: *Adorate ſcabellum pedum eius*, per ſcabellum intelligit carnem Chriſti, & ſubdit: *Quia nemo carnem illam manducat, niſi priùs adorauerit, inuentum eſt quomodo adoretur tale ſcabellum pedum Domini, vt non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando*. Similiter Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. *Per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſterijs adoramus*. Alij quoque SS. Patres, hæc verba Pſal. 21. *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ*, de vſu & adoratione Chriſti in Euchariſtia interpretantur, quales ſunt Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus. Item Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio, Ambroſius orat. 1. præparatoria ad miſſam, & Gregorius Magnus lib. 4. dialog. cap. 58. Euchariſtiam ab ipſis quoque Angelis, qui frequenter noſtris myſterijs interſunt, adorari teſtantur. Vnde Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 5. latriæ cultum, pro more ſemper in Eccleſia recepto, ei exhiberi docet.

Demùm fideles, non figuratiuè tantùm,

ſed

ſed verè, realiter, ac ſubſtantialiter, carnem & ſanguinem Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini, in Euchariſtia ſumere, non leue argumentum eſt, quod Chriſtiani inter alia olim accuſabantur ab Ethnicis, quod in ſuis ſacris carnem humanam ederent, vt patet ex Tertulliano in Apologetico capit. 7. vbi ſic ait: *Dicimur ſceleratiſſimi de ſacramento infanticidij & pabulo.* Et ex Felice in Octauio, vbi ait quod Gentiles Chriſtianis exprobare ſolebant, quod infantem farina tectum, ſecretis vulneribus confoderent, eiuſque membra inter ſe partirentur: At ſi fideles, in Euchariſtia, carnem & ſanguinem Chriſti, figuratiuè tantùm & non realiter ſumerent, debèbant eximij illi Catholicæ fidei defenſores, id omnino apertè declarare in ſuis Apologijs, vt hoc immane crimen infanticidij, quo Chriſtiani olim grauabantur, omnino amouerent; & vt Gentilibus, qui nos impios appellant, ex eo quod Deum noſtrum manducamus, penitùs os occluderent; hæc enim defenſio facillima erat, ſi vera fuiſſet. Hoc verò illi nequaquam in ſuis Apologijs præſtant, non enim ad Sectariorum tropos, ſed ad omnipotentiam Dei recurrunt, vt myſterium Euchariſtiæ explicent, vt conſtat de Iuſtino Martyre, qui in ſua Apologia, ad calumniam allatam Paganorum reſpondens, ſic ait: *Non enim vt communem panem hæc ſumimus, ſed quemadmodum per Verbum Dei incarnatum, Ieſus habet carnem & ſanguinem; ſic etiam per preces verbi Dei, ab ipſo Euchariſtiam factam cibum, ex quo carnes noſtræ aluntur, ipſius incarnati Ieſu carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus.* Obij-

Obijciunt in primis hæretici: in multis Scripturæ locis, verbum *eſt* ſumi pro ſignificat, vt cùm 1. ad Corinth. dicitur: *Petra erat Chriſtus*, & cùm in Euangelio Chriſtus de ſe dicit, *Ego ſum vitis vera*. *Ego ſum oſtium*. Quidni ergo hæc verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, licebit in ſenſu metaphorico & figuratiuo vſurpare, eaq; de figura & repræſentatione corporis Chriſti intelligere?

Reſpondeo rationem diſcriminis eſſe, quia in locis allegatis, additur ſubiectum vel prædicatum ex quo allegoricus vel metaphoricus ſenſus manifeſtè deprehenditur; immediatè enim antequam Paulus diceret, *Petra autem erat Chriſtus*, dixerat loquens de Hebræis: *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra*, proindeque ſermo erat de Petra ſpirituali, & de eius ſigno. Similiter quando Chriſtus dixit ſe eſſe vitem, vel oſtium ex antecedentibus, vel conſequentibus, apertè colligitur ſe loqui de vite, & oſtio ſpiritualibus. At verò in noſtro caſu oppoſitum contingit, verba enim quæ Chriſtus adiunxit prædicato ſui corporis & ſanguinis, dicens *quod pro vobis tradetur*, *quod pro vobis effunditur*, repugnant metaphoræ, vel allegoriæ; quandoquidem quod traditum fuit, vel effuſum, erat verum Chriſti corpus, & verus eius ſanguis, & non ſolùm eorum repræſentatio & figura.

Addo quod ſi valeret hic diſcurſus Hæreticorum, probaret, non ſolùm licere verba illa Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, in ſenſu metaphorico & improprio vſurpare, ſed etiam iſta, *Ego & Pater vnum ſumus*, *Hi tres vnum ſunt*.

ſunt. *Verbum caro factum eſt*. Hæc enim verba non magis expreſsè ſignificant conſubſtantialitatem Filij cum Patre & vnitatem naturæ diuinæ in tribus perſonis, & aſſumptionem carnis à Verbo, quam iſta, *Hoc eſt corpus meum*, realem exiſtentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis: quare ſi hæc verba tropis & figuris expoſita ſunt, cur non & alia? Vel ſi in alijs proprietas retinenda eſt, cur non etiam & in iſtis? Vnde egregiè Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana: *Si animum occupauerit alicuius erroris opinio, quidquid aſſeruerit Scriptura, figuratum arbitrantur*. Rectè etiam Sacramentarijs verba iſta Irenæi lib. 4. aduersùs hæreſes cap. 35. adaptari poſſunt: *Coguntur hi tales ſemper typos typorum, & imagines imaginum adinuenire, & nunquam figere animum ſuum in vno & vero Deo*. Siue, vt loquitur Feuardentius, eiùs Commentator in cap. 12. lib. 2. *Vmbris & metonymijs inhiantes, veri corporis Chriſti vſu excidunt: ſimiles Æſopi cani, qui panem quidem reliquit in vmbram autem eius impetum fecit, & perdidit eſcam*.

Obijciunt ſecundò: Chriſtus Matth. 26. Diſcipulis murmurantibus quod pretium vnguenti in caput ſuum effuſi à Magdalena, non eſſet potiùs datum pauperibus, dixit: *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis*. Quibus verbis ſignificauit, ſe non futurum in terra, poſt glorioſam Aſcenſionem ſuam: At ſi eſſet realiter & ſubſtantialiter præſens in Euchariſtia, poſt Aſcenſionem ſuam, adhuc remaneret in terra; Ergo non eſt realiter & ſubſtantia-

liter

liter præſens in Euchariſtia?

Reſpondeo Chriſtum verbis illis ſolùm ſignificare voluiſſe, quod non erat futurus in terra, poſt glorioſam Aſcenſionem ſuam, præſentia ordinaria, & familiari, in qua ei conuenirent obſequia effuſionis vnguenti, aut ſimilia, per hoc tamen excludere noluiſſe, quod non foret præſens in terra, alia præſentia miraculoſa & ſupernaturali, qualis eſt præſentia quam habet in Euchariſtia. Vnde quando Chriſtus dixit, *me autem non ſemper habebitis*, hoc intelligi debet, eodem modo quo habebitis pauperes, hoc eſt viſibiliter & humano modo conuerſantem, id enim requirit antitheſis.

Obijciunt tertiò: Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 4. loquens de Chriſto ſic ait: *Acceptum panem, & diſtributum Diſcipulis corpus ſuum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt figura corporis mei*. Ergo corpus Chriſti, authore Tertulliano, non niſi figura tenus, in Euchariſtia exiſtit.

Reſpondeo Tertullianum eo loco ſolùm declarare voluiſſe, quod Chriſtus omnes figuras legis impleuit, ſubſtituendo pro figura veritatem. Inter exempla autem harum mutationum figuræ in veritatem, quas impleuit Chriſtus, iſtud affert, quod panis in veteri lege erat figura corporis Chriſti (iuxta illud Ierem. 11. *Mittamus lignum in panem eius*, id eſt crucem in corpus eius) & Chriſtus in noua lege, figuram illam impleuit, ſeu in veritatem mutauit, conuertendo panem in corpus ſuum. Vnde ſtatim ſubdit: *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis corpus eſſet*. Quæ vlti-

vltima verba apertè declarant, ipſum loqui de pane qui in veteri teſtamento, erat figura corporis Chriſti, non verò de pane Euchariſtico; ſi enim de Euchariſtia loqueretur, non diceret, *non fuiſſet figura, ſed non eſſet*. Quando ergo Tertullianus dixit: *Hoc eſt corpus meum, id eſt figura corporis mei*: Ly *figura* non applicatur corpori, ſed particulæ *Hoc*, quæ, ex mente eius, ſupponit pro pane; ita vt ſenſus ſit: Chriſtus acceptum panem, qui in antiqua lege erat figura corporis ſui, corpus ſuum fecit, dicendo: Hoc, id eſt figura corporis mei, eſt corpus meum. Vnde tranſpoſitione vſus eſt, ne ordinem verborum Chriſti Domini, expoſitione particulæ *hoc*, interrumperet. Sicut cùm libro contra Praxeam cap. 29. explicans qua ratione Chriſtus, cùm ſit Deus, potuerit mori, illud Apoſtoli 1. Corinth. 15. refert: *Quoniam Chriſtus mortuus eſt*, aitque: *Dicendo Chriſtus mortuus eſt, id eſt vnctus; id quod vnctum eſt, mortuum oſtendit, id eſt carnem*. Vbi particulam, *Id eſt vnctus*, immediatè poſt ly *Chriſtus* non ſubiecit, ne verborum Apoſtoli ſeries interrumperetur. Hæc metathesis, ſeu tranſpoſitio, ſtylo Tertuliani, conciſo, & inuoluto, familiaris eſt.

Obijciunt quartò: S. Maximus in annotationibus libri de Eccleſ. Hierarchia in cap. 3. dicit: *Dona in altari perfecta, id eſt Euchariſtiæ, ſymbola ſunt, at non veritas*. Et Ambroſius lib 1. de officijs ait, *Chriſtum hic offerri in imagine, in cælo in veritate*. Similia habent alij SS. Patres, qui vocant Euchariſtiam figuram, ſignum, & antitypum corporis Chriſti: Ergo ea illud non continet realiter & ſubſtan-

tialiter, ſed duntaxat ſignificat, vel repræſentat.

Reſpondeo S. Maximum loco citato, non velle quod dona quæ ſunt in altari, non ſint in veritate corpus Chriſti, ſed tantùm quod non ſint æterna ipſa beatitudo, & futura ſanctorum gloria. Ibi enim cum Dionyſio, quem interpretatur, tria diſtinguit, vmbram, imaginem, & veritatem; vmbramque ait fuiſſe in veteri lege, imaginem eſſe in Euangelio, veritatem autem futuram in cœlo. Vnde annot. 5 poſt verba relata in obiectione, ſubijcit: *Dona perfecta in altari, ſunt imago, vmbra fuit in ſacrificijs legalibus, veritas erit in cœlo.* Ex quo etiam facilè intelligitur locus Ambroſij, non enim ibi opponit imaginem ſubſtantiæ & veritati, ſed tantùm claræ notitiæ. Vnde ſubdit: *Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus, illic facie ad faciem vbi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate eſt.* In eodem ſenſu intelligenda ſunt hæc verba D. Bernardi ſerm. 33. in Cantica, quæ etiam obijciuntur ab Hæreticis: *Habeo & ego verbum, ſed in carne, & mihi apponitur veritas ſed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti ſaginatur, & nudo ſatiatur grano. Me oportet interim quodam Sacramenti cortice eſſe contentum, carnis furfure, litteræ palea, velamine fidei.* Significat enim Angelos frui ipſa adipe, quia facie ad faciem intuentur Verbum, nos autem in conſpectu non habere, niſi corticem Sacramenti; nec enim videmus aliud quam ſpecies panis & vini, ſed tamen intra eum corticem latere etiam granum (id eſt Chriſti corpus & ſanguinem) ſupra dixerat

rat Doctor ille mellifluus, Demum cùm alij SS. Patres, Sacramentum Euchariſtiæ figuram, ſignum, vel antitypum corporis Chriſti, appellant; vel loquuntur de Euchariſtia, ſecundùm ſpecies ſolas & ſymbola externa, quæ ſunt ſigna corporis Chriſti, non vacua, ſed plena re ſignificata, ſicut paſtillus ſignificat carnes, quas continet. Vel volunt Euchariſtiam ſymbolum eſſe corporis myſtici, quod eſt Eccleſia, cuius vnitas, per panem ex multis granis confectum, repræſentatur, vt explicat Auguſtinus tract. 26. in Ioan. Vel tandem illam eſſe figuram & repræſentationem gloriæ noſtræ futuræ, & fruitionis diuinæ eſſentiæ cuius eſt veluti pignus, iuxta illud Proſperi: *Qui corpus Chriſti ſumit eſcam ſalutis accipit, & æternitatis poculum bibit.*

Ex his intelliges, quanta ſit religionis noſtræ perfectio, cui datum eſt id reipſa habere, quod ſignis tantùm & figuris tempore legis Moſaicæ adumbratum fuerat, & expectare claram huius myſterij viſionem, qua beati perfruuntur in patria. Vnde Dionyſius de Eccleſ. hierarchia cap. 5. ait Eccleſiam noſtram mediam eſſe inter Synagogam, & cœleſtem Ieruſalem, & propterea vtriuſque participem. Et Eucherius: *Tria* (inquit) *ſibi Deus tabernacula fecit: Synagogam, quæ vmbram habuit ſine veritate; Eccleſiam, quæ veritatem & vmbras habet; cælum vbi nullæ ſunt vmbræ, ſed nuda veritas.* Quod & Catechiſmus Romanus parte 2. titulo de Euchariſtia num. 3. eleganter expreſſit, his verbis: *Satis mirari fideles nunquam poterunt Sanctæ Eccleſiæ perfectionem, eiuſque gloriæ altitudinem; cùm inter*

eam & cœleſtem beatitudinem, vnus tantùm gradus intereſſe videatur. Hoc enim cum cœleſtibus commune eſt, vt vtrique Chriſtum Deum & hominem præſentem habeamus; ſed quo vno gradu ab eis diſtamus, illi præſentes beata viſione perfruuntur; nos præſentem, & tamen ab oculorum ſenſu remotum, ſacrorum myſteriorum admirabili integumento ſe occultantem, firma & conſtanti fide veneramur. Et concinit Matthæus Vormatienſis, dum ita præclarè ſacram Euchariſtiam his nominibus nuncupauit: *Redemptionis memoriale, pignus hæreditatis æternæ, futuræ iucunditatis amabile prælud um, arrha ſponſæ, iocale diuinum cœl tus ei donatum, Eccleſiæ militantis cum triumphante ſuaue glutinum, & vnio fraterna, dum eam dulcedinem qua illa fruitur ſine velamento, iſta habet ſub Sacramento; & ſub illa cœleſtis Hieruſalem habet Deum ſuum iucundiùs, iſta in terra militans, habet eum mirabiliùs.*

Obijciunt vltimò hæretici, realem exiſtentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, pugnare cum tribus Philoſophiæ peripateticæ principijs, nempe cum iſtis, *Accidentia non poſſunt exiſtere ſine ſubiecto. Corpus non poteſt carere extenſione locali, & poni in indiuiſibili. Vnum corpus non poteſt eſſe ſimul in pluribus locis.* Si enim corpus Chriſti, verè, realiter, & ſubſtantialiter, ſub ſpeciebus Euchariſticis exiſteret, accidentia panis & vini remanerent ſine ſubiecto, vt infra dicemus, corpus Chriſti modo indiuiſibili contineretur ſub ſpeciebus, & remanens in cœlo, eſſet ſimul in pluribus alijs & diſtantibus locis.

Ve-

Verùm ad hæc reſpondeo primò, alia noſtræ fidei myſteria quæ creduntur ab hæreticis, æquè difficilia, & Philoſophiæ principijs repugnantia videri, quam myſterium Euchariſtiæ, & vera ac realis exiſtentia corporis & ſanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini. Non minùs enim repugnare videtur, quod humanitas Chriſti careat propria ſubſiſtentia, quam accidentia Euchariſtica inhærentia ſibi debita; cùm non minùs ſit de ratione accidentis alteri inhærere. Item non maiorem videtur inuoluere repugnantiam, quod corpus Chriſti in Euchariſtia, cum ſuis dimenſionibus, redigatur ad punctum, & careat extenſione locali; quam quod in Incarnationis myſterio, Verbum Diuinùm immenſitatem ſuam paruulo corpuſculo quaſi incluſerit, ſicut Eliſeus corpus ſuum corpori paruuli aptauit, vt viuificaret illud. Demum mirabilius eſt, quod vna natura in tribus perſonis realiter diſtinctis exiſtat, quam quod vnum corpus in pluribus locis inter ſe diſtantibus collocetur; nam corpus cum illis nullo modo identificatur, bene tamen natura diuina cum tribus perſonis. Cùm ergo hæretici credant myſterium Trinitatis, & Incarnationis, immeritò reijciunt myſterium Euchariſtiæ, & realem Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus panis & vini, ob rationes adductas.

Reſpondeo ſecùndò, quod licet myſterium Euchariſtiæ ſit ſupra rationem, & intellectus humani captum tranſcendat, non eſt tamen contra rationem, nec veræ Philoſophiæ principijs yllo modo repugnat. In primis enim, licet de ratione accidentium ſit habere aptitu-

dinem ac propenſionem naturalem ad inhærendum ſubiecto, non eſt tamen de eorum ratione eſſentiali ineſſe actu, ſed poſſunt conſeruari diuinitùs ſine ſubiecto. Sicut licet de ratione ſubſtantiæ ſit habere aptitudinem & propenſionem ad ſubſiſtendum in ſe & per ſe, tamen humanitas Chriſti in myſterio Incarnationis priuatur propria hypoſtaſi & ſubſiſtentia, vt in altero, ſcilicet in Verbo, ſubſiſtat. Deinde nullam implicat contradictionem, quod corpus aliquod liberetur ab extenſione locali, ſibi connaturaliter debita; quia de eſſentia corporis non eſt extenſio illa actualis, & diſpoſitio partium in loco, ſecundum quandam correſpondentiam ad illum; ſed extenſio tantum in ordine ad ſe, quæ conſiſtit in ipſa multitudine partium ex quibus conſtat ipſius entitas, apta coextendi loco, & ſpatio diuiſibili. Vnde licet corpus Chriſti in Euchariſtia careat extenſione locali, & ponatur in indiuiſibili, non propterea deſinit habere duas aures, duo brachia, duos pedes, & quotquot partes habebat antea; neque propterea deſinit caput eſſe vnitum immediatè collo, & non pectori, collum autem humeris & non pedibus; quamuis hæc omnia ſecundùm locum ſimul ſint, & vnico ſpatij puncto claudantur. Demum eſto repugnet, idem numero corpus eſſe ſimul in pluribus locis circumſcriptiuè (de quo diſputant Philoſophi in libris phyſicorum) non tamen implicat, quod ſit in vno circumſcriptiuè, & in pluribus alijs ſacramentaliter: vnde corpus Chriſti poteſt eſſe præſens in cœlo circumſcriptiuè, & ad dexteram Patris, in propria ſpecie ſedere, & in

plu-

pluribus altaribus ſimul exiſtere: *Nec enim* (inquit Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 1.) *hæc interſe pugnant, vt ipſe Saluator noſter, ſemper ad dexteram Patris in cœlis aſſideat, iuxta modum exiſtendi naturalem, & in multis nihilominus alijs locis, ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit.* Vnde egregiè Pater Nicolai in Scholijs ad artic. 5. quæſt. 76. *Impertinens & fruſtraneum eſt, ad veritatem Euchariſtiæ aſtruendam, imò magis periculoſum & noxium, quam proficuum & ſecurum ad eam defendendam, vt vnum corpus aſſeratur circumſcribi pluribus locis poſſe, vel in pluribus locis per ſuæ quantitatis extenſionem eſſe; quia cum illo modo exiſtendi, qualitercumque aſtruatur, nihil commune habet modus proprius quo Chriſtus eſt ſingulariter in Sacramento; nec iiſdem ac ille incommodis eſt obnoxius: putà vt corpus Chriſti dicatur ſimul eſſe ſupra ſe ac infra ſe; ſimul dextrorſum ſibi ac ſiniſtrorſum, ſicut omnino neceſſe eſt in corporibus localiter extenſis contingere. Præter alias plures antilogias, vel contradictiones inde neceſſario conſequentes, vt quod ſimul ſedere idem corpus ac ſtare poſſit, vel quieſcere ſimul & moueri, & ſimilia, cùm nihil tale modus corporis Chriſti Sacramentalis patiatur.*

CAPVT IV.

Tranſubſtantiatio Euchariſtica.

DVplex fuit Berengarij Andegauenſis Archidiaconi error, circa auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. In primis enim dicere cœpit, panem & vinum Euchariſtiæ, eſſe tantummodo Sacramentum, ſeu corporis Chriſti ſignum, ſubindeque Euchariſtiam non verè & realiter, ſed figuratiuè tantum, Chriſti carnem & ſanguinem continere. Quem errorem in Concilio Turonenſi ſub Victore II. & in Romano ſub Nicolao II. retractauit his verbis quæ referuntur de conſecrat. diſtin. 2. *Ergo Berengarius, indignus Sancti Mauritij Andegauenſis Eccleſiæ Diaconus, cognoſcens veram, Catholicam, & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, præcipuè eam de qua hactenus infamatus ſum, quæ aſtruere conatur panem & vinum quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem, ſolummodo Sacramentum, & non verum corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti eſſe.* Verùm leuis ille Protheus, poſt abiuratam bis illam hæreſim, incidit in alium errorem, quo aſſerebat, integram naturam ſubſtantiæ panis & vini remanere poſt conſecrationem in Euchariſtia, accidentaliter coniunctam corpori Chriſti, eo modo quo vnum ſuppoſitum poteſt localiter coniungi alteri, vnde tranſubſtantiationem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, hac ſecunda hæreſi negauit, quam etiam in alio Concilio Romæ ſub Gregorio VII. habito

to ſolemniter abiurauit, his verbis: *Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis, & verba noſtri Redemptoris, ſubſtantialiter conuerti in veram ac propriam & viuificam carnem & ſanguinem Ieſu Chriſti Domini noſtri, & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt ex Virgine, & quod pro ſalute mundi in cruce pependit.* Vtrique Berengarij errori Caluinus adhæſit: Lutherus verò admiſit quidem veram & realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, imò & eam mordicus propugnauit, ac pro ea apologiam edidit; ſed alium Berengarij errorem, quo integram ſubſtantiam panis & vini remanere poſt conſecrationem aſſerebat, amplexus eſt, ſubindeque tranſubſtantiationem, negauit, quem plures eius Diſcipuli in Germania ſecuti ſunt, ideoque *Impanatores*, ſeu *Paniſtæ* vocati. Primum errorem toto capite præcedenti confutauimus, vnde ſupereſt, vt alterum hic breuiter refellamus, & mirabilem illam conuerſionem ſubſtantiæ panis ac vini in corpus & ſanguinem Chriſti, quæ à Theologis *tranſubſtantiatio* appellatur, ſtatuamus ac explicemus.

§. I.

Subſtantia panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti Domini, ſecundùm ſe totam conuertitur; vnde vera datur tranſubſtantiatio in Euchariſtiæ Sacramento.

DEfinita eſt hæc veritas orthodoxa in pluribus Concilijs: Primò quidem in Concilio Romano ſub Gregorio VII. in quo Berengarius (vt ſupra vidimus) ſecundum ſuum errorem, quo tranſubſtantiationem negabat retractauit. Secundò in Lateranenſi ſub Innocentio III. vbi dicitur panem & vinum tranſubſtantiari in corpus & ſanguinem Chriſti. Tertiò in Conſtantienſi ſeſſ. 8. vbi damnatur error Vviclef dicentis ſubſtantiam panis & vini manere in Sacramento altaris. Quartò in Florentino, in inſtructione Armenorum, vbi diſertis verbis ponitur hæc mutatio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti. Demum in Tridentino ſeſſ. 13. can. 2. vbi ſic habetur: *Si quis dixerit, in Sacramento Euchariſtiæ remanere ſubſtantiam panis & vini, vna cum corpore & ſanguine Chriſti, anathema ſit.*

Idem paſſim docent SS. Patres: In primis enim Ambroſius tam apertè loquitur de tranſubſtantiatione, ſeu mutatione panis in corpus Chriſti, vt ſumma impudentia eſſet id reuocare in dubium: Nam lib. de Sacram. cap. 4. ſic ait: *Tu fortè dicis meus panis eſt vſitatus, ſed panis iſte eſt panis ante verba Sacramentorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane ſit caro Chriſti*. Et rurſus cap. 5. *Antequam con-*

conſecretur panis eſt, vbi autem verba Chriſti acceſſerunt, corpus eſt Chriſti. Ante verba Chriſti, calix eſt vini & aquæ plenus; vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur qui plebem redemit. Et lib. de myſterijs initiandis cap. 9. *Quantis* (inquit) *vtimur exemplis, vt probemus non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit? maioremque eſſe vim benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur? Virgam tenebat Moyſes, proiecit eam, & facta eſt ſerpens.* Poſtea narrat multa alia miracula Moyſis, Eliæ, & Elizæi, tandemque ſic concludit: *Quod ſi tantùm valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operantur? Nam Sacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. Quod ſi tantùm valuit ſermo Eliæ, vt ignem de cælo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, vt ſpecies mutet elementorum? De totius mundi operibus legitis: Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt quæ ſunt in id mutare quod non erant? non enim minus eſt, nouas rebus dare, quam mutare naturas.*

Non minùs clarè tranſubſtantiationem docet Cyprianus, vel Auctor ſermonis de cœna Domini, quem antiquum aliquem & doctiſſimum Patrem fuiſſe, fatentur Hæretici. Sic enim ſermone illo dicitur: *Panis iſte quem Dominus Diſcipulis porrigebat, non effigie ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro.* Item Cyrillus Ieroſolymitanus catech.

4. myſtag. apertè, ponit tranſmutationem panis in corpus Chriſti, & ſolas ſpecies remanere poſt eam tranſmutationem aſſerit. Eius verba ſunt: *Chriſtus aquam aliquando mutauit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in cana Galileæ, ſola voluntate; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutauit? Quare omni cum certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus; nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis.* Similia docet Nyſſenus orat. catech. cap. 37 vbi ſic ait: *recte ergo nunc quoque Dei verbo ſanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo tranſmutari*, Item Theophilactus in cap. 6. Ioan. *Transformatur* (inquit) *arcanis verbis panis ille, per myſticam benedictionem, & acceſſionem Sancti Spiritus in carnem Domini*. Demum Damaſcenus eandem veritatem clariſſimis verbis docuit & expreſſit lib. 4. fidei cap. 14. his verbis: *Quæſiuit Virgo quomodo fiet mihi iſtud? Reſpondit Gabriel Archangelus: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te. Tu quoque nunc quæris, quomodo panis nunc fiat corpus Chriſti, & vinum aqua mixtum, fiat ſanguis Chriſti? Tibi quoque reſpondeo Spiritus Sanctus ſuperuenit, eaque efficit quæ orationis facultatem, & mentis intelligentiam excedunt.*

Ex his patet, mentiri hæreticos, dum aſſerunt tranſubſtantiationem eſſe inuentum D. Thomæ, & à Græcis nunquam fuiſſe agnitam, quod poſtremum, falſiſſimum eſſe patet ex Ieremia Conſtantinopolitano Patriarcha ſchiſmatico cap. 10. cenſuræ contra Lutheranos, Item ex Arcudio lib. 3. cap. 2. vbi ſic ha-

habet: *In Sacramento Euchariſtiæ Græci agnoſcunt & ampleƈtuntur, quin & firmiſſimè credunt veram μετουσίωσιν, id eſt tranſubſtantiationem, vt ſatis conſtat ex antiquis & omnium ætatum Patribus Græcis.* Sed nihil magis authenticum proferri poteſt, teſtimonio Patriarchæ Conſtantinopolitani, trium Expatriarcharum Conſtantinopolitanorum, Patriarchæ Alexandrini, & quinque ſupra triginta Metropolitanorum, quo non ſolùm omnes fermè articulos, Catholicos inter, & Caluiniſtas controuerſos, ſe credere confirmarunt, ſed ſuam de Euchariſtia fidem, his vocibus, ſubſcriptionibus ſuis munitis, Conſtantinopoli, in domo Patriarchali, indictione 20. menſis Ianuarij anni 1672. luculentiſſimè expreſſerunt: *Quoad terribile Euchariſtiæ Sacramentum, credimus, & ſine dubitatione confitemur, vi um Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus, eſſe inuiſibiliter præſens præſentia reali in Sacramento; nam operatione ſanctiſſimi Spiritus, modo ſupernaturali, & ineffabili, panis in proprium Ieſu Chriſti corpus, vinum in vinum eiuſdem ſanguinem, realiter, verè & propriè commutatur. Credimus etiam integrum Chriſtum offerri, & ſeipſum offerre: ipſum integrum à recipientibus, modo impaſſibili manducar ... Sacramentum hoc vera adoratione dignum eſt. in eo enim non minori venerationis cultu, corpus Ieſu Chriſti Saluatoris, à Diuinitate aſſumptum, proſequimur, quàm ipſam Diuinitatem adoremus. Pro omnibus Chriſtianis Orthodoxis, tum viuis, tum vitafunctis in ſacrificium offertur.*

Demum eadem veritas oſtenditur ratione

S. Sho-

S. Thomæ qu. 75. art 2. Veritas & proprietas verborum formæ conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*, requirit vt panis non remaneat, ſed conuertatur in corpus Chriſti. Nam pro nomen demonſtratiuum *hoc*, ſignificat ſubſtantiam ſub ſpeciebus latentem, quare ſi ſubſtantia panis ſub illis poſt conſecrationem remaneret, ſenſus horum verborum, *Hoc eſt corpus meum*, eſſet ſubſtantia panis eſt corpus meum, quod eſt apertè falſum. Vnde non fuiſſet à Chriſto dicendum, *Hoc eſt corpus meum*, ſed *hic eſt corpus meum*. Sola enim intima vnius in alio præſentia, non ſufficit vt vnum poſſit de alio prædicari; nam quando corpus Chriſti exiuit de ſepulchro intimè erat præſens in lapide, quia in illo erat penetratiuè, & tamen non poterat, ſignato lapidè, verè dici, *Hoc eſt corpus meum*, ſed duntaxat, *hic eſt corpus meum*.

Confirmatur & magis illuſtratur hæc ratio, & ſimul occurritur inſtantiæ quæ fieri poteſt in contrarium: Pronomen *Hoc* applicari poteſt rei vel ſubſtantiæ, quæ ex natura ſua, vel arte & vſu communi, aliam continere apta eſt, cuiuſmodi ſunt crumena, dolium, arca, &c. vel rei ſeu ſubſtantiæ, quæ non eſt apta continere aliam, vt eſt triticum v. g. vel panis & ſimilia. Priori modo, in ſatis propria, communi, & vſitata ſignificatione, deſignare poteſt ſubſtantiam contentam ſub alia ſubſtantia: vt cùm de marſupio, vel de dolio dicimus: *Hoc eſt aurum meum*: *Hoc eſt vinum meum*: Secùs verò poſteriori, ſi enim ſub pane conderetur argentum, non rectè diceret quis demonſtrando panem, *hoc eſt meum argen-*

gentum. Cùm ergo ſubſtantia panis, nec ex natura ſua, nec ex vſu communi hominum, apta ſit ad continendum corpus Chriſti, non poteſt ſignata tali ſubſtantia in Sacramento, dici. *Hoc eſt corpus meum*, ſubindeque verba illa Chriſti verificari nequeunt, niſi ſubſtantia panis in corpus Chriſti conuertatur. Vnde Guitmundus lib. 3. de corporis & ſanguinis Chriſti veritate: *Hos impanatores ipſe Dominus verbo oris ſui interfecit, cùm accipiens panem, gratiasque agens, ac benedicens, ait: Hoc eſt corpus meum. Non ait, in hoc latet corpus meum. Nec dixit, in hoc vino eſt ſanguis meus, ſed dixit: Hic eſt ſanguis meus.*

Hanc rationem D. Thomæ ex verbis Chriſti deſumptam, ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. capit. 4. confirmat his verbis: *Quoniam Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum id quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia fuit, idque nunc denuo hæc ſancta Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini, conuerſionem fieri totius panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius*. Vnde non eſt tuta Scoti, Durandi, aliorumque Scholaſticorum ſententia, exiſtimantium futuram veram conſecrationis formam, etiamſi ſubſtantia panis remaneret in Euchariſtia, & ſola Eccleſiæ authoritate de fide tranſubſtantiationis conſtare. Nam tranſubſtantiationem ex verbis Chriſti colligi, ſacrum Concilium apertè declarat.

Aduersùs hæc opponunt in primis Lutherani quod Euchariſtia à Scriptura & Patribus

ſæpiùs appelletur panis, vt 1. Corinth. 10. *Panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini eſt?* Sed facilè reſpondetur, illam ita vocari, vel quia eſt ex pane, vt materia tranſeunte, vt enim ſupra annotauimus, ſolent ſubſtantiæ in aliam tranſmutatæ, eo nomine nuncupari, quo ante conuerſionem vocabantur. Vel quia retinet ſpecies, proprietates, & operationes panis.

Obijciunt ſecundò, Damaſcenum lib. 4. de fide cap. 14. dicere Chriſtum cum pane & vino coniunxiſſe ſuam Diuinitatem. Sed hoc intelligendum eſt de pane & vino remanentibus quoad ſpecies duntaxat, vt ſequentia verba declarant: *Corpus enim ſecundùm veritatem coniunctum eſt diuinitati, quod ex ſancta Virgine corpus eſt. Non quod ipſum corpus aſſumptum è cælo deſcendat; ſed quòd ipſe panis & vinum tranſmutantur in corpus & ſanguinem Dei.* Et paulò poſt addit, panem & vinum per inuocationem & aduentum Spiritus Sancti, tranſmutari in corpus & ſanguinem Chriſti, ſicut cibus & potus conuertuntur in ſubſtantiam aliti, ita vt non ſint duo, ſed vnum & idem.

Obijciunt tertiò hæc verba Theodoreti Dialogo 2. quæ difficilia & obſcura videntur: *Signa myſtica poſt ſanctificationem à natura propria non recedunt: manent ſiquidem in priore ſubſtantia, figura, & forma.* Sed huic teſtimonio dupliciter reſponderi poteſt: Primò dicendo cum Cardinali Perronio, non ſic legendum eſſe hunc Theodoreti locum, ſed hoc modo: *ſigna myſtica poſt ſanctificationem manent in prioris ſubſtantiæ & figura & forma.*

me. Et iuxta hanc lectionem ſenſus planus eſt, ſignificatur enim, eadem accidentia, quæ in priori ſubſtantia panis & vini erant, poſt vtriuſque conuerſionem remanere vt priùs, immutata, & à natura ſua non recedere; id eſt à virtute quam habent naturali, afficiendi ſenſum, nutriendi &c.

Secundò reſponderi poſt cum Patre Nicolai in Scholijs ad art. 1. qú. 75. per ſubſtantiam eo loco non intelligi eam quæ dat eſſe ſubſtantiale, & conſtituit prædicamentum ſubſtantiæ, atque accidentibus opponitur; ſed nomine ſubſtantiæ ſignificari eſſentiam, quæ ipſis accidentibus tribuitur & à Græcis *υσία* appellatur. Vnde verbis illis ſolùm Theodoretus intendit, poſt ſanctificationem manere eandem accidentium ſeu ſymbolorum eſſentiam, & ipſa poſt conſecrationem eaſdem habere proprietates naturales ac antea, eoſdemque præſtare effectus, puta nutrire, viſum vel tactum afficere &c. vt ex adiunctis ibi patet, cùm ſubiungitur: *Et videri & tangi poſſunt, ſicut prius*.

Obijciunt quartò: Accidentia ſine ſubiecto non poſſe manere, & id quod remanet in Euchariſtia poſt conſecrationem, poſſe alterari & corrumpi in vermes, vt experientia manifeſtum eſt: At hoc non fieret, niſi remaneret ſubſtantia panis & vini, quæ eſſet ſubiectum harum mutationum: Ergo &c. Sed ad primum capite præcendi reſpondimus. Ad ſecundum verò patebit ſolutio infra cap. 4. vbi explicamus, quomodo ex ſpeciebus Sacramentalibus aliquid genererari poſſit.

Ex dictis colligitur primò, ſubſtantiam

panis

panis & vini non vniri hypoſtaticè Verbo Diuino, ſicut ei vnitur humana natura, vt videtur docere Rupertus lib. 2. de diuin. officijs cap. 2. Quòd enim manet in ſua ſubſtan-ſtantia alteri hypoſtaticè vnitum, non conuertitur in illud, vnde in myſterio Incarnationis credimus manere humanitatem in ſua natura, quia vnitur hypoſtaticè Verbo Diuino: Sed ſubſtantia panis in corpus Chriſti conuertitur, vt oſtenſum eſt: Ergo non vnitur hypoſtaticè Verbo. Addo quod abſurdum videtur, quod Verbum Diuinum dicatur impanatum, ſicut dicitur incarnatum.

Colligitur ſecundò, poſt conſecrationem non remanere nec materiam panis, vt aſſerit Durandus, nec eius ſubſtantiam, vt docet Gofredus nec eius exiſtentiam, vt probabile exiſtimat Bannez, quia Tridentinum ſupra citatum, expreſsè docet in Euchariſtia fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, remanentibus duntaxat ſpeciebus.

§. II.

Tranſubſtantiatio Euchariſtica eſt actio productiua corporis Chriſti, non abſolutè & ſimpliciter, ſed tali modo, nimirum ex ſubſtantia panis, in ipſum Chriſti corpus conuerſa.

PRima pars huius aſſertionis colligitur ex SS. Patribus, qui tranſubſtantiationem Euchariſticam verbis productionem ſignificantibus explicant; Cyprianus enim vel au-

thor

thor ſermonis de cœna Domini, de Chriſto ſic loquitur: *hodie veriſſimum ac ſanctiſſimum corpus ſuum creat, ac piè ſumentibus diuidit.* Ambroſius lib. 3. de Sacram. cap. 4. *De pane fit cor us Chriſti.* Auguſtinus relatus can. *Vtrum ſub figura* de conſecrat. diſt. 2. ait per Spiritum Sanctum creâri, & ex ſubſtantia panis effici corpus Chriſti. Damaſcenus lib. 4. de fide cap 14. Panem & vinum *còrpus & ſanguinem ſuum fecit.* Notum eſt etiam illud Hieronymi epiſc ad Heliodorum: *Honorifica Sacerdotes, qui Chriſti corpus ſacro ore conficiunt.* Hinc. SS. Patres Sacerdotium appellant, ſtupendum miraculum, omnium ornamentorum præſtantiſſimum, bonorum omnium quæ in hominibus ſunt apicem, diuinum quoddam, omniumque quæ inter homines expetuntur, velut extremam metam.

Ratio etiam ſuffragatur: nam omnis conuerſio ſubſtantialis, eſt vera productio ſubſtantiæ: Sed tranſubſtantiatio Euchariſtica eſt conuerſio ſubſtantialis, nam per eam conuertitur ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis Chriſti; Ergo eſt vera productio ſubſtantiæ. Minor patet, Maior verò probatur, tum quia productio eſt aliquod nomen commune ad creationem, generationem, eductionem, & conuerſionem. Tum etiam, quia nulla eſt actio conuerſiua vnius rei in aliam, ſine actione productiua, vel reproductiua eius in quod fit conuerſio, vt cum vxor Loth conuerſa eſt in ſtatuam ſalis, virga Aaron in ſerpentem, & aqua in vinum, in nuptijs Cana. Tum denique, quia communicatio ſeu influxus alicuius eſſe ſubſtantialis, eſt vera productio, vt patet

in emanationibus diuinis, quæ dicuntur productiones, hoc ipſo quod eſſentia diuina quæ eſt in Patre, alijs ſuppoſitis diuinis intellectione & amore communicatur. Similiter communicatio eſſe diuini facta humanitati aſſumptæ, dicitur productio Dei hominis, & per eam Verbum Dei caro factum eſt: Sed omnis conuerſio ſubſtantialis, eſt communicatio ſeu influxus alicuius eſſe ſubſtantialis, cùm per hoc differat conuerſio ſubſtantialis ab accidentali, quod per illam fit tranſitus in aliquod extremum ſubſtantiale, per iſtam verò in extremum dūntaxat accidentale; vt cùm ſubiectum de albo fit nigrum, vel de calido frigidum: Ergo omnis conuerſio ſubſtantialis, eſt vera productio ſubſtantiæ.

Confirmatur: Per conuerſionem Euchariſticam corpus & ſanguis Chriſti incipiunt eſſe ſub ſpeciebus panis & vini: Sed ibi non incipiunt eſſe, per actionem adductiuam, vt exiſtimant Scotus, Bellarminus, & Vaſquez: nec per vnionem corporis & ſanguinis Chriſti cum ſpeciebus panis & vini, vt cenſet Valentia; neque per conſeruationem corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis, vt aſſerit Suarez: Ergo ſolùm per productionem corporis & ſanguinis Chriſti, ex ſubſtantia panis & vini, vt docent Thomiſtæ, & plures alij. Maior patet, Minor verò probatur quantùm ad ſingulas partes. Et in primis quod corpus Chriſti non incipiat eſſe ſub ſpeciebus Euchariſticis, per actionem adductiuam, videtur manifeſtum; quia conuerſio per quam Chriſtus ponitur ſub ſpeciebus Euchariſticis, eſt ſubſtantialis: actio

autem merè adductiua, non eſt conuerſio ſubſtantialis, ſed præſentiæ accidentalis productio. Imò nec conuerſio dici poteſt: ad conuerſionem enim requiritur, vt terminus ad quem habeat incompoſſibilitatem cum termino à quo, alioquin poſſet terminus à quo in ſe remanere, quod repugnat ipſius conuerſioni in terminum ad quem: Sed terminus ad quem actionis adductiuæ corporis Chriſti, non habet talem incompoſſibilitatem cum termino à quo: Ergo talis actio non eſt vera conuerſio. Minor probatur: Terminus ad quem actionis adductiuæ corporis Chriſti eſt præſentia Sacramentalis: Sed hæc non eſt incompoſſibilis cum ſubſtantia panis, quæ eſt terminus à quo Eucharisticæ conuerſionis; quia præſentia illa non eſt quantitatiua & diuiſibilis, ſed Sacramentalis & indiuiſibilis, ac ſimilis illi qua Angelus fit præſens loco: vnde ſicut Angelus per hoc quod fit præſens alicui ſpatio, non propterea expellit ſubſtantiam corpoream quæ eſt in illo; ita neque in Euchariſtia, ex eo præciſè quod corpus Chriſti fit præſens ſpeciebus, expellitur neceſſariò ſubſtantia panis ſub eis præexiſtens. Nec valet quod ait Bellarminus, nempe ex intentione Dei volentis deſtruere ſubſtantiam panis & vini, corpus Chriſti eſſe incompoſſibile cum ea. Repugnantia enim termini ad quem cum termino à quo, in vera conuerſione, non ex aliqua extrinſeca Dei ordinatione, ſed ex natura ipſius conuerſionis peti debet, aliàs omne quod ex voluntate Dei deſinit ſimul atque aliud incipit eſſe, diceretur in illud conuerti, quod abſurdum eſt. Vnde actio illa

addu-

adductiua, non conuerſio, vel tranſubſtantiatio, ſed tranſpoſitio ſeu translocatio dici debet.

Ex his facilè refellitur ſecunda ſententia, & probatur ſecunda pars Minoris principalis, contra Valentiam; vnio enim corporis Chriſti cum accidentibus Euchariſticis, non eſt ſubſtantialis, ſed accidentalis tantùm, cùm ex ſubſtantia & accidentibus nequeat fieri compoſitum niſi per accidens: Ergo conuerſio Euchariſtica, quæ eſt ſubſtantialis, in tali vnione conſiſtere nequit. Præſertim cùm impoſſibile ſit quod corpus Chriſti intelligatur vniri ſpeciebus Euchariſticis, niſi priùs ibi ſit, & per conſequens niſi priùs intelligatur actio conuerſiua panis in corpus Chriſti. Idem dicendum de actione conſeruatiua corporis Chriſti ſub iiſdem ſpeciebus, nam priùs eſt rem eſſe alicubi, quam ibidem conſeruari. Præterquam quòd mera conſeruatio, nulli loco rem conſeruatam affigit, ſed ab omni loco abſtrahit, cùm eandem maneat creatio & conſeruatio, tametſi præſentia quotidie mutetur. Ex quo impugnata manet ſententia Suarez, & probata tertia pars minoris principalis.

Secunda verò pars aſſertionis, quæ dicit tranſubſtantiationem ſeu conuerſionem Euchariſticam, non eſſe actionem productiuam corporis Chriſti ſimpliciter & abſolutè, ſed tali modo, ſcilicet ex alia ſubſtantia quæ in ipſum conuertitur, & in cuius locum ſuccedit, manifeſta eſt: Quia corpus Chriſti ſimpliciter & abſolutè ſupponitur productum, & in rerum natura exiſtens, antequam verba

con-

conſecrationis à Sacerdote proferantur, & fiat conuerſio panis in ipſum: Ergo talis conuerſio non poteſt dici corporis Chriſti productio, ſimpliciter & ſine addito, ſed tantùm ſecundùm quid & cum addito, nimirum ex ſubſtantia panis, & ſub ſpeciebus eius. Quare terminus formalis & primarius tranſubſtantiationis, neque eſt ſola præſentia Chriſti ſub ſpeciebus, neque vnio corporis Chriſti cum illis, neque modus illud conſeruandi ſub illis, neque corpus Chriſti, quatenus ſit ex pane. Vnde etſi corpus Chriſti ſit in cælo exiſtens, quoad animam, qua informatur, productum per creationem, ſub ratione entis; & ſecundùm totum compoſitum, per generationem, ſub ratione hominis; quia tamen non eſt productum, ſub ratione talis corporis ex pane producibilis, per propriam rationem, ad hanc rationem formalem per ſe primò terminatam, & ab ea ſpecificatam, manet producibile iterum in Euchariſtia, per actionem formaliter ipſum reſpicientem, ſecundùm illam rationem, quæ licet ſit vna tantùm in ſpecie formaliter, poteſt tamen numero multiplicari in infinitum ſincategorematicè. Ex quo ſoluuntur plures obiectiones Aduerſariorum, quæ ſolùm probant tranſubſtantiationem, cùm ſupponat corpus Chriſti productum, & iam exiſtens, non poſſe illud producere ſimpliciter & abſolutè, non tamen conuincunt illud non poſſe per talem actionem produci ſecundùm quid, & nouo aliquo modo, nimirum ex pane, & ſub ſpeciebus Euchariſticis.

Dices primò: Quod producitur tranſit de

non eſſe ad eſſe. Sed corpus Chriſti per tranſubſtantionem non tranſit de non eſſe ad eſſe, cùm tali actioni præexiſtat: Ergo per illam non producitur.

Reſpondeo id quod producitur tranſire de non eſſe ad eſſe, eo modo quo producitur, ita vt ſi producatur ſimpliciter, tranſeat à non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter; ſi verò producatur ſolùm cum addito & ſecundùm quid, tranſeat à non eſſe cum addito & ſecundùm quid, ad eſſe cum addito & ſecundùm quid. Vnde cùm corpus Chriſti per tranſubſtantiationem non producatur productione abſolutè & ſimpliciter dicta, ſed cum addito, nimirum ex pane, & ſub ſpeciebus, non tranſit de non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter, ſed à non eſſe ſub ſpeciebus Euchariſticis, & ex pane, ad eſſe ex pane, ſub illis ſpeciebus.

Dices ſecundò: Actio quæ efficienter procedit ab aliquo agente, non poteſt eſſe productiua illius; aliàs idem eſſet ſimul prius & poſterius ſe ipſo, ſecundùm idem: Sed tranſubſtantiatio Euchariſtica eſt efficienter à corpore Chriſti, ſeu ab eius humanitate, vt ab inſtrumento Diuinitati coniuncto: Ergo non poteſt corpus Chriſti producere.

Reſpondeo actionem quæ efficienter procedit ab aliquo agente, non poſſe eſſe primam productionem ipſius; poſſe tamen eſſe iteratam eius productionem, & ſub nouo modo eſſendi: licet enim idem, vt primò productum, non poſſit eſſe prius ad ſeipſum, vt primò productum, bene tamen ad ſeipſum, vt reproductum, ſeu vt productum ſub nouo

uo modo eſſendi; & ſic corpus Chriſti, vt primò productum, eſt prius ſeipſo, vt reproducto ſub nouo modo eſſendi Sacramentali, & prout exiſtit ſub ſpeciebus Euchariſticis; vnde idem non eſt prius & poſterius ſeipſo ſecundùm idem.

Dices tertiò, ſi corpus Chriſti produceretur per tranſubſtantiationem, ſequeretur eundem effectum à duabus cauſis totalibus procedere, corpus enim Chriſti in cœlo exiſtens per vnam actionem totalem productum eſt, & in Sacramento per aliam actionem totalem producitur.

Reſpondeo duas actiones totales ad eundem effectum, ſub diuerſa ratione formali ferri poſſe: ratio autem formalis ſub qua corpus Chriſti producitur in altari, eſt diuerſæ rationis ab ea ſub qua producitur ſeu conſeruatur in cœlo; quia illa eſt conuerſiua, non verò iſta.

Inſtabis: Corpus Chriſti eodem tempore in pluribus altaribus conſecratur: Sed tales conſecrationes ſunt eiuſdem rationis, cùm omnes ſint conuerſiuæ panis in corpus Chriſti: Ergo ſi ſint productiuæ illius, idem effectus, ſub eadem ratione formali, per plures actiones totales produci poterit.

Reſpondeo non eſſe inconueniens quod idem effectus producatur per diſtinctas actiones totales, inſtrumentarias, quia ab illis non pendet per ſe effectus: Illæ verò actiones, quibus conſecratur corpus Chriſti à diuerſis Sacerdotibus, in pluribus altaribus, non ſunt principales, ſed tantùm inſtrumentariæ, cùm Sacerdos inſtrumentaliter tantùm ad conſe-

ċrationem ſeu productionem corporis Chriſti in altari concurrat. Quod ſi dicatur plures actiones, ſiue principales, ſiue inſtrumentales, in eodem ſubiecto, nempe in eodem Chriſti corpore, non poſſe recipi, alioquin plura accidentia ſolo numero diuerſa eſſent in eodem ſubiecto, quod veræ Philoſophiæ repugnat. Reſpondendum eſt, actiones illas inſtrumentarias, non recipi in corpore Chriſti ſimpliciter & abſolutè ſumpto, ſed in corpore Chriſti, vt fit ex tali pane, & ſub talibus ſpeciebus; vnde licet illarum ſubiectum, ſit idem materialiter, eſt tamen diuerſum formaliter, ſubindeque diſtinctis ſubiectis æquiualet; quare non ſequitur, plura accidentia ſolo numero diuerſa recipi in eodem ſubiecto.

Dices quartò, ſi corpus Chriſti in Euchariſtia produceretur ex conuerſione panis in ipſum, non poſſet dici natum ex Virgine; ſicut vinum in nuptijs Cana ex aqua factum, non poterat dici vinum de vite. Sed nego paritatem, quia tale vinum in prima ſui productione ex aqua fuit ſine vite formatum, corpus verò Chriſti in prima ſui productione fuit natum ex Virgine, & in ſecunda reproducitur ex pane. Vnde SS. Patres dicunt Euchariſtiam eſſe quandam extenſionem incarnationis. Et celebris eſt illa ſententia, quæ D. Auguſtino, aut Gregorio magno tribuitur: *O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in vtero Virginis, Chriſtus quotidie incarnatur.*

Quæres, an ſubſtantia panis & vini in Euchariſtia deſinant per annihilationem? Ratio dubitandi eſt, quia illud quod ita deſinit, vt ni-

nihil prorſus eius remaneat, annihilatur: Sed ſubſtantia panis & vini ita ſe habet, peracta conſecratione, non enim remanet eius materia, neque forma, neque ſubſiſtentia, neque exiſtentia, vt capite præcedenti oſtenſum eſt: Ergo verè annihilatur.

Nihilominus ſententia negatiua tenenda eſt, contra Scotum, & Nominales: Ratio eſt, quia deſitio in aliquid poſitiuum, non eſt annihilatio; cùm enim annihilatio opponatur, creationi, per hoc quod creatio incipit à nihilo, & terminatur ad aliquid poſitiuum, annihilatio verò incipit ab aliquo poſitiuo, & deſinit in nihilum, ſicut productio quæ incipit ab aliquo poſitiuo præſuppoſito, non poteſt eſſe creatio, ita deſitio quæ terminatur ad aliquid poſitiuum, nequit eſſe annihilatio: Atqui tametſi conſecratione peracta, nihil ampliùs de ſubſtantia panis & vini remaneat, eorum tamen deſitio eſt in aliquid poſitiuum, ſcilicet in corpus & ſanguinem Chriſti: Ergo talis ſubſtantia non deſinit per annihilationem. Confirmatur: quod tranſit ab vno eſſe in aliud, non annihilatur, annihilatio enim eſt tranſitus ab eſſe ſimpliciter ad non eſſe ſimpliciter, ſicut creatio è contra eſt tranſitus à non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter: ſed ſubſtantia panis ita deſinit per conſecrationem, vt tranſeat ab eſſe panis ad eſſe corporis Chriſti ſub ſpeciebus: Ergo non annihilatur. Ex quibus patet ad rationem dubitandi in contrarium, Maior enim diſtinguenda eſt: Illud quod ita deſinit, vt nihil eius prorſus remaneat, annihilatur; ſi ita deſinat, vt ex modo deſinendi non tendat ad aliquid

poſitiuum quod ſibi ſuccedat, & in quod conuertatur, concedo maiorem. Si ex modo deſinendi tendat ad aliquid in quod conuertatur, nego Maiorem. Sic enim forma ſubſtantialis non dicitur annihilari, quamuis nihil eius remaneat poſt ipſius corruptionem, quia ex vi talis actionis qua corrumpitur, producitur alia forma, in eius locum ſuccedens, & eandem materiam informans: ſubſtantia autem panis ita ſe habet proportionaliter, quia ſic deſinit eſſe, vt tamen ex modo deſinendi tendat ad aliquid in quod conuertitur, ac proinde non annihilatur. Vnde S. Thomas in 4. diſtin. 11. quæſt. 1. artic. 2. ad 4. *Quamuis non maneat panis neque in ſe neque in alio: manet tamen corpus Christi in quod conuerſus eſt panis, & ideo non ſequitur quod ſit annihilatio.*

CAPVT V.

Modus quo Chriſtus exiſtit in Euchariſtia.

Circa modum quo Chriſtus exiſtit in Euchariſtia, aliquæ ſunt difficultates & quæſtiones, breuiter hic reſoluendæ.

§. I.

§. I.

Quid vi verborum, quid concomitanter, ſub vtraque ſpecie contineatur?

DVo ſunt certa & indubitata apud omnes Catholicos. Primum eſt, corpus Chriſti formaliter, ſeu ex vi verborum conſecrationis, ſub ſpecie panis contineri; eiuſque ſanguinem, ex vi verborum conſecrationis calicis, ſub ſpecie vini. Illud enim dicitur eſſe formaliter & ex vi verborùm conſecrationis, ſub ſpeciebus Euchariſticis, quod verbis conſecrationis expreſsè deſignatur: Sed verbis conſecrationis panis, expreſsè deſignatur corpus Chriſti, & verbis conſecrationis vini, eius, ſanguis, vt conſtat: Ergo hæc ſunt formaliter & ex vi verborum ſub ſpeciebus panis & vini. Alterùm eſt, ſub ſpecie panis, ſanguinem; & ſub ſpecie vini, corpus; & ſub vtraque ſpecie, animam & diuinitatem, per concomitantiam in hoc Sacramento contineri. Illa enim dicuntur eſſe ſub ſpeciebus per concomitantiam, quæ licet per verba conſecrationis non exprimantur, ſunt tamen realiter connexa & coniuncta cum his quæ fiunt vi verborùm: Atqui corpus eſt realiter coniunctum cum ſanguine, & ſanguis cum corpore, & anima ac diuinitas cum vtroque: Ergo ſub prædictis ſpeciebus per concomitantiam continentur. Hanc doctrinam definiuit ex profeſſo Tridentinùm ſeſſ. 13. cap. 3. his verbis: *Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem, verum Domini noſtri cor-*

pus, verumque eius ſanguinem, ſub panis & vini ſpecie, vna cum ipſius anima & diuinitate exiſtere; ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie, ex vi verborum; ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini qui iam ex mortuis reſurrexit, non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur: Diuinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypoſtaticam vnionem. Quapropter veriſſimum eſt, tantundem ſub alterutra ſpecie, atque ſub vtraque contineri. Totus enim & integer Chriſtus, ſub panis ſpecie, & ſub quauis ipſius ſpeciei parte, totus item ſub vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit.

Hæc vt dixi, certa & indubitata ſunt apud omnes, ſed dubitatur primò, quid intelligatur nomine corporis, quod ex vi verborum eſt ſub ſpeciebus panis? Aliqui enim, vt Gabriel lect. 42. in Can. per corpus intelligunt materiam primam nudè ſumptam, omni forma ſubſtantiali ſpoliatam, & ſola quantitate affectam. Sed illi & impropriè vocant corpus id quod corpus non eſt (neque enim quando dicitur hominem componi ex corpore & anima, communis hominum ſenſus eſt, quod corpus illud ſit materia prima) & falsò ſupponunt, materiam primam poſſe exiſtere ſine forma ſubſtantiali.

Alij exiſtimant per corpus ſignificari materiam primam, vt affectam forma corporeitatis, vel alia forma partiali, conſtituente corpus organicum. Sed illi ſupponunt dari formas

mas partiales in compoſito, quod falſum, vel ſaltem incertum eſt, & contra D. Thomam qui 1. p. qu. 76. art. 3. docet in homine non dari aliam formam, quam animam intellectiuam, *quæ virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipſa ſola quidquid imperfectiores formæ in alijs faciunt.* Et hic q. 75. art 6. ad 2. ſic ait: *Anima eſt forma corporis, dans ei totùm ordinem eſſe perfecti, ſcilicet eſſe, & eſſe corporeum, & eſſe animatum, & ſic de alijs. Conuertitur igitur forma panis in formam corporis Chriſti, ſecundùm quod dat eſſe corporeum, non autem ſecundùm quod dat eſſe animat in tali anima.* Vnde iuxta D. Thomam: nomine corporis, quod ex vi verborum eſt ſub ſpeciebus panis, intelligi debet materia informata anima Chriſti, quatenus dat eſſe corporeum, non tamen vt dat eſſe viuens, ſeu vt gradum vitæ tribuit; quia corpus Chriſti prout eſt ex vi verborum ſub ſpeciebus panis, abſtrahit à viuo & mortuo, cùm idem ſit formale ſignificatum corporis nunc, ac fuit in triduo mortis. Vnde quando Tridentinum ait, animam Chriſti eſſe ſolùm per concomitantiam ſub panis & vini ſpecie, hoc intelligendum eſt de anima Chriſti, vt tribuit gradum vitæ, non verò, vt dat eſſe corporeum. Imò etiam anima Chriſti, vt tribuens gradum vitæ, non eſt per concomitantiam in hoc ſacramento, niſi quando contingit corpus Chriſti in propria ſpecie informari anima rationali; ſi enim informaretùr alia, vt in triduo mortis, forma cadaueris, non poneretur anima rationalis, etiam concomitanter, ſub ſpeciebus Euchariſticis, ſed ipſa forma cadaueris.

Secundò dubitari poteſt, an totus ſanguis Chriſti ſit vi verborum ſub ſpecie vini, vel ille ſolùm qui fuit in paſſione effuſus? Videtur enim quod iſte tantùm ex vi verborum ſub ſpecie vini contineatur, cùm hic tantùm exprimatur in forma conſecrationis: *Qui pro vobis effundetur*.

Reſpondeo tamen, totum ſanguinem qui nunc eſt in corpore Chriſti glorioſo, etiam ſi non fuerit in paſſione effuſus, eſſe ex vi ſacramenti ſub ſpeciebus vini. Nam verba illa, *Qui pro vobis effundetur*, non limitant præcedentia ad ſignificandum ſolum ſanguinem qui fuit in paſſione effuſus, ſed ad exprimendum primarium finem huius ſacramenti, qui eſt repræſentatio paſſionis Chriſti: vt ſi Chriſtus conuertiſſet aquam in vinum, his verbis, *Hoc eſt vinum quod à vobis potabitur*, poſteriora verba non limitaſſent priora ad conuertendum ſolùm aquam in vinum, quod fuiſſet ab illis potandum, ſeu tantùm ad denotandum finem miraculi, eſto non totum vinum fuiſſet ab illis potandum.

Confirmatur: Aliquis ſanguis fuit ſacramentaliter præſens ſub ſpeciebus vini in cœna, qui non fuit in paſſione effuſus, nempe ille qui ante paſſionem fuit in carnem conuerſus: Ergo ad verificanda verba conſecrationis, non eſt neceſſe quod totus ſanguis, qui ponitur vi verborum ſub ſpecie vini, fuerit in paſſione effuſus. Vnde ſi in triduo mortis Chriſti, Apoſtoli conſecraſſent, fuiſſet in calice, vi verborum, non ſolùm ſanguis effuſus, ſed etiam alia pars reſtans in corpore Chriſti mortuo, ſuppoſito quod non omnem

in mathematico rigore effuderit.

Tertiò poteſt eſſe dubium, an Verbum Diuinum ſit ex vi verborum in hoc Sacramento, an ſolùm per concomitantiam? Ratio dubitandi eſt, quia corpus & ſanguis Chriſti qui ſunt termini formales ſignificationis Sacramentalis, exprimuntur per modum ſubſiſtentis, ſubindeque formaliter important ſubſiſtentiam: Non creatam: Ergo increatam Verbi, qua omnia in Chriſto ſubſiſtunt.

Nihilominus dicendum eſt, Verbum non eſſe in hoc Sacramento ex vi verborum, ſed tantùm per concomitantiam. Nam, iuxta Tridentinum, Diuinitas non eſt in Sacramento, ex vi verborum ſed tantùm per concomitantiam; quia non eſt in eo, *Niſi propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypoſtaticam vnionem*. Atqui ſimiliter Perſona Verbi non eſt in hoc Sacramento, niſi ratione vnionis hypoſtaticæ, quam habet cum Corpore & Sanguine Chriſti: Ergo non eſt in hoc Sacramento, ex vi verborum, ſed tantùm per concomitantiam. Vnde ad rationem dubitandi reſpondetur, corpus & ſanguinem non importare per ſe & formaliter ſubſiſtentiam, ſed concretum tantùm ſubſtantiæ; alioqum dici non poſſet, Verbum aſſumpſit corpus, aut ſanguinem, quia non poteſt dici Verbum aſſumpſit aliquod ſubſiſtens. Vnde hæc propoſitio, *Verbum aſſumpſit hominem*, non eſt vera, quia homo importat ſubſiſtentiam.

Demum hic aliqui inquirunt, an reliquæ Perſonæ Diuinæ, ſint in hoc Sacramento per concomitantiam? Cùm enim illæ vniantur cum Filio, & identificentur cum eſſentia di-

nima, non videtur poſſe negari, quin ſint concomitanter in hoc Sacramento, ſicut ipſa Diuinitas & Perſona Verbi. Nihilominus ſententia negans videtur probabilior, & doctrinæ Tridentini conformior; illud enim ſolùm fundat hanc concomitantiam Sacramentalem, in vnione hypoſtatica quam habent Verbum & Diuinitas cum humanitate: Atqui Pater & Spiritus Sanctus non vniuntur hypoſtaticè humanitati: Ergo non ſunt in hoc Sacramento per concomitantiam. Vnde ſolus Filius dicitur in altari offerri, & ſacrificari, non verò Pater, vel Spiritus Sanctus. Nec obeſt quod Pater & Spiritus Sanctus vniantur cum Filio, & identificentur cum natura diuina: ſicut enim hæc vnio & identitas, non faciunt Patrem vel Spiritum Sanctum eſſe etiam concomitanter incarnatos, ita nec faciunt illos in Euchariſtia concomitanter inueniri.

§. II.

Quid ſit præſentia Sacramentalis Corporis Chriſti in Euchariſtia?

Reſpondeo illam eſſe modum quemdam, ſupernaturalem, & ſubſtantialem quo Chriſti corpus afficitur, & qui modum exiſtendi ſubſtantiæ imitatur.

Probatur quantùm ad ſingulas partes: Et in primis quod talis præſentia ſit aliquis modus realis, ex eo patet, quod corpus Chriſti eſſe indiuiſibiliter præſens ſub ſpeciebus, eſt effectus realis de nouo in ipſo Chriſti corpore, qui antea non erat; ſubindeque proueniens

niens ab aliqua forma illi ſuperaddita : non realiter diſtincta, quia hæc neceſſaria non eſt : Ergo modaliter tantùm. Secundò, quòd talis modus ſit ſupernaturalis conſtat quia eſt indebitus corpori, & cuicumque naturæ creatæ, eſt enim quædam participatio diuinæ immenſitatis. Tertiò, quòd ſit ſubſtantialis probatur ex eo quod beneficio illius Chriſtus eſt in Euchariſtia ad modum ſubſtantiæ, vt docet D. Thomas hic quæſt. 76. artic. 5. his verbis : *Corpus Chriſti non eſt in hoc Sacramento ſicut in loco, ſed per modum ſubſtantiæ, eo ſcilicet modo quo ſubſtantia continetur à dimenſionibus : ſuccedit enim ſubſtantia corporis Chriſti in hoc Sacramento ſubſtantiæ panis : vnde ſicut ſubſtantia panis non erat ſub ſuis dimenſionibus localiter, ſed per modum ſubſtantiæ, ita nec ſubſtantia corporis Chriſti.* Ratio etiam ſuffragatur : nam eſſe ad modum ſubſtantiæ eſt eſſe totum ſub tota quantitate, & totum ſub qualibet parte: Sed corpus Chriſti eſt totum ſub tota quantitate panis & totum ſub qualibet eius parte : Ergo eſt ſub illa per modum ſubſtantiæ. Ex quo probata manet vltima pars noſtræ reſponſionis, aſſerens modum illum præſentiæ Sacramentalis corporis Chriſti, modum exiſtendi ſubſtantiæ imitari.

Ex his colligitur primò, præſentiam Sacramentalem corporis Chriſti ſub ſpeciebus, non pertinere ad prædicamentum vbi, ſed reduci ad prædicamentum ſubſtantiæ : quia ad prædicamentum vbi non pertinet quicumque modus præſentiæ, ſed ille tantùm ratione cuius res denominatur exiſtens in lo-

eo; vnde diximus in tractatu de Angelis, præſentiam Angeli in loco, ſiue corpore circa quod operatur, non pertinere ad prædicamentum vbi, ſed reduci ad prædicamentum actionis: Atqui ratione præſentiæ Sacramentalis corpus Chriſti non poteſt dici eſſe in loco, vt docet D. Thomas articulo citato, quem his verbis concludit: *Vnde nullo modo corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento localiter*: Ergo talis præſentia non pertinet ad prædicamentum vbi, ſed reducitur ad prædicamentum ſubſtantiæ.

Colligitur ſecundò, corpus Chriſti non eſſe in hoc Sacramento definitiuè, vt docet idem S. Doctor ibidem in reſp. ad 1. his verbis: *Corpus Chriſti non eſt in hoc Sacramento definitiuè, quia ſic non eſſet alibi quam in hoc altari vbi conficitur hoc Sacramentum; cum tamen ſit & in cælo in propria ſpecie, & in multis alijs altaribus ſub ſpecie Sacramenti*. Ex quo intelliges, præſentiam ſacramentalem corporis Chriſti ſub ſpeciebus, duas habere conditiones, vnam in qua conuenit cum præſentia rei ſpiritualis, alteram in qua excedit illam. Conuenit in eo quod vtraque modo indiuiſibili facit rem præſentem, ſcilicet totam in toto, & totam in qualibet parte. Excedit autem in eo quod vbi ſeu præſentia rei ſpiritualis, licet ſit indiuiſibilis, tamen quia oritur à virtute finita & limitata, ita limitatur & coarctatur ad certam diſtantiam & locum, quod vltra illam ſphæram non eſt, & ideò vocatur vbi definitiuum. At verò præſentia ſacramentalis corporis Chriſti ſub ſpeciebus, oritur ex virtute infinita Dei, conuer-

uertentis panem in ipſum; vnde ita Chriſtus eſt in vna hoſtia, & in vno altari, quòd non definitur & limitatur vt non ſit in alijs; atque ita non eſt vbi definitiuum, ſicut præſentia Angeli, licet ſit modo indiuiſibili, ſed vocatur præſentia ſacramentalis, quia ita eſt indiuiſibiliter & totaliter in qualibet hoſtia, & qualibet parte illius, quod etiam in alijs hoſtijs & altaribus eſſe poteſt, ſi ibi conſecretur panis. Vnde D. Thomas hic qu. 75. art. 1. ad 3. ait Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, *ſpeciali quodammodo, qui eſt proprius huic Sacramento*. Vbi Caietanus ad finem commentarij hæc ſcribit: *Meritò modus iſte dicitur proprius Sacramento, huius non ſolùm propter differentiam à reliquis Sacramentis, ſed etiam quia in toto vniuerſo non apparet vnus aliquis modus huic ſimilis. Propter quod cum admiratione & veneratione fateamur defectum cognitionis noſtræ circa hoc.*

Colligitur tertiò contra Altiſiodorenſem, Alenſem, & D. Bonauenturam, totum Chriſtum eſſe ſub quauis parte hoſtiæ conſecratæ, etiam ante diuiſionem illius: Tum quia ante conſecrationem ſubſtantia panis erat tota & actu in ſingulis partibus hoſtiæ: Ergo poſt conſecrationem tota ſubſtantia corporis Chriſti, quæ in Sacramento ſubſtantiæ panis ſuccedit, erit in qualibet parte hoſtiæ conſecratæ. Tum etiam, quia ex Tridentino §. præcedenti relato, in ſingulis partibus poſt diuiſionem eſt totus Chriſtus: Ergo etiam ante diuiſionem. Nam ſola diuiſio, cùm fiat virtute naturali, non conſtituit Chriſtum vbi antea non erat; alioqui abſque noua conſecratione,

ſola

ſola virtute naturali, Chriſtus fieret ſacramentaliter præſens vbi antea non erat.

Dices cum Altiſiodorenſi: Sicut in ſpeculo ante fractionem eſt vna tantùm imago, poſt fractionem verò multiplicatur in ſingulis partibus fractis: ita ante diuiſionem eſt ſemel tantùm Chriſtus in tota hoſtia, poſt diuiſionem verò multiplicatur in ſingulis partibus diuiſis. Sed nego paritatem: Ratio diſparitatis aſſignatur à D. Thom. hic art. 3. in corp. cùm enim imago in ſpeculo repræſentata, proueniat ex reuerberatione ſuperficiei ſpeculi, tanquam à cauſa; quemadmodum fracto ſpeculo fiunt diuerſæ ſuperficies partium, ita & diuerſæ reflexiones ſeu reuerberationes earum, atque adeò plures actu imagines. Per fractionem verò hoſtiæ, non fit noua productio præſentiæ corporis Chriſti, in diuerſis partibus hoſtiæ fractæ, quia hæc non producitur, niſi prolationem verborum ſacramentalium. Ergo ſi ante fractionem non erat totus Chriſtus in ſingulis partibus hoſtiæ, non poterit in iis fieri præſens vi fractionis.

Colligitur quartò, totùm Chriſtum eſſe ſub qualibet parte hoſtiæ, minori minimo naturali, coniuncta cum continuo & alijs partibus maioribus quas componit, non verò ab illis diuiſa & ſeparata. Quia ſub illis partibus hoſtiæ eſt totus Chriſtus, ſub quibus eſſe poteſt ſubſtantia panis, non verò ſub illis ſub quibus talis ſubſtantia conſeruari nequit: Atqui ſubſtantia panis conſeruari poteſt ſub qualibet parte hoſtiæ minori minimo naturali coniuncta cum continuo, & cum

alijs

alijs partibus maioribus quas componit; ſecùs verò ſi à continuò diuidatur: Ergo &c.

Colligitur quintò, corpus Chriſti totum contineri ſub quolibet indiuiſibili hoſtiæ conſecratæ, tam continuatiuo, quam terminatiuo: Sub quolibet enim indiuiſibili quantitatis eſt indiuiſibile ſubſtantiæ, ne detur accidens ſine proportionato ſubiecto: Sed Chriſti corpus, vi conſecrationis, fit præſens ſub omni eo ſub quo præerat aliquid ſubſtantiæ panis, cùm illi adæquatè ſuccedat: Ergo fit præſens ſub quolibet indiuiſibili hoſtiæ conſecratæ. Quando verò frangitur hoſtia, indiuiſibilia, quæ erant continuantia partes illius coniunctas, per fractionem aut diuiſionem fiunt terminantia partes diuiſas; ſubindeque corpus Chriſti, quod antea exiſtebat ſub illis indiuiſibilibus, vt continuantibus partes vnitas, exiſtit ſub eiſdem, vt terminantibus partes diuiſas.

Quæres, an præſentia ſacramentalis corporis Chriſti in Euchariſtia includat aliquam vnionem corporis Chriſti cum ſpeciebus? Reſpondeo affirmatiuè: Ratio eſt, quia Chriſtus mouetur ad motum ſpecierum, vt §. ſequenti dicemus: niſi autem ponatur aliquis nexus inter corpus Chriſti & ſpecies, Chriſtus non mouebitur, nam ſola præſentia non nectit corpus Chriſti cum ſpeciebus: Ergo admittenda eſt aliqua vnio corporis Chriſti cum illis.

§. III.

§. III.

An Chriſtus in Euchariſtia poſſit moueri localiter, agere vel pati actione corporea, & oculo corporeo videri.

DIco primò, Chriſtus in Euchariſtia non poteſt moueri per ſe motu locali, bene tamen per accidens.

Prima pars patet, illud enim quod non eſt in loco, non poteſt per ſe moueri localiter; quia moueri localiter eſt mutare locum, ſeu relinquere vnum locum, & acquirere alium: Sed Chriſtus non eſt in hoc Sacramento tanquam in loco, vt conſtat ex dictis §. præcedenti: Ergo non poteſt in eo per ſe moueri localiter.

Quod autem poſſit moueri per accidens, ad motum ſpecierum, probatur contra Durandum. Corpus Chriſti continetur ſub ſpeciebus, eo modo quo continebatur ſubſtantia panis: Atqui ſubſtantia panis ità continebatur ſub ſpeciebus, vt illis motis moueretur: Ergo & corpus Chriſti. Vnde dicitur portari in proceſſionibus, deferri ad infirmos, eleuari à Sacerdotibus poſt conſecrationem, & ſimilia, quæ ſine motu locali explicari nequeunt. In hoc tamen differt corpus Chriſti à ſubſtantia panis, quòd iſta dum mouebatur per accidens, ad motum ſpecierum, in ſe recipiebat motum localem, non verò corpus Christi; quia cùm motus localis, ſit aliquid corporeum & extenſiuum, ſicut & vbi circumſcriptiuum, quod eſt illius terminus, il-

lud ſolùm motum intrinſecè recipit, quod accidens extenſum recipere natum eſt: corpus autem Chriſti in Euchariſtia indiuiſibiliter exiſtens, non eſt idoneum ad recipiendum accidens corporeum & extenſum, ſicut ſubſtantia panis; vnde motus localis in eo non recipitur, ſed in ſolis duntaxat ſpeciebus, ad quarum motum mouetur per accidens.

Dico ſecundò, corpus Chriſti, prout eſt in hoc Sacramento, nec agere nec pati poteſt, actione vel paſſione corporea. Ratio eſt, quia omnis actio & paſſio corporea, requirit in agente & patiente extenſionem localem, qua corpus Chriſti caret in Euchariſtia, cùm in ea ſit modo indiuiſibili & inextenſo.

Dices, Chriſtus poteſt mori in hoc Sacramento, vt docet D. Thomas infra quæſt. 81. art. 4. Ergo & pati paſſione corporea.

Reſpondeo quod quando S. Doctor ait quod Chriſtus in Euchariſtia poteſt mori, hoc non debet intelligi de morte ipſi illata, prout eſt in hoc Sacramento, ſed de morte illata ipſi, vt exiſtenti in propria ſpecie: cùm enim idem numero ſit corpus Chriſti in vtroque ſtatu, eo ipſo quod moreretùr in propria ſpecie, conſequenter etiam, vel concomitanter, in hoc Sacramento mori deberet. Vnde ibidem docet S. Thomas, quod ſi hoc Sacramentum tempore mortis Chriſti fuiſſet ſeruatum vel conſecratum, Chriſtus in cruce moriens, fuiſſet etiam mortuus in Sacramento.

Dico tertiò, oculum corporeum ſupernaturaliter eleuari poſſe ad videndum corpus Chriſti vt exiſtens in Euchariſtia, non verò ad videndum ipſum modùm quo in ea exiſtit.

Prima pars probatur ratione fundamentali: Potentia cognoſcitiua poteſt diuinitùs eleuari ad percipienda ea omnia quæ continentur intra latitudinem ſui obiecti ſpecificatiui, licet non contineantur intra latitudinem obiecti connaturalis & proportionati; quamuis enim Deus vt in ſe eſt, non ſit obiectum proportionatum noſtri intellectus, poteſt tamen ab illo videri ſupernaturaliter, ex eo quod contineatur intra obiectum ſpecificatiuum illius, vt in Tractatu de viſione beatifica declarauimus. Sed quamuis corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento, non contineatur intra obiectum connaturale & proportionatum potentiæ viſiuæ, eò quòd non ſit ibi localiter extenſum, continetur tamen intra latitudinem obiecti ſpecificatiui illius, quod eſt coloratum & lucidum: Ergo quamuis oculus corporeus non poſſit naturaliter videre corpus Chriſti, vt eſt in Euchariſtia, poteſt tamen ad id diuinitus & ſupernaturaliter eleuari. Ex quo probata manet ſecunda pars concluſionis, cùm enim modus quo corpus Chriſti in Sacramento, non ſit coloratus, ſed ſolùm intelligibilis, non continetur obiectum ſpecificatiuum potentiæ viſiuæ, ſed ſolùm intellectiuæ, ſubindeque non poteſt videri ab oculo corporeo, ſed ſolùm percipi & cognoſci ab intellectu creato. Vnde Sanctus Thomas hic art. 7. ad 2. *Oculus Chriſti videt ſeipſum ſub Sacramento exiſtentem non tamen poteſt videre ipſum modum eſſendi quo eſt ſub Sacramento, quod pertinet ad ſolum intellectum.* Quibus verbis apertè docet vtramque partem noſtræ concluſionis,

Sed

Sed dices, cur S. Thomas, concedens oculum corporalem Chriſti, videre ſeipſum in Sacramento exiſtentem, id negat de alijs oculis glorioſis, ſubiungit enim: *Nec tamen eſt ſimile de alio oculo glorioſo, quia etiam oculus Chriſti eſt ſub hoc Sacramento, in quo non conformatur ei oculus glorioſus.*

Reſpondeo oculum Chriſti in Euchariſtia exiſtentem, in eo differre ab alijs oculis glorioſis, quòd cùm ſit in Sacramento ad modum ſui corporis, id eſt modo indiuiſibili & inextenſo, ſui corporis in Sacramento exiſtentis ſpeciem, quamuis indiuiſibilem & inextenſam, connaturaliter recipit, propter connaturalem cum ipſius corpore vnionem: alter verò oculus glorioſus, non eſt capax recipiendi connaturaliter ſpecies ab obiecto illo, quia quantumcumque glorioſus ſit, obiectum tamen ſuum, non niſi per ſpecies extenſas, videre naturaliter poteſt, quas corpus Chriſti in Euchariſtia non diffundit. Et hoc eſt quod voluit S. Thomas, dum dixit: *Quia etiam oculus Chriſti eſt ſub hoc Sacramento, in quo non conformatur ei oculus glorioſus.* Cæterùm quod alij oculi glorioſi, extra Sacramentum exiſtentes, poſſint diuinitùs & ſupernaturaliter videre corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens, non negat S. Doctor, ſed id expreſsè aſſerit in 4. diſt. 11. qu. 1. artic. 4. quæſtiunc. 1. ad 1. dicens: *Oculus Chriſti extra ſpecies Sacramentales exiſtens, non videt ſeipſum intra ſpecies Sacramentales exiſtentem, niſi miraculosè; & ſimiliter alij oculi glorioſi non vident ipſum hic, niſi fortè per miraculum.*

Obij-

Obijcies primò contra primam partem huius aſſertionis: Nullum obiectum poteſt videri ſine ſpecie: Sed corpus Chriſti in Sacramento exiſtens, nullam ſui ſpeciem emittere poteſt, & per medium in potentiam viſiuam diffundere; cùm talis emiſſio & diffuſio ſpeciei exigat extenſionem & contactum quantitatiuum medij, quæ non competunt corpori Chriſti in Euchariſtia: Ergo corpus Chriſti in Sacramento exiſtens videri nequit oculo corporeo.

Reſpondeo quod licet corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens connaturaliter & de potentia Dei ordinaria, ſpeciem ſui emittere, & in ſenſum immittere nequeat; nulla tamen eſt repugnantia, quod per actionem naturali altiorem. Deo ſupernaturaliter concurrente, & ſupplente in obiecto defectum extenſionis localis (ſicut interdum ſupplet defectum præſentiæ & indiſtantiæ, vt conſtat in Beato Stephano, è terra Chriſtum ſtantem in cœlo vidente) ſui in oculum ſpeciem emittat. Et dato quod hoc eſſet impoſſibile, negari tamen non poteſt, quin Deus immediatè per ſeipſum, talem ſpeciem in oculo producere poſſit, in hoc enim nulla apparet repugnantia.

Dices, talis ſpecies à corpore Chriſti emiſſa, aut à Deo immediatè producta, vel eſſet diuiſibilis, vel indiuiſibilis? Si indiuiſibilis, non poſſet recipi in oculo corporeo extenſo; Si diuiſibilis, non poſſet repræſentare corpus Chriſti exiſtens in Euchariſtia modo indiuiſibili & inextenſo.

Reſpondeo quod ſpecies illa eſſet diuiſibilis, & nihilominus repræſentaret corpus

Chri-

Chriſti exiſtens in Euchariſtia; licet enim ſpecies diuiſibilis repræſentare nequeat obiectum indiuiſibiliter exiſtens, ſi exiſtat indiuiſibiliter, tam in ordine ad ſe, quam in ordine ad locum; ſecùs verò ſi exiſtat indiuiſibiliter tantùm in ordine ad locum, & ſit diuiſibile in ordine ad ſe; vnde cùm corpus Chriſti in Euchariſtia, habeat extenſionem integralem partium in ſe, quamuis careat extenſionem locali, per ſpeciem diuiſibilem oculo corporeo repræſentari poteſt.

Obijcies ſecundò contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis: Si oculus corporeus videret corpus Chriſti vt exiſtens in Sacramento, & tamen modum quo in eo exiſtit non perciperet, vnum ab alio abſtraheret; potentia enim cognoſcens vnum, non cognito alio ſibi coniuncto, dicitur abſtrahere ſeu præſcindere vnum ab alio: Sed potentia viſiua, cùm corporea & immerſa materiæ, abſtractiua non eſt, vt docent Philoſophi: Ergo oculus corporeus non poteſt videre corpus Chriſti, vt exiſtens in Sacramento, niſi etiam ipſum modum quo ibi exiſtit videat.

Reſpondeo negando ſequelam maioris, & diſtinguendo probationem illius: Potentia cognoſcens vnum, non cognito alio ſibi coniuncto, abſtrahere dicitur: ſi illud quod non cognoſcitur pertineat ad obiectum potentiæ, concedo. Si non pertineat ad illius obiectum, nego. Sic enim quando viſus percipit colorem pomi, non percipiendo eius odorem, non dicitur abſtrahere vnum ab alio, quia odor pomi ad obiectum potentiæ viſiuæ non pertinet. Item oculi Chriſtum in terris conuer-

ſantem videntes ipſum quidem exiſtentem videbant, eius tamen exiſtentiam & ſubſiſtentiam diuinam minimè percipiebant; & tamen talis viſio non erat abſtractiua, quia exiſtentia & ſubſiſtentia ad obiectum ſpecificatiuum potentiæ viſiuæ non pertinent. Ita pariter, licet oculus corporeus videret ſupernaturaliter Chriſtum in Sacramento exiſtentem, non viſo modo ſupernaturali quo ibi exiſtit, non diceretur abſtrahere vnum ab alio; quia talis modus, cùm ſit ſpiritualis & incorporeus, intra obiectum potentiæ viſiuæ non continetur.

CAPVT VI.

De accidentibus Eucharisticis.

ACcidentia panis & vini in Euchariſtia remanere, peracta conſecratione, non ſolùm fides docet, & plura Concilia definiunt, ſed etiam certo ſenſus experimento conſtat: videmus enim in hoſtia conſecrata albedinem, guſtamus ſaporem, tangimus figuram &c. Non minùs certum eſt, illa tunc remanere ſine vllo ſubiecto ſubſtantiali, non enim inhærent ſubſtantiæ panis & vini, cùm illa deſinat per conſecrationem, neque corpori & ſanguini Chriſti, aliàs corpus Chriſti in Euchariſtia eſſet alterabile, corruptibile, & localiter extenſum: neque alteri ſubſtantiæ, loco panis & vini ſubſtitutæ, hoc enim repugnat proprietati verborum formæ conſecrationis, quia non corpus Chriſti, ſed ſubſtan-

ſtantia illa ſub accidentibus demonſtraretur: Ergo nullum datur ſubiectum ſubſtantiale cui tunc inhæreant, ſubindeque illa ſine ſubiecto ſubſtantiali conſeruantur, diuina virtute ſuſtentante, vt ait S. Thomas hic qu. 77. art. 1. Cùm autem Deus dicitur ſuſtentare, non eſt exiſtimandum quod concurrat materialiter & ſubiectiuè; id enim nimiæ imperfectionis eſt, quam vt Deo tribui poſſit; ſed ſuſtentat efficienter, quatenus ſupplet per efficientiam id quod de concurſu materiali deſideratur. Nemo etiam putare debet, per hoc aliquam inferri prædictis accidentibus violentiam, cùm omni enti inſita ſit vniuerſalis ad obediendum Creatori obedientia, quæ omni eſt peculiari propenſione antiquior & vehementior.

Cùm ergo accidentia Euchariſtica careant ſubiecto ſubſtantiali, nullique inhæreant ſubſtantiæ, ſequitur illa ſubiectari in quantitate panis & vini, gerente vices ſubſtantiæ, & principij receptiui & ſuſtentatiui vt quod; improbabilis enim videtur ſententia Nominalium exiſtimantium omnia accidentia eſſe ſine ſubiecto, & exiſtere per ſe, hoc namque eſt multiplicare miracula ſine neceſſitate, quia ſuppoſito quod detur quantitati ſubſiſtere per ſe, illa poteſt alijs ſubſtare accidentibus, & gerere vices ſubſtantiæ; præſertim quia illa inter accidentia corporea primum tenet locum, & eſt prima diſpoſitio materiæ, maximèque accedit ad genus cauſæ materialis. In hoc conueniunt ferè omnes Theologi, ſed difficultas eſt & controuerſia inter illos, per quid Deus faciat quantitatem per ſe ſub-

ſiſtere, & alijs ſubſtare accidentibus, an immediatè per ſeipſam, & per ſolam manutenentiam ſeu concurſum ſpecialem, quo quantitatem ſine ſubiecto conſeruat; vel per aliquem modum exiſtendi per ſe, ſimilem ei quo ſubſtantia exiſtit per ſe, & independenter à ſubiecto ſuſtentante? Vterque dicendi modus probabilis eſt, ſed ſecundùs videtur probabilior, tum quia, cùm hic modus exiſtendi per ſe, ſuppleat vicem ſubiecti, per illum magis connaturaliter exiſtit quantitas, quam per ſolam manutenentiam Dei extrinſecam, ſeu concurſum illam conſeruantem ſine ſubiecto. Tum etiam, quia, admiſſo tali modo, meliùs intelligitur & explicatur, quomodo quantitas panis & vini, quæ ante conſecrationem erat ſubiectum receptiuum & ſuſtentatiuum ſolùm *quo* cæterorum accidentium, fiat ſubiectum receptiuum & ſuſtentatiuum *quod* Tum denique, quia conueniens. videtur, quod ſicut quantitas poſt conſecrationem gerit vices ſubſtantiæ, ita recipiat modum aliquem per ſe exiſtendi, qui ſit participatio quædam modi quo ſubſtantia per ſe exiſtit, independenter ab omni ſubiecto ſuſtentante. Quamuis enim modus inhæſionis non poſſit communicari ſubſtantiæ, bene tamen modus per ſe exiſtendi accidenti; quia licet repugnet quod ſubſtantia ad ſtatum accidentis deijciatur, nihil tamen vetat, vt accidens diuinitus eleuetur, ad participationem modi exiſtendi ſubſtantiæ. Ex quo intelliges, modum illum per ſe exiſtendi quantitati Euchariſticæ à Deo communicatum, ſubſtantialem eſſe, non verò accidentalem,

vt aliqui exiſtimant. Nec refert ſi dicas, quod modus non poteſt eſſe perfectior ſuo modificato: ſi autem modus iſte eſſet ſubſtantialis, perfectior eſſet ſuo modificato, nimirum quantitate, quæ eſt purum accidens. Ad hoc enim facilè reſpondetur, quod quamuis modus connaturalis rei quam modificat, non poſſit eſſe illa perfectior, bene tamen modus ſuperioris ordinis & ſupernaturalis, cuiuſmodi eſt iſte de quo agimus. Non valet etiam quod aliqui objiciunt, nempe nihil ſubſtantiale remanere in Euchariſtia, peracta conſecratione, ſed accidentia ſola, vt docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. Nam ſacra Synodus ſolùm intendit, nihil remanere poſt conſecrationem de ſubſtantia panis & vini; id eſt neque materiam, neque formam, neque ſubſiſtentiam, vel exiſtentiam; neque aliam ſubſtantiam ei ſuccedere, præter corpus & ſanguinem Chriſti; cum quo non pugnat ſi dicatur, quantitati modum aliquem ſubſtantialem quo per ſe ſubſiſtat, & alijs ſubſtet accidentibus, & diuinitus & ſupernaturaliter aduenire.

CAPVT VII.

Quomodo ex ſpeciebus ſacramentalibus aliquid generari poſſit?

AD ſenſum patet & ipſa experientia conſtat, aliquid ex ſpeciebus ſacramentalibus generari poſſe; videmus enim in ſpecie-

bus conſecratis generari vermes ex humiditate, vel cineres ex illarum combuſtione, aut acetum ex corruptione ſpecierum vini. Sed quomodo horum generatio fiat, difficile explicari poteſt. Quod enim generatur fit ex aliqua materia, è cuius ſinu forma educitur: Sed ſub ſpeciebus ſacramentalibus non eſt alia materia, niſi corporis Chriſti, quod eſt incorruptibile; materia enim panis deſijt per conuerſionem ipſius in corpus Chriſti, vt de fide certum eſt. Ergo videtur impoſſibile aliquid ex ſpeciebus ſacramentalibus generari.

Quidam antiqui Theologi, quos refert D. Thomas hic artic 5. vt ab hac difficultate ſe expedirent, dixerunt quod dum vermes, aut ſimilia in hoc Sacramento generantur, talis generatio non fit ex ſpeciebus ſacramentalibus, ſed ex aere circunſtante. Alij quos ibidem recenſet, affirmarunt, hanc generationem fieri ex ſubſtantia panis & vini redeunte. Sed vtraque hæc ſententia, à veritate prorſus eſt aliena, vt ibidem oſtendit S. Doctor. Prima quidem, quia ex aere non ſolent talia, putà vermes, cinereres, aut acetum generari; & licet non circunſtet aer, ſed ſpecies recludantur in corporibus ſolidis, vt auro, vel argento, ſimilis accidit generatio. Secunda verò, quia cùm ſubſtantia panis & vini ſit conuerſa in corpus & ſanguinem Chriſti, non poteſt redire manentibus ſpeciebus, niſi vel per conuerſionem corporis & ſanguinis Chriſti in ipſam; quæ conuerſio iterata non debet admitti, cùm nullus hactenus eam agnouerit. Vel per reproductionem illius, quæ etiam admittenda non eſt, quia cùm de via ordina-

ria idem numero non reproducatur, multiplicarentur miracula ſine neceſſitate, quod vt monet S. Doctor, in hoc myſterio omnino vitandum eſt.

Non valet etiam quod dicunt Scotus & Vaſquez, nempe vermes aut cineres, qui interdum videntur ex ſpeciebus Euchariſticis produci, à Deo miraculosè creari. Tum quia D. Thomas & alij Theologi communiter docent, illa per generationem & eductionem, non verò per creationem, produci. Tum etiam, quia cùm in illa vermium aut cinerum productione, vera generatio ſaluari poſſit, vt conſtabit ex infra dicendis, non eſt cur ad creationem recurratur, & miracula ſine neceſſitate multiplicentur. Ex quo etiam impugnata manet aliquorum ſententia, qui exiſtimant quod dum vermes in Euchariſtia generantur, quantitas panis miraculosè conuertitur à Deo in totum compoſitum. Talis enim conuerſio non poſſet dici, generatio, cùm forma non educeretur è ſinu materiæ; & præter miraculum ipſius conuerſionis quantitatis panis in totum compoſitum, admittendum eſſet aliud in eo conſiſtens, quod agens naturale poneret omnes diſpoſitiones ad aliquam formam, & tamen eam non introduceret.

Demum licet olim celebris fuerit opinio quorundam Theologorum, exiſtimantium quod quando ex ſpeciebus Euchariſticis generatur aliquid, nulla producitur à Deo materia prima, ex cuius potentia educatur forma ſubſtantialis, ſed quod ipſa quantitas tunc gerat vices materiæ, non ſolùm ad recipiendas diſpoſitiones præuias, ſed etiam ad eductio-

 nem

nem formæ ſubſtantialis compoſiti de nouo geniti, ita vt compoſitum illud conſtet ſolùm quantitate & forma ſubſtantiali. His tamen temporibus communiter hæc ſententia reijcitur ob varia abſurda & inconuenientia quæ ex illa ſequuntur. Si enim id quod generatur ex ſpeciebus ſacramentalibus, nulla conſtaret materia, ſed ſolùm quantitate, vices materiæ gerente, & formam productam ſuſtentante, ſequeretur in primis quod vermes generati ex ſpeciebus ſacramentalibus, non eſſent compoſita neque ſubſtantialia, neque accidentalia, ſed monſtra naturæ, aut ſemiſubſtantiæ, & ſemiaccedentia. Secundò ſequeretur, quod acetum ex ſpeciebus vini corruptis genitum, non eſſet eiuſdem naturæ & ſpeciei, cum alio acero ex vino corrupto genito, ſubindeque quod non poſſet eoſdem ſpecie effectus producere. Tertiò daretur miraculum perpetuum, quantitas enim illa quæ rationem haberet materiæ, eſſet ſine ſubiecto, non ſolùm quandiu duraret Euchariſtia, ſed etiam poſtea, vſque ad finem mundi; ita vt licet infinitæ generationes fierent ſucceſſiuè ex ipſa, ſemper ſine ſubiecto remaneret, & vicem materiæ primæ exerceret; quia non eſt maior ratio de vna generatione, quam de alia. Denique fieri poſſet vt qui nutriretur ſolis ſpeciebus Euchariſticis, ita ſe haberet quod eius anima partim informaret materiam primam, partim ſolam quantitatem, & ſic quod ille non eſſet niſi ſemihomo, & ſemicompoſitum: quod eſt (vt rectè ait Soto) totam Philoſophiam ludibrio exponere.

Nec obſtat quod D. Thomas huic videatur

tur fauere ſententiæ hic art. 5. vbi ſic ait: *In ipſa conſecratione miraculosè datur quantitati dimenſiuæ panis & vini, quod ſit primum ſubiectum ſubſequentium formarum: hoc autem eſt proprium materiæ, & ideo ex conſequenti datur prædictæ quantitati dimenſiuæ omne illud quod ad materiam pertinet, & ideò quidquid poſſet generari ex materia panis, ſi adeſſet, totum poteſt generari ex prædicta quantitate dimenſiua panis & vini, non quidem nouo miraculo, ſed ex vi miraculi priùs facti.* Non obſtat inquam illa S. Doctoris authoritas: reſpondetur enim cum Caietano, Capreolo, & alijs Thomiſtis, mentem D. Thomæ eſſe quantitatem ſpecierum accipere miraculosè in ipſa conſecratione, quod fungi poſſit officio materiæ & eſſe ſubiectum ſubſequentium formarum accidentalium, nempe qualitatum ſpecies conſecratas alterantium, non verò formæ ſubſtantialis compoſiti quod de nouo producitur, ad corruptionem illarum ſpecierum. Vnde cùm addit: *Quidquid poſſet generari ex materia panis ſi adeſſet, totum poteſt generari ex prædicta quantitate dimenſiua*, non ſumit generationem pro eductione & receptione formæ geniti (illa enim non ex quantitate, ſed ex materia à Deo producta educitur, vt ſtatim dicemus) ſed pro alteratione præcedenti, quæ ad talem eductionem & formæ receptionem diſponit, hæc enim alteratio in quantitate vices materiæ gerente recipitur.

Pro reſolutione ergo difficultatis propoſitæ dicendum eſt quod quando ex ſpeciebus Sacramentalibus aliquid generatur, producitur

à Deo materia prima ex cuius potentia educitur forma ſubſtantialis geniti, & in qua recipitur, non verò in ipſa quantitate. Ratio eſt, quia de ratione omnis compoſiti materialis & phyſici eſt conſtare ex materia & forma, nec poteſt dici aliter compoſitum phyſicum: Sed vermis ex ſpeciebus Sacramentalibus genitis, eſt verè compoſitum phyſicum & materiale: Ergo conſtat ex materia & forma, ſubindeque quando generatur ex huiuſmodi ſpeciebus, neceſſariò produci debet à Deo materia prima, ex cuius ſinu forma ſubſtantialis vermis educatur.

Si autem quæras, per quam actionem illa producatur? Reſpondebo probabilius eſſe, illam fieri à Deo, per conuerſionem quantitatis in ipſam, quam ab illo creari. Tum quia magis connaturale videtur, vt illud ſubiectum in quod agens naturale introduxit accidentia, diſponentia ad formam ſubſtantialem, cùm non poſſit recipere ipſam formam ſubſtantialem, conuertatur à Deo in materiam in qua debet recipi talis forma. Tum etiam, quia ex vi prioris miraculi, magis connaturaliter ſequitur, vt ſicut ſubſtantia panis fuit in corpus Chriſti conuerſa, ita quod remanet de ſubſtantia panis, ſcilicet quantitas, conuertatur in materiam, ex qua educenda eſt forma ſubſtantialis. Vnde huic ſententiæ fauet D. Thomas hic artic. 5. in corp. & ad 3. & art. 6 ad 2. vbi docet quod cùm ex ſpeciebus conſecratis, aliquod compoſitum ſubſtantiale generatur, materia producitur in inſtanti generationis, per conuerſionem quantitatis in ipſam.

Nec

Nec valet ſi dicas, ad veram generationem requiri quod ſubiectum formam ex eo educendam præcedat, cùm generatio ſit eſſentialiter mutatio, ſeu tranſitus de priuatione ad formam. Ad hoc enim reſpondetur cum Caietano, non eſſe neceſſe ad veram generationem, quod materia tempore præceſſerit nouæ formæ introductionem, dummodo in quantitate ſui vices gerente eam anteceſſerit; cùm enim de æquipollentibus idem ſit iudicium, ſatis eſt vt quantitas vices & officia materiæ ſupplens, toto tempore inſtans generationis antecedente, ſub nouæ formæ priuatione præceſſerit.

CAPVT VIII.

Forma Sacramenti Euchariſtiæ.

CErtum eſt, formam neceſſariam & eſſentialem conſecrationis panis, in his quatuor verbis, *Hoc eſt corpus meum*, adæquatè conſiſtere, ſubindeque etſi alia antecedentia, vel ſubſequentia non proferantur, panem in corpus Chriſti tranſmutari. Illa enim ſola verba ſunt de eſſentia conſecrationis panis, quæ ſignificant præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus: Sed hanc ſignificant ſola verba prædicta, nam verba illa, *Qui pridie*, nullo modo talem præſentiam ſignificant, vt conſtat, nec iſta pariter *accipite & manducate*, quia ſignificant tantùm vſum & diſtributionem, quæ non eſt de neceſſitate Sacra-

menti, & quæ ſupponit præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus, non verò illam efficit. Nec denique hæc verba, *quod pro vobis tradetur*; quamuis enim illa non addantur, ſignificatur præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis. Vnde ſolus Lucas inter Euangeliſtas, & ſolùs Paulus inter Apoſtolos, hæc verba referunt.

Ex hoc refellitur primò ſententia quorumdam Græcorum exiſtimantium ad tranſmutationem panis in corpus Chriſti, præter verba prædicta, *Hoc eſt corpus meum*, neceſſariò adijciendas eſſe preces quaſdam à SS. Patribus traditas, quæ per inuocationem Spiritus Sancti, vim habent tranſmutandi panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti. Manet inquam confutata hæc ſententia, ſeu potiùs error: Tum quia cùm verba in Sacramentis efficiant quod ſignificant, ſi prædicta verba ſignificent præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, illam efficiunt, ſubindeque ad tranſmutandum panem in corpus Chriſti, aliæ preces neceſſariæ non ſunt. Tum etiam, quia ex perpetua Eccleſiæ traditione, immediatè poſt prolata verba conſecrationis, Sacerdos panem & vinum conſecratum, proponit populo adorandum, non ſolùm in Eccleſia Latina, ſed etiam in Græca, vt referunt, Cardinalis Beſſarion in libro de verbis conſecrationis, & Petrus Arcudius in concordia Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ lib. 4. de Eucariſt. cap. 13. Ergo ſola verba conſecrationis ſufficiunt ad conſecrandum corpus & ſanguinem Chriſti, nec præter illa, vllæ aliæ precationes & benedictiones ad id requiruntur.

Nec

Nec refert ſi dicas in liturgijs Sanctorum Iacobi, Baſilij, & Chryſoſtomi, poſt verba iſta, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei*, Sacerdotem orare, vt panis & vinum fiant corpus & ſanguis Chriſti. Nam vt explicarunt Græci in Florentino, hac de re interrogati, his verbis non petitur, vt fiat ſimpliciter corpus Chriſti, ſed vt fiat nobis, id eſt nobis proficiat, & non venenum ſit culpa noſtra, quod debet eſſe antidotum & cibus ſalutaris, Vel vt ait Cardinalis Beſſarion libro ſupra citato, his verbis Sacerdotes precantur, vt aſtantes myſterijs, per dignam Sacramenti ſumptionem, vnum cum Chriſto corpus efficiantur. Quam interpretationem confirmant orationes illæ, quæ ſtatim poſt conſecrationem Euchariſtiæ, Baſilius & Chryſoſtomus ſubnectunt in hæc verba: *Vt omnes qui de vno pane & de vno calice participamus, coadunemur inuicem in vnius Spiritus Sancti communionem, faciaſque accipere ſanctum corpus tuum, vt inueniamus miſericordiam & gratiam in cœtu omnium ſanctorum.*

Refellitur ſecundò ſententia Scoti & Angeli, qui docent, ad conficiendum Euchariſtiæ Sacramentum, neceſſariò præmittenda eſſe verba illa Canonis: *Qui pridie quam pateretur*, &c. quia niſi illa præmittantur, non ſignificat Sacerdos ſe loqui in perſona Chriſti, ſed in ſua, & conſequenter dum dicit, *Hoc eſt corpus meum*, non corpus Chriſti, ſed ſuum demonſtrat. Quam ſententiam optimè confutat S. Thomas hic qu. 78. artic. 1. ad 4. his verbis: *Quidam dixerunt, hoc Sacramentum perfici non poſſe, prædictis verbis prolatis*, iſtis

 ni-

nimirum (*hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei &c.*) *& alijs prætermiſſis, præcipuè quæ ſunt in canone Miſſæ. Sed hoc patet eſſe falſum, tum ex verbis Ambroſij ſupra inductis, tum etiam quia canon Miſſæ non eſt idem apud omnes, nec ſecundùm omnia tempora, ſed di[illegible]rſa ſunt à di[illegible]erſis appoſita. Vnde dicendum eſt, quod ſi Sacerdos ſola verba prædicta proferret, cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum, quia intentio faceret, vt hæc verba intelligerentur quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiamſi verbis præcedentibus hoc non recitaretur*. Per quod patet ad fundamentum Scoti, etſi enim verba Sacramentalia, ex vi ſermonis præcisè, non referantur ad perſonam Chriſti, bene tamen adiuncta inſtitutione Chriſti, & intentione Sacerdotis. Vt ſi Rex inſtitueret aliqua verba, quæ quoties dicerentur à Prætore, vel à Iudice, repræſentarent perſonam Regis, hoc ipſo quod illa poſtea proferrentur ab illis, cum modo & circumſtantijs à Rege præſcriptis, eius Perſonam repræſentarent, abſque alijs verbis quibus ſignificarent ſe loqui in Perſona Regis.

Grauior controuerſia eſt de forma calicis, an nimirum hæc omnia verba in ea contenta: *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, ſint de eius eſſentia? Plures enim ex noſtris Thomiſtis exiſtimant, hæc ſolùm verba: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ad eſſentiam & conſecrationem calicis pertinere, ſubindeque eà tantùm vinum in ſanguinem Chri-

ſti

ſti tranſmutare ; alia vero eſſe duntaxat de eius integritate, ſicut ſatisfactio eſt pars integralis, non tamen eſſentialis ſacramenti pœnitentiæ, & ſicut in eius forma, hæc verba, *à peccatis tuis*, cenſentur ſubſtantialia, non verò eſſentialia.

Exiſtimo tamen, D. Thomam manifeſtè pro oppoſita ſtare ſententia ; vnde licet ea videatur difficilior, ob argumentum ex varijs liturgijs deſumptum ; in quibus aliqua ex prædictis verbis omittuntur, nihilominus veterum Theologorum, & Thomiſtarum (quibus ſubſcribunt plures ex recentioribus, præſertim eruditus Pater Nicolai in Scholij ad art. 3. huius qu. 78.) veſtigijs inhærens, eam breuiter propugnare conabor. Plura in eius fauorem protuli in Clypeo Theologiæ Thomiſticæ S. Doctoris teſtimonia, hic ſolùm duo referam, quæ clariora & expreſſiora videntur Primum ſumitur ex commentarijs in cap. 11. Epiſtolæ primæ ad Corinth. lect. 6. vbi hæc ſcribit : *Circa iſta verba quibus Eccleſia vtitur in conſecratione ſanguinis, quidam opinantur, quod non omnia ſint de neceſſitate formæ, ſed ſolùm quod dicitur, Hic eſt calix ſanguinis mei, non autem reſiduum quod ſequitur, noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis, effundetur in remiſſionem peccatorum. Sed hoc non videtur conuenienter dici : nam totum illud quod ſequitur eſt quædam determinatio prædicati, vnde & ad eiuſdem locutionis ſententiam ſeu ſignificationem pertinet. Et quia, vt ſæpe dictum eſt, formæ Sacramentorum ſignificando efficiunt, totum pertinet ad vim effectiuam formæ.*

Ex quibus verbis duplex in fauorem noſtræ ſententiæ argumentum deſumi poteſt. Primum eſt: Quod eſt de neceſſitate formæ alicuius Sacramenti, eſt etiam de eſſentia illius, cùm Sacramentum effici & perfici poſſit, ſeclusis illis quæ non ſunt de eius eſſentia, ſed duntaxat de eius integritate, vel quæ ad illud merè accidentaliter ſe habent: At ex D. Thoma iam relato, non ſolùm verba iſta: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſed etiam iſta quæ ſequuntur, *noui & æterni Teſtamenti* &c. ſunt de neceſſitate formæ conſecrationis calicis: Ergo & de illius eſſentia.

Secundum ſic poteſt proponi: Cùm Sacramenta ſint ſigna practica, & efficiant id quod ſignificant, ac ſignificent id quod efficiunt, quidquid pertinet ad vim effectiuam Sacramentorum, ſpectat etiam ad illorum eſſentiam, ſeu ad ſignificationem eſſentialem illorum: Atqui ex D. Thoma, non ſolùm verba iſta, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſed etiam ſequentia, pertinent ad vim effectiuam formæ conſecrationis calicis: Ergo & ad eius eſſentiam.

Poteſt hæc duplex ratio confirmari & illuſtrari exemplo deſumpto ex forma Sacramenmenti pœnitentiæ: quia enim, iuxta communiorem Theologorum ſententiam, illa eſſentialiter & adæquatè conſiſtit in his ſolùm verbis, *Abſoluo te à peccatis tuis*, nec cenſetur eſſe de neceſſitate illius, nec continere vim productiuam gratiæ remiſſiuæ peccatorum, ſed pertinere duntaxat ad eius integritatem, ſeu maiorem illius explicationem; vnde ſi omitterentur à Sacerdote, pœnitens

eſſet

eſſet verè abſolutus, & gratiam remiſſiuam peccatorum reciperet. Pariter ergo, ſi verba iſta formæ conſecrationis calicis, *noui & æterni Teſtamenti* &c. non eſſent de eſſentia, ſed duntaxat de integritate illius, & ad maiorem duntaxat explicationem apponerentur, non poſſent dici eſſe de neceſſitate illius, nec continere vim effectiuam ſanguinis Chriſti: cum ergo S. Thomas oppoſitum doceat verbis ſupra relatis, manifeſtum eſt S. Doctorem pro noſtra ſtare ſententia. Vnde mera eluſio ac illuſio eſt quod ait Author Theologiæ mentis & cordis, quod cùm D. Thomas docet omnia verba prædicta eſſe de neceſſitate formæ, & continere vim productiuam ſanguinis Chriſti, hoc non intelligitur per modum conſtitutiui, ſed per modum maioris explicationis illius. Ea enim quæ in Sacramentis pertinent ſolùm ad maiorem formæ explicationem, nec dicuntur eſſe de neceſſitate illorum, nec continere vim effectiuam gratiæ, vel corporis Chriſti, vt conſtat in exemplo adducto formæ Sacramenti Pœnitentiæ. Vnde D. Thomas aſſignans rationem cur prædicta verba contineant vim productiuam ſanguinis Chriſti, ſic ait: *Quia formæ Sacramentorum ſignificando efficiunt, totum pertinet ad vim effectiuam formæ.* Quibus verbis apertè docet, vim productiuam in formis Sacramentorum, prouenire ex ſignificatione eſſentiali illorum, eo quòd vt ſupra dicebamus, Sacramenta ſint ſigna practica gratiæ, & efficiant id quod ſignificant, ac ſignificent id quod efficiunt.

Alterum S. Doctoris teſtimonium habe-

tur in 4. ſent. diſt. 8. q. 2 art. 2. quæſtiunc. c. 1. vbi relata opinione eorum qui dicunt, hæc ſolùm verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe de forma conſecrationis calicis, vt forma vtriuſque conſecrationis ſit conſimilis, ſubdit paulò poſt: *Alij probabilius dicunt, quod totum quod ſequitur eſt de forma*. Quod verò loquatur de forma eſſentiali, patet ex ſolutione ad 3. quod ſic procedebat: *Proprietates naturaliter conſequuntur ſubſtantiam rei: Sed illud quod conſequitur ſubſtãtiam, non poteſt eſſe factiuum tranſubſtantiationis: Ergo cùm illa verba quæ ſequuntur, deſignent aliquas proprietates ſanguinis, in quem fit tranſubſtantiatio, videtur quod non ſint de forma*. Nam huic Argumento ſic reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod quamuis illa quæ ſequuntur, deſignent aliquas proprietates ſanguinis, inquantum huiuſmodi, ſunt tamen eſſentiales ſanguini, inquantum eſt per paſſionem effuſus; & ideo illa quæ ſequuntur, ſunt eſſentialia ſanguini, prout in hoc Sacramento conſecratur, & ideò oportet quod ſint de ſubſtantia formæ*. Vbi clarè accipit ſubſtantiam pro eſſentia. Vnde ſic licet arguere: Quæ ſunt eſſentialia ſanguini, prout in hoc Sacramento conſecratur, ſunt etiam eſſentialia formæ per quam fit talis conſecratio: Sed ex D. Thoma *verba quæ ſequuntur, ſunt eſſentialia ſanguini prout in hoc Sacramento conſecratur*: Ergo & formæ per quam fit talis conſecratio.

Nec valet quod ait prædictus Recentior, nempe verba illa dici à S. Thoma eſſentialia ſanguini, prout in hoc Sacramento conſecra-

tur,

tur, quia explicant eſſentiam ſanguinis, vt reuera ſeparati, quam verba eſſentialia implicitè tantùm ſignificant. Quæro enim ab illo, an explicatio illa & ſignificatio ſanguinis vt à corpore ſeparati, ſit eſſentialis ſanguini prout in hoc Sacramento conſecratur, vel non? Si ſit eſſentialis, ſequitur quod verba illa, *qui pro vobis & pro multis effundetur*, ſint de eſſentia formæ. Si verò non ſit eſſentialis, falſum eſt quod ait ille Author, verba illa dici à S. Thoma eſſentialia, quia explicant ſeparationem ſanguinis à corpore.

Ratio fundamentalis noſtræ ſententiæ non eſt alia præter eam quam D. Thomas varijs locis inſinuat: Euchariſtia enim non ſolùm eſt inſtituta ad ſignificandum corpus & ſanguinem Chriſti, per modum cibi & potus, ſed inſuper ad explicandam efficaciam paſſionis Chriſti, nobis communicatam cum perpetuitate per modum teſtamenti noui, & eſt vnum ex præcipuis fidei noſtræ myſterijs, tribuitque iis ad vitam æternam, & peccata remittit: Ergo conueniens fuit vt forma eſſentialis illius includeret omnia verba illa quæ tales proprietates & effectus Euchariſtiæ ſignificant. Inſuper Euchariſtia non ſolùm conſtat ex ratione Sacramenti, ſed etiam habet rationem ſacrificij: Sed natura ſacrificij nequit exprimi, ſicut nec reipſa effici, ſine ſanguinis effuſione: Ergo verba illa, *qui pro vobis & pro multis effundetur*, neceſſaria ſunt ad exprimendum adæquatè & perfectè naturam Euchariſtiæ.

Confirmatur & magis illuſtratur hæc ratio, exemplo formæ baptiſmi: Nam quia baptiſ-

mus

mus non ſolùm eſt Sacramentum inſtitutum ad regenerandos fideles, ſed etiam fidei proteſtatio, de eſſentia formæ illius, non ſolùm ſunt verba quæ gratiam regeneratiuam ſignificant, ſed etiam illa quæ Perſonarum Trinitatem, quæ præcipuum eſt fidei noſtræ myſterium, exprimunt. Similiter ergo, cùm Euchariſtia non ſolùm habeat rationem ſacramenti, ſed etiam ſacrificij, non ſolùm ea verba erunt de eſſentia formæ calicis, quæ præſentiam ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus vini ſignificant, quæ pertinet ad rationem ſacramenti, ſed etiam ea quæ exprimunt ſanguinis effuſionem, qua ſignificatur & declaratur natura ſacrificij.

Nec refert ſi dicas cum prædicto Recentiore, rationem ſacrificij ſufficien er exprimi in Euchariſtia, per myſticam & ſacramentalem corporis à ſanguine ſeparationem, quæ fit in hoc Sacramento, per hoc quod ſpecies panis ſeparatim à ſpeciebus vini conſecrantur. Nam in reliquis ſacramentis non ſufficit vt effectus ſacramentalis ſolis rebus exprimatur, ſed inſuper requiritur vt exprimatur verbis, quæ expreſſiùs ſignificant quam res; vt conſtat in baptiſmo, effectus enim illius non ſolùm deſignatur per ablutionem externam, quæ eſt illius materia, ſed etiam per verba formæ, quæ expreſſiùs ſignificant, & ablutionem externam, de ſe indifferentem, vt ad varios effectus ordinetur, determinant ad deſignandam ablutionem internam per gratiam ſanctificantem & regenerantem: Ergo nec ſat erit ad ſacrificium nouæ legis exprimendum, ſola expreſſio rerum, ſed requiritur

tur præterea ſignificatio verborum.

Dices, Hæc verba, *hic eſt ſanguis meus*, non ſolùm ponunt ſanguinem Chriſti myſticè ſeparatum à corpore, ſed etiam ſignificant illum, vt myſticè à corpore ſeparatum: Ergo ſufficienter exprimunt naturam ſacrificij.

Sed contra: Eſto verba exprimentia conuerſionem vini in ſanguinem Chriſti ſignificent illum vt myſticè ſeparatum à corpore, adhuc per hoc non exprimitur ſufficienter natura ſacrificij, quia etiam actio myſticè ſeparans ſanguinem à corpore in altari, eſt de ſe indifferens, vt ſit ſeparatiua per modum cibi & potus tantum, vel etiam per modum ſacrificij: Ergo vt ſit myſticè ſeparatiua hoc ſecundo modo, debet exprimi per ly *effundetur*, cùm in forma calicis nullum aliud ſit verbum, quod myſticam illam ſanguinis à corpore ſeparationem ad rationem ſacrificij determinare poſſit quam iſtud, hoc enim verbum *effundetur*, perfectè exprimit actionem qua victima immolatur.

Obijciunt in primis Aduerſarij: D. Thomas hic artic. 1. ad 4. ſic habet: *Si Sacerdos ſola verba prædicta proferret, cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum*. Vbi per *verba prædicta*, ea intelligit quæ in titulo articuli poſuerat: titulus autem ille ſic habet: *Vtrum hæc ſit forma huius Sacramenti, hoc eſt corpus meum, & hic eſt calix ſanguinis mei?* Ergo cenſet D. Thom. his ſolis verbis, *hic eſt calix ſanguinis mei*, perfici calicis conſecrationem.

Reſpondeo quod quando S. Doctor ait, *ſi Sacerdos ſola verba prædicta proferret, perficeretur*

mus non ſolùm eſt Sacramentum inſtitutum ad regenerandos fideles, ſed etiam fidei proteſtatio, de eſſentia formæ illius, non ſolùm ſunt verba quæ gratiam regeneratiuam ſignificant, ſed etiam illa quæ Perſonarum Trinitatem, quæ præcipuum eſt fidei noſtræ myſterium, exprimunt. Similiter ergo, cùm Euchariſtia non ſolùm habeat rationem ſacramenti, ſed etiam ſacrificij, non ſolùm ea verba erunt de eſſentia formæ calicis, quæ præſentiam ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus vini ſignificant, quæ pertinet ad rationem ſacramenti, ſed etiam ea quæ exprimunt ſanguinis effuſionem, qua ſignificatur & declaratur natura ſacrificij.

Nec refert ſi dicas cum prædicto Recentiore, rationem ſacrificij ſufficienter exprimi in Euchariſtia, per myſticam & ſacramentalem corporis à ſanguine ſeparationem, quæ fit in hoc Sacramento, per hoc quod ſpecies panis ſeparatim à ſpeciebus vini conſecrantur. Nam in reliquis ſacramentis non ſufficit vt effectus ſacramentalis ſolis rebus exprimatur, ſed inſuper requiritur vt exprimatur verbis, quæ expreſſiùs ſignificant quam res; vt conſtat in baptiſmo, effectus enim illius non ſolùm deſignatur per ablutionem externam, quæ eſt illius materia, ſed etiam per verba formæ, quæ expreſſiùs ſignificant, & ablutionem externam, de ſe indifferentem, vt ad varios effectus ordinetur, determinant ad deſignandam ablutionem internam per gratiam ſanctificantem & regenerantem: Ergo nec ſat erit ad ſacrificium nouæ legis exprimendum, ſola expreſſio rerum, ſed requiri-

tur prætereà ſignificatio verborum.

Dices, Hæc verba, *hic eſt ſanguis meus*, non ſolùm ponunt ſanguinem Christi myſticè ſeparatum à corpore, ſed etiam ſignificant illum, vt myſticè à corpore ſeparatum: Ergo ſufficienter exprimunt naturam ſacrificij.

Sed contra: Eſto verba exprimentia conuerſionem vini in ſanguinem Christi ſignificent illum vt myſticè ſeparatum à corpore, adhuc per hoc non exprimitur ſufficienter natura ſacrificij, quia etiam actio myſticè ſeparans ſanguinem à corpore in altari, eſt de ſe indifferens, vt ſit ſeparatiua per modum cibi & potus tantum, vel etiam per modum ſacrificij: Ergo vt ſit myſticè ſeparatiua hoc ſecundo modo, debet exprimi per ly *effundetur*, cùm in forma calicis nullum aliud ſit verbum, quod myſticam illam ſanguinis à corpore ſeparationem ad rationem ſacrificij determinare poſſit quam iſtud, hoc enim verbum *effundetur*, perfectè exprimit actionem qua victima immolatur.

Obijciunt in primis Aduerſarij: D. Thomas hic artic. 1. ad 4. ſic habet: *Si Sacerdos ſola verba prædicta proferret, cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum.* Vbi per *verba prædicta*, ea intelligit quæ in titulo articuli poſuerat: titulus autem ille ſic habet: *Vtrum hæc ſit forma huius Sacramenti, hoc eſt corpus meum, & hic eſt calix ſanguinis mei?* Ergo cenſet D. Thom. his ſolis verbis, *hic eſt calix ſanguinis mei*, perfici calicis conſecrationem.

Reſpondeo quod quando S. Doctor ait, *ſi Sacerdos ſola verba prædicta proferret, perficeretur*

retur hoc Sacramentum, per ly *ſola*, excludis quidem verba præcedentia conſecrationem corporis & ſanguinis, nimirum illa, *qui pridie quam pateretur*, *&c.* non verò ſubſequentia, ſcilicet iſta, *noui & æterni Teſtamenti*, *&c.* Quod autem hæc interpretatio legitima ſit, & ad mentem S. Doctoris, patet primò ex ipſo textu, ait enim: *Si Sacerdos ſola verba prædicta proferret, cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum, quia intentio facit, vt hæc verba intelligerentur; quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiam ſi* VERBIS PRÆCEDENTIBVS *hoc non recitaretur*. Solùm ergo excludit S. Doctor verba præcedentia, non verò ſequentia. Secundò id conſtat ex verbis iſtis argumenti quod ſibi obijcit, *ſi verba alia prætermitterentur, prædicta verba* (nempe hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei) *acciperentur ex perſona Sacerdotis proferentis, in cuius corpus & ſanguinem panis & vinum non conuertuntur.* Quod, vt ſupra vidimus, fuit vnicum fundamentum, quo Scotus & quidam alij antiqui Theologi ducebantur, ad opinandum quod Sacramentum Euchariſtiæ non perficitur, niſi verba illa Canonis, *qui pridie quam pateretur*, à Sacerdote recitentur. Quod fundamentum D. Thomas conuellit verbis iam relatis, dicens, quod *ſi Sacerdos ſola verba prædicta proferret, cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum, quia intentio faceret, vt hæc verba intelligerentur, quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiam ſi verbis præcedentibus* (nimirum iſtis, qui pridie quam pateretur) *hoc non recitaretur.* Non pe-

poteſt ergo in dubium reuocari, D. Thom. ibi ſolùm excludere verba præcedentia, non verò ſubſequentia. Nec refert quod in quarto illo argumento quod ſibi obijcit dicatur, *Videtur quod aliquando poſſit hoc Sacramento perfici, hic ſolis verbis prolatis, & alijs omnibus prætermiſſis quæ in Miſſa dicuntur*. Nam verba quæ ſtatim ſubiungit, & quæ ſupra retulimus, manifeſtè oſtendunt, iſta eſſe limitanda ad verba omnia, quæ in Miſſa dicuntur ante conſecrationem, cùm ſolùm de illis quæſtio ſit, an requirantur, vt Sacerdos proferat verba conſecrationis in perſona Chriſti, & nemo hactenus dixerit, verba quæ poſt conſecrationem proferuntur, ad id eſſe neceſſaria.

Obijciunt ſecundò: Illa ſolùm verba ſunt de eſſentia formæ calicis, quæ ſignificant conuerſionem vini in ſanguinem; ſicut ea tantùm ſunt eſſentialia formæ conſecrationis corporis, quæ conuerſionem panis in corpus Chriſti deſignant: Sed hæc verba: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, etiam ab alijs præciſa, æquè ſignificant conuerſionem vini in ſanguinem, ac iſta, *Hoc eſt corpus meum*, conuerſionem panis in corpus Chriſti, vt docet S. Thomas hic art. 3 in corp. vbi ait: *Cùm dicitur, Hic eſt calix ſanguinis mei, ſignificatur ipſa conuerſio vini in ſanguinem, eo modo quo dictum eſt in forma conſecrationis panis*. Ergo ſolùm verba iſta ſunt de eſſentia formæ calicis, ſequentia verò pertinent duntaxat ad integritatem illius. Vnde idem S. Doctor ibidem ait ea *pertinere ad integritatem eiuſdem locutionis*.

Reſpondeo diſtinguendo Maiorem: Illa ſolùm verba ſunt de eſſentia formæ calicis, quæ ſignificant conuerſionem vini in ſanguinem, abſolutè, nego. In ſanguinem, vt effuſum pro nobis in remiſſionem peccatorum, & cum alijs circunſtantijs & proprietatibus ſupra explicatis, concedo Maiorem. Solutio patet ex ſupradictis, cùm enim Euchariſtia non ſolùm habeat rationem ſacramenti, ſed etiam ſacrificij, de cuius ratione eſt immolatio victimæ, & ſanguinis effuſio, ad eſſentiam formæ calicis non ſufficiunt verba quæ ſignificant conuerſionem vini in ſanguinem, ſed etiam requiruntur alia quæ eius effuſionem deſignant. Vnde quando S. Thomas ait, per hæc verba, *hic eſt calix ſanguinis mei*, conuerſionem vini ſignificari, materialiter tantùm & grammaticè ſubintelligi debet, quia hoc verba præ ſe ferunt, quamuis omnia quæ ſequuntur ſupponat ad formalem ſignificationem ex inſtituto Chriſti pertinere. Vnde loco ſupra citato in 1. ad Corinth. ſic ait: *Quia formæ Sacramentorum ſignificando efficiunt, totum pertinet ad vim effectiuam*. Vbi apertè docet, omnia verba quæ in conſecratione calicis proferuntur, ad ſignificationem, ſubindeque ad vim effectiuam formæ pertinere. Sicut ergo in forma baptiſmi, licet hæc ſola verba, *Ego te Batpizo*, materialiter & grammaticè effectum huius Sacramenti ſignificent, ea tamen quæ ſequuntur, ad formalem ſignificationem ex inſtituto Chriſti pertinent, ita vt de eſſentia formæ baptiſmi ſit quod addatur, *In nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti*; Quia nimirum baptiſmus, non ſolùm ha-

habet rationem Sacramenti, gratiam regeneratiuam conferentis, ſed etiam eſt fidei proteſtatio. Ita pariter, quia Euchariſtia eſt vnum ex præcipuis fidei noſtræ myſterijs, habetque non ſolùm rationem Sacramenti, ſed etiam teſtamenti, & ſacrificij, tribuitque ius ad vitam æternam, & peccata remittit: non ſolùm verba iſta, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſed etiam quæ ſequuntur, ad formalem ſignificationem formæ calicis, ſiibindeque ad vim effectiuam ſanguinis, ex inſtituto Chriſti pertinent.

Nec obſtat quod S. Thomas dicat, verba quæ ſequuntur pertinere ad integritatem locutionis; hoc enim non excludit, quin pertineant ad formæ eſſentiam; ex verbis enim quæ ad integritatem locutionis pertinent, poteſt eſſentialiter componi locutio, vt conſtat ex verbis prioribus, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, quæ ad eſſentiam formæ calicis pertinere Anuerſarij fatentur, & tamen vnicam locutionem integrant & componunt vna cum ſubſequentibus, quia vt ait S. Thomas hic artic. 4. ad 3. *Ex ipſis verbis exteriùs prolatis fit quædam compoſitio*. In hoc ergo hallucinantur quidam Recentiores, quod non aduertunt D. Thomam nunquam dixiſſe, verba ſubſequentia pertinere ad integritatem formæ, ſed duntaxat ad integritatem eiuſdem locutionis, quod non excludit quin pertineant ad eſſentiam formæ. Sicut in forma baptiſmi, verba iſta, *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, pertinent ad integritatem eiuſdem locutionis, quia vna cum præcedentibus eandem locutionem integrant & componunt;

nunt; quod tamen non obſtat, quin ſint de eſſentia formæ. Idem cum proportione dicendum eſt in propoſito, præſertim cùm non ita intrinſecè & per ſe gratia regeneratiua includat proteſtationem fidei ſanctiſſimæ Trinitatis, ſicut ſanguinis conſecratio à corpore Sacramentaliter ſeparati, naturam perfecti ſacrificij.

Obijciunt tertiò: In varijs liturgijs authenticis, & à Romana Sede probatis, non habentur omnia iſta verba: *Noui, & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*: Sed vel penitus omittuntur, vel non omnia, ſed quædam in alijs, quædam in alteris referuntur: illa verò, *Hic eſt ſanguis meus*, in omnibus conſtanter & vniformiter habentur: Ergo iſta ſolùm verba ſunt de eſſentia formæ calicis, non verò alia quæ ſubſequuntur.

Reſpondeo primò, quod ſi hoc argumentum valeret, probaret verba ſubſequentia, nedum non eſſe de eſſentia formæ calicis, ſed nec etiam de eius ſubſtantia & integritate, ſed merè accidentalia, vt opinantur communiter Recentiores, ducti potiſſimùm argumento illo ex prædictis liturgijs deſumpto. Nam incredibile eſt, Apoſtolos, & SS. Patres, qui liturgias illas ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu ediderunt, formam calicis ſubſtantialiter integrantem non attuliſſe, ſed mancam ac mutilam, pluraque verba ad eius ſubſtantiam & integritatem requiſita, voluiſſe prætermittere, & Apoſtolicam Sedem eas nihilominus approbaſſe.

Reſpondeo ſecundò, in omnibus liturgijs approbatis, hæc verba, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, reperiri. Nam in liturgia S. Iacobi ſic habetur: *Hic eſt ſanguinis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum*: In liturgia S. Marci: *Hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remiſſionem peccatorũ*. In liturgia S. Baſilij: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis & multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. In liturgia S. Chryſoſtomi: *Hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis & plurimis effundetur in remiſſionem peccatorum*. In liturgia Æthiopum, cuius author creditur eſſe D. Matthæus: *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum*. Demum idem habetur in liturgia Mozarabum, in qua forma calicis eadem eſt ac ea quam vtitur Eccleſia Romana. Liturgia verò S. Petri, in qua pro calicis forma, hæc verba tantùm habentur, *Hic eſt ſanguis meus*, non creditur eſſe authentica, quia dicitur tantùm edita, ſludio Guilielmi Lindani, Epiſcopi, Gandauenſis, nec vllus antiquus de ea mentionem facit: maximè quia in illa pro forma corporis ponuntur hæc verba, *quod pro vobis frangitur*, quibus veroſimile non eſt vſum fuiſſe D. Petrum; alioquin alij Summi Pontifices, eius ſucceſſores, vt ei ſe conformarent, illa pariter forma vſi eſſent. Si ergo valeat hoc argumentum ex liturgijs antiquis deſumptum, ſequitur non ſolùm verba illa, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſed etiam

iſta, *qui pro vobis & pro multis effudetur*, eſſe de eſſentia formæ calicis, cùm tam bene iſta quam alia, in omnibus liturgijs authenticis & probatis, conſtanter & vniformiter habeantur.

Reſpondeo tertiò, non maiorem eſſe huius argumenti difficultatem, ea quæ de forma Sacramenti Confirmationis, & de materia ac forma Sacramenti Ordinis proponi ſolet. Nam Græci in collatione Sacramenti Confirmationis, hac forma vtuntur: *Signaculum donationis Spiritus Sancti*, quæ eſt omnino diuerſa ab ea qua Eccleſia Romana vtitur. Item in Eccleſia Græca Sacerdotes non ordinantur, ſicut in Eccleſia Latina, per calicis & patenæ, porrectionem, neque per huius formæ prolationem, *Accipe poteſtatem*, &c. Sed per ſolam manuum impoſitionem, adiunctis verbis iſtis: *Diuina gratia, quæ ſemper infirma curat, & quæ de ſunt ſupples, promouet N. Venerabilem Diaconum in Præsbyterum &c.* Et tamen Florentinum in decreto Eugenij definit, Presbyteratum tradi per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, & per hæc verba, quæ tenent locum formæ: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro viuis & defunctis*. Sicut ergo plures celebres Theologi, vt ab hac difficultate ſe expediant, & ſaluent quomodo in Eccleſia Græca, ritè Sacramenta Confirmationis & Ordinis conferantur, non obſtante quod Græci vtantur materia vel forma ſpecie diuerſa ab ea quam Eccleſia Latina adhibet, reſpondent, Chriſmum formam Sacramenti Confirmationis, & materiam ac formam Sacramen-

ti

ti Ordinis, non determinaſſe in ſpecie, ſed ſolùm in genere, & eam determinandam quantùm ad ſpeciem, ſuæ Eccleſiæ reliquiſſe; ideoque illam, iuxta diuerſam Eccleſiæ Latinæ & Græcæ traditionem, variè deſignari. Ita ſimiliter dico, Chriſtum formam ſpecificam calicis non determinaſſe, ſed eius determinationem Eccleſiæ ſuæ reliquiſſe: ex quo factum eſt, quod iuxta diuerſas traditiones, variæ editæ ſint liturgiæ, in quibus talis forma diuerſimodè traditur, & verba aliqua quæ in vna habentur, mutantur, vel omittuntur in altera.

Hanc reſponſionem explodit Author Theologiæ mentis & cordis, aitque doctrinam illam de variatione formarum vel materiarum in Eccleſia Latina & Græca, ad præſentem quæſtionem impertinentem eſſe. Quia inquit, ſi Græci vterentur in conſecratione calicis forma ſpecificè & eſſentialiter diuerſa, ab ea qua Eccleſia Romana vtitur, hunc errorem & hanc formæ mutilationem, & tot verborum eſſentialium ſuppreſſionem, Eccleſia Romana ferre nec poſſet nec deberet, cùm illa nullam habeat poteſtatem immutandi ea quæ ſpectant ad eſſentiam Sacramentorum.

Verùm iſte Auctor non aduertit, hanc inſtantiam non minùs contra ſuam quam contra noſtram militare ſententiam: licet enim ille non exiſtimet, prædicta verba: *Noui & æterni Teſtamenti, myſterium fidei*, &c. ad eſſentiam formæ calicis pertinere, cenſet tamen illa eſſe de eius ſubſtantia & integritate: At Eccleſia nec poteſt nec debet approbare ea quæ ſunt contra ſubſtantiam & inte-

gritatem Sacramentorum, nec formas mancas ac mutilas tolerare, cùm nullam habeat poteſtatem ſuper ea quæ ſpectant ad ſubſtantiam & integritatem Sacramentorum, vt docet Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. Vnde (vt ſupra oſtendimus) non poteſt diſpenſare, vt Sacramentum Euchariſtiæ conſecretur in vna tantùm ſpecie, quia conſecratio vtriuſque ſpeciei, ad huius Sacramenti, quod per modum conuiuij inſtitutum eſt, integritatem pertinet. Hoc præmiſſo.

Ad inſtantiam reſpondeo, Eccleſiam Romanam prudenter tolerare ritum Eccleſiæ Græcæ, conſecrantis calicem, his ſolùm quatuor verbis, *Hic eſt calix ſanguinis mei*; quia Chriſtus noluit determinare formam ſpecificam conſecrationis calicis, ſicut non determinauit in ſpecie, ſed tantùm in genere, formam Sacramenti confirmationis, & materiam ac formam Sacramenti ordinis; vnde ſicut Eccleſia Romana prudenter ſuffert ritum Græcorum in collatione Sacramenti confirmationis & ordinis, omnino diuerſum quantùm ad materiam, vel formam, à ritu Romanæ Eccleſiæ: Ita ſapienter tolerat illorum ritum in conſecratione calicis, quamuis diuerſus ſit à ritu Eccleſiæ Latinæ.

CA-

CAPVT IX.

Effectus Sacramenti Euchariſtiæ.

PRoprius ac principalis huius Sacramenti effectus eſt conferre gratiam per modum nutritionis & augmenti in vita ſpirituali: quia per modum cibi & potus ſpiritualis inſtitutum eſt, iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus:* Ergo ſicut cibus materialis corpus nutrit & auget, ita Euchariſtia animam, quod aliter præſtare nequit, quam tribuendo gratiam per modum nutritionis & augmenti in vita ſpirituali. In quo differt à Sacramento confirmationis, quod gratiam athleticam & roborantem largitur ad reſiſtendum hoſtibus fidei. Cuius differentiæ ſignum eſt, quod confirmatus in fronte perungitur, & Euchariſtia per modum cibi ſuſcepta, cor vſque peruadit. *Principium fortitudinis eſt in corde* (inquit S. Doctor quæſt. 72. art. 9. ad 2.) *ſed ſignum apparet in fronte, vnde dicitur Ezechiel. 3. Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum. Et ideo Sacramentum Euchariſtiæ, quo homo in ſeipſo confirmatur, pertinet ad cor, ſecundum illud Pſal. 103. Panis cor hominis confirmet. Sed ad Sacramentum confirmationis requiritur ſignum fortitudinis ad alios, & ideò exhibetur in fronte.*

Secundus effectus huic Sacramento maximè proprius, eſt quædam lætitia, dulcedo, & ſuauitas ſpiritualis, qua animæ puræ in eius receptione perfunduntur, & veluti ine-

briantur, vt declarat D. Thomas hic quæſt. 79. artic. 1. ad 2. his verbis: *Ex virtute huius Sacramenti anima ſpiritualiter reficitur, per hoc quod anima ſpiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis diuinæ, ſecundùm illud Cantic. 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi*: In huius mirabilis effectus commendationem dicitur Iſaiæ 25. *Faciet Dominus exercituum in monte hoc* (ſcilicet Eccleſiæ) *conuiuium pinguium, & conuiuium vindemiæ; conuiuiũ pinguium medullatorum, & vindemiæ defecatæ*: Quia nimirum hic nobis exhibentur deliciæ puræ, quæ nihil habent admixtum amaritudinis; eò quòd in hoc Sacramento dulcedo in proprio fonte deguſtetur, vt ait S. Thomas opuſcul. 58. Vnde Cyprianus de Cœna Domini: *Mira ſunt quæ ſentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur, quem agnus iſte Paſchalis inhabitat, cuius animam meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili inhabitat. Panis iſte Angelorum, omnia carnalium ſaporum irritamenta, & omnium exuperat dulcedinem voluptatem.*

Nec obſtat quod perſepè plures non ſentiant miram huius cœleſtis cibi ſuauitatem: habent enim palatum cordis noxijs humoribus, & terrenorum delectationibus infectum. *Errat omnino* (inquit Bernardus ſerm. 6. de Aſcenſione) *Si quis cæleſtem illam dulcedinem huic cineri, diuinum illud balſamum huic veneno, chariſmata illa Spiritus miſceri poſſe huiuſmodi illecebris arbitratur.* Addo cum Caietano hic quæſt. 79. artic. 1. quod quamuis augmentum gratiæ, & dulcedo ſpiritualis,

ſint huius Sacramenti effectus, non habent tamen neceſſariam connexionem, ſed poſſunt ab inuicem ſeparari. Nam in Chriſto ſecundus effectus fuit ſine primo, vt docet D. Thomas hic quæſt. 81. artic. 1. ad 3. vbi ait quod quamuis in Chriſto gratia non fuerit augmentata ex ſuſceptione huius Sacramenti, habuit tamen ſpiritualem delectationem. E contra verò (inquit Caietanus) augmentum habitualis gratiæ ex hoc Sacramento, in valdè multis credimus contingere, qui dignè ad hoc Sacramentum & deuotè accedunt, & tamen expertes ſunt ſpiritualis dulcedinis, ita vt ipſorum vox ad Patrem cœleſtem ſit: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer*. Et tamen filius erat, qui verè dicere potuit: *Nunquam mandatum tuum præteriui*, Lucæ 15. Sicut ergo Sacramentum extremæ-unctionis, non ſemper cauſat ſanitatem corporis, ſed ſolùm cùm expedit ad ſalutem animæ, & non eſt impedimentum ex parte recipientis; ita nec Euchariſtia ſemper cauſat delectationem & feruorem ſpiritualem (præſertim ſenſibilem, & redundantem in inferiores potentias) ſed ſolùm prout expedit ad augmentum gratiæ & virtutum; vel cùm ex indiſpoſitione ſubiecti, ei non ponitur impedimentum; vt contingit in illis, qui cum diſtractione, & abſque attentione & deuotione actuali, ad hoc Sacramentum accedunt.

Tertius huius Sacramenti effectus eſt tollere peccata venialia, & à mortalibus præſeruare, vt docet Tridentinum ſeſſ 13. cap. 2. dicens, *hoc Sacramentum eſſe antidotum, quo libe-*

nunt; quod tamen non obſtat, quin ſint de eſſentia formæ. Idem cum proportione dicendum eſt in propoſito, præſertim cùm non ita intrinſecè & per ſe gratia regeneratiua includat proteſtationem fidei ſanctiſſimæ Trinitatis, ſicut ſanguinis conſecratio à corpore Sacramentaliter ſeparati, naturam perfecti ſacrificij.

Obijciunt tertiò: In varijs liturgijs authenticis, & à Romana Sede probatis, non habentur omnia iſta verba: *Noui, & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*: Sed vel penitus omittuntur, vel non omnia, ſed quædam in alijs, quædam in alteris referuntur: illa verò, *Hic eſt ſanguis meus*, in omnibus conſtanter & vniformiter habentur: Ergo iſta ſolùm verba ſunt de eſſentia formæ calicis, non verò alia quæ ſubſequuntur.

Reſpondeo primò, quod ſi hoc argumentum valeret, probaret verba ſubſequentia, nedum non eſſe de eſſentia formæ calicis, ſed nec etiam de eius ſubſtantia & integritate, ſed merè accidentalia, vt opinantur communiter Recentiores, ducti potiſſimùm argumento illo ex prædictis liturgijs deſumpto. Nam incredibile eſt, Apoſtolos, & SS. Patres, qui liturgias illas ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu ediderunt, formam calicis ſubſtantialiter integrantem non attuliſſe, ſed mancam ac mutilam, pluraque verba ad eius ſubſtantiam & integritatem requiſita, voluiſſe prætermittere, & Apoſtolicam Sedem eas nihilominus approbaſſe.

Re-

Reſpondeo ſecundò, in omnibus liturgijs approbatis, hæc verba, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, reperiri. Nam in liturgia S. Iacobi ſic habetur: *Hic eſt ſanguinis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum*: In liturgia S. Marci: *Hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remiſſionem peccatorũ*. In liturgia S. Baſilij: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis & multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. In liturgia S. Chryſoſtomi: *Hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis & plurimis effundetur in remiſſionem peccatorum*. In liturgia Æthiopum, cuius author creditur eſſe D. Matthæus: *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum*. Demum idem habetur in liturgia Mozarabum, in qua forma calicis eadem eſt ac ea quam vtitur Eccleſia Romana. Liturgia verò S. Petri, in qua pro calicis forma, hæc verba tantùm habentur, *Hic eſt ſanguis meus*, non creditur eſſe authentica, quia dicitur tantùm edita, ſtudio Guilielmi Lindani, Epiſcopi, Gandauenſis, nec vllus antiquus de ea mentionem facit: maximè quia in illa pro forma corporis ponuntur hæc verba, *quod pro vobis frangitur*, quibus veroſimile non eſt vſum fuiſſe D. Petrum; alioquin alij Summi Pontifices, eius ſucceſſores, vt ei ſe conformarent, illa pariter forma vſi eſſent. Si ergo valeat hoc argumentum ex liturgijs antiquis deſumptum, ſequitur non ſolùm verba illa, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſed etiam

iſta,

iſta, *qui pro vobis & pro multis effudetur*, eſſe de eſſentia formæ calicis, cùm tam bene iſta quam alia, in omnibus liturgijs authenticis & probatis, conſtanter & vniformiter habeantur.

Reſpondeo tertiò, non maiorem eſſe huius argumenti difficultatem, ea quæ de forma Sacramenti Confirmationis, & de materia ac forma Sacramenti Ordinis proponi ſolet. Nam Græci in collatione Sacramenti Confirmationis, hac forma vtuntur: *Signaculum donationis Spiritus Sancti*, quæ eſt omnino diuerſa ab ea qua Eccleſia Romana vtitur. Item in Eccleſia Græca Sacerdotes non ordinantur, ſicut in Eccleſia Latina, per calicis & patenæ, porrectionem, neque per huius formæ prolationem, *Accipe poteſtatem*, &c. Sed per ſolam manuum impoſitionem, adiunctis verbis iſtis: *Diuina gratia, quæ ſemper infirma curat, & quæ de ſunt ſupplet, promouet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum &c.* Et tamen Florentinum in decreto Eugenij definit, Presbyteratum tradi per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, & per hæc verba, quæ tenent locum formæ: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro viuis & defunctis*. Sicut ergo plures celebres Theologi, vt ab hac difficultate ſe expediant, & ſaluent quomodo in Eccleſia Græca, ritè Sacramenta Confirmationis & Ordinis conferantur, non obſtante quod Græci vtantur materia vel forma ſpecie diuerſa ab ea quam Eccleſia Latina adhibet, reſpondent, Christum formam Sacramenti Confirmationis, & materiam ac formam Sacramenti

ti

ti Ordinis, non determinaſſe in ſpecie, ſed ſolùm in genere, & eam determinandam quantùm ad ſpeciem, ſuæ Eccleſiæ reliquiſſe; ideoque illam, iuxta diuerſam Eccleſiæ Latinæ & Græcæ traditionem, variè deſignari. Ita ſimiliter dico, Chriſtum formam ſpecificam calicis non determinaſſe, ſed eius determinationem Eccleſiæ ſuæ reliquiſſe: ex quo factum eſt, quod iuxta diuerſas traditiones, variæ editæ ſint liturgiæ, in quibus talis forma diuerſimodè traditur, & verba aliqua quæ in vna habentur, mutantur, vel omittuntur in altera.

Hanc reſponſionem explodit Author Theologiæ mentis & cordis, aitque doctrinam illam de variatione formarum vel materiarum in Eccleſia Latina & Græca, ad præſentem quæſtionem impertinentem eſſe. Quia inquit, ſi Græci vterentur in conſecratione calicis forma ſpecificè & eſſentialiter diuerſa, ab ea qua Eccleſia Romana vtitur, hunc errorem & hanc formæ mutilationem, & tot verborum eſſentialium ſuppreſſionem, Eccleſia Romana ferre nec poſſet nec deberet, cùm illa nullam habeat poteſtatem immutandi ea quæ ſpectant ad eſſentiam Sacramentorum.

Verùm ille Auctor non aduertit, hanc inſtantiam non minùs contra ſuam quam contra noſtram militare ſententiam: licet enim ille non exiſtimet, prædicta verba: *Noui & æterni Teſtamenti, myſterium fidei*, &c. ad eſſentiam formæ calicis pertinere, cenſet tamen illa eſſe de eius ſubſtantia & integritate: At Eccleſia nec poteſt nec debet approbare ea quæ ſunt contra ſubſtantiam & inte-

gritatem Sacramentorum, nec formas mancas ac mutilas tolerare, cùm nullam habeat poteſtatem ſuper ea quæ ſpectant ad ſubſtantiam & integritatem Sacramentorum, vt docet Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. Vnde (vt ſupra oſtendimus) non poteſt diſpenſare, vt Sacramentum Euchariſtiæ conſecretur in vna tantùm ſpecie, quia conſecratio vtriuſque ſpeciei, ad huius Sacramenti, quod per modum conuiuij inſtitutum eſt, integritatem pertinet. Hoc præmiſſo.

Ad inſtantiam reſpondeo, Eccleſiam Romanam prudenter tolerare ritum Eccleſiæ Græcæ, conſecrantis calicem, his ſolùm quatuor verbis, *Hic eſt calix ſanguinis mei*; quia Chriſtus noluit determinare formam ſpecificam conſecrationis calicis, ſicut non determinauit in ſpecie, ſed tantùm in genere, formam Sacramenti confirmationis, & materiam ac formam Sacramenti ordinis; vnde ſicut Eccleſia Romana prudenter ſuffert ritum Græcorum in collatione Sacramenti confirmationis & ordinis, omnino diuerſum quantùm ad materiam, vel formam, à ritu Romanæ Eccleſiæ: Ita ſapienter tolerat illorum ritum in conſecratione calicis, quamuis diuerſus ſit à ritu Eccleſiæ Latinæ.

CA-

CAPVT IX.

Effectus Sacramenti Euchariſtiæ.

PRoprius ac principalis huius Sacramenti effectus eſt conferre gratiam per modum nutritionis & augmenti in vita ſpirituali: quia per modum cibi & potus ſpiritualis inſtitutum eſt, iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*: Ergo ſicut cibus materialis corpus nutrit & auget, ita Euchariſtia animam, quod aliter præſtare nequit, quam tribuendo gratiam per modum nutritionis & augmenti in vita ſpirituali. In quo differt à Sacramento confirmationis, quod gratiam athleticam & roborantem largitur ad reſiſtendum hoſtibus fidei. Cuius differentiæ ſignum eſt, quod confirmatus in fronte perungitur, & Euchariſtia per modum cibi ſuſcepta, cor vſque peruadit. *Principium fortitudinis eſt in corde* (inquit S. Doctor quæſt. 72. art. 9. ad 2.) *ſed ſignum apparet in fronte, vnde dicitur Ezechiel. 3. Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum. Et ideo Sacramentum Euchariſtiæ, quo homo in ſe ipſo confirmatur, pertinet ad cor, ſecundùm illud Pſal. 103. Panis cor hominis confirmet. Sed ad Sacramentum confirmationis requiritur ſignum fortitudinis ad alios, & ideò exhibetur in fronte.*

Secundus effectus huic Sacramento maximè proprius, eſt quædam lætitia, dulcedo, & ſuauitas ſpiritualis, qua animæ puræ in eius receptione perfunduntur & veluti ine-

O 2 brian-

briantur, vt declarat D. Thomas hic quæſt. 79. artic. 1. ad 2. his verbis: *Ex virtute huius Sacramenti anima ſpiritualiter reficitur, per hoc quod anima ſpiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis diuinæ, ſecundùm illud Cantic. 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi*: In huius mirabilis effectus commendationem dicitur Iſaiæ 25. *Faciet Dominus exercituum in monte hoc* (ſcilicet Eccleſiæ) *conuiuium pinguium, & conuiuium vindemiæ; conuiuiū pinguium medullatorum, & vindemiæ defecatæ*: Quia nimirum hic nobis exhibentur deliciæ puræ, quæ nihil habent admixtum amaritudinis; eò quòd in hoc Sacramento dulcedo in proprio fonte deguſtetur, vt ait S. Thomas opuſcul. 58. Vnde Cyprianus de Cœna Domini: *Mira ſunt quæ ſentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur, quem agnus iſte Paſchalis inhabitat, cuius animam meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili inhabitat. Panis iſte Angelorum, omnia carnalium ſaporum irritamenta, & omnium exuperat dulcedinem voluptatem.*

Nec obſtat quod perſepè plures non ſentiant miram huius cœleſtis cibi ſuauitatem: habent enim palatum cordis noxijs humoribus, & terrenorum delectationibus infectum. *Errat omnino* (inquit Bernardus ſerm. 6. de Aſcenſione) *Si quis cæleſtem illam ducedinem huic cineri, diuinum illud balſamum huic veneno, chariſmata illa Spiritus miſceri poſſe huiuſmodi illecebris arbitratur.* Addo cum Caietano hic quæſt. 79. artic. 1. quod quamuis augmentum gratiæ, & dulcedo ſpiritualis, ſint

ſint huius Sacramenti effectus, non habent tamen neceſſariam connexionem, ſed poſſunt ab inuicem ſeparari. Nam in Chriſto ſecundus effectus fuit ſine primo, vt docet D. Thomas hic quæſt. 81. artic. 1. ad 3. vbi ait quod quamuis in Chriſto gratia non fuerit augmentata ex ſuſceptione huius Sacramenti, habuit tamen ſpiritualem delectationem. E contra verò (inquit Caietanus) augmentum habitualis gratiæ ex hoc Sacramento, in valdè multis credimus contingere, qui dignè ad hoc Sacramentum & deuotè accedunt, & tamen exp rtes ſunt ſpiritualis dulcedinis, ita vt ipſorum vox ad Patrem cœleſtem ſit: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer*. Et tamen filius erat, qui verè dicere pôtuit: *Nunquam mandatum tuum præteriui*, Lucæ 15. Sicut ergo Sacramentum extremæ-unctionis, non ſemper cauſat ſanitatem corporis, ſed ſolùm cùm expedit ad ſalutem animæ, & non eſt impedimentum ex parte recipientis; ita nec Euchariſtia ſemper cauſat delectationem & feruorem ſpiritualem (præſertim ſenſibilem, & redundantem in inferiores potentias) ſed ſolùm prout expedit ad augmentum gratiæ & virtutum; vel cùm ex indiſpoſitione ſubiecti, ei non ponitur impedimentum; vt contingit in illis, qui cum diſtractione, & abſque attentione & deuotione actuali, ad hoc Sacramentum accedunt.

Tertius huius Sacramenti effectus eſt tollere peccata venialia, & à mortalibus præſeruare, vt docet Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. dicens, *hoc Sacramentum eſſe antidotum, quo*

liberamur à peccatis quotidianis , & à peccatis mortalibus præſeruamur .

Quod tollat peccata venialia, ex duplici capite prouenit , vt docet S. Thomas hic qu. 79. artic. 4. Primò ex ipſa ratione gratiæ cibantis quam cauſat ; nam ſicut proprium eſt alimenti corporei reſtaurare quod per calorem naturalem quotidie detrahitur ac deperit ; ita proprium eſt huius cibi ſpiritualis reſtituere ac reſtaurare quod per peccata venial a quotidie perditur de feruore & calore charitatis. Vnde Ambroſius lib. 5 de Sacrament. cap. 4. *Iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis*. Secundò habet tollere peccata venialia mediatè , quatenus excitat feruorem charitatis , quo remittuntur venialia , quæ non ipſi habitui , ſed exercitio ſeu feruori charitatis opponuntur.

Quod verò à mortalibus præſeruet , etiam contingit dupliciter, vt docet idem S. Doctor artic. 6. ſicut enim duobus modis contingit corpus à morte præſeruari ; primò inquantum natura hominis interiùs roboratur contra corruptiua, & ſic præſeruatur à morte per cibum & medicinam ; ſecundò per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes , & ſic præſeruatur per arma quibus munitur corpus : ita & hoc Sacramentum duplici illo modo præſeruat animam à morte ſpirituali peccati ; primò quidem , quia interiùs roborat ipſam , tanquam ſpiritualis cibus & medicina ; ſecundò , quia repellit omnem dæmonum impugnationem , inquantum eſt memoriale paſſionis Chriſti , qua victi ſunt dæmones. Vnde Chryſoſtomus homil. 35. in

Ioan.

Ioan. Fideles hoc Sacramento refectos, leonibus flammam ſpirantibus comparat, eoſque Diabolo terribiles effectos eſſe pronunciat. Subditque paulò poſt, quod *hic myſticus ſanguis dæmones procul pellit, cùm enim dominicum ſanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, &c.*

Quartò Euchariſtia, & quatenus ſacrificium, & quatenus Sacramentum eſt, remittit pœnam debitam peccatis, ſi non ex toto, ſaltem ex parte. Qua ſacrificium quidem, per ſe & directè, nam ſub hac ratione habet vim ſatisfaciendi & placandi Deum, ac reddendi illum nobis propitium, vt patebit infra, cùm de Miſſæ ſacrificio. Qua Sacramentum verò, ex conſequenti & concomitanter; tum quia, vt ſupra viſum eſt, hoc Sacramentum habet vim remittendi peccata venialia, & aliquando, per accidens tamen, mortalia, vt in tractatu de Sacramentis in communi oſtendimus: At peccatum nunquam remittitur quoad culpam, ſine aliqua remiſſione pœnæ temporalis: Ergo reatus pœnæ per Euchariſtiam, vt Sacramentum, deletur, ſi non ex toto, ſaltem ex parte. Tum etiam, quia Euchariſtia, vt Sacramentum; excitat feruorem charitatis, per quam homo conſequitur remiſſionem non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ.

Quintus huius Sacramenti effectus eſt mitigatio ſeu diminutio fomitis, ſubindeque concupiſcentiæ refrigerium, & amor caſtitatis. Nam vt ait S. Thomas hic artic. 6 ad 3. *Licet hoc Sacramentum non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam conſequentia, inquantum*

auget charitatem, quia ſicut Auguſtinus dicit in libro 83. quæſt. augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis Vnde Zachar 9. hoc Sacramentum, *vinum germinans virgines*, appellatur, quia vt ait Paſchaſius lib. de corpore & ſanguine Domini: *Hoc noſtri generis vino caſtitas corrumpitur, ab iſto verò virgines procreantur*. Et gloſſa ſuper illud Pſalm. 67. Selmon mons Dei: *De corpore Chriſti manat vmbra gratiæ, quæ nobis defenſaculum eſt contra incentiua vitiorum & carnalis concupiſcentiæ* Et Bernardus ſerm. in cœna Domini: *Si quis veſtrum non tam ſæpe modò, nec tam acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiuſmodi, gratias agat corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in illo.*

Sextò huic Sacramento tribuitur immortalitas & reſurrectio corporum, ratione coniunctionis, atque vnionis carnis noſtræ cum carne Chriſti, quæ viuificatrix eſt, vtpote hypoſtaticè coniuncta Verbo Diuino, à quo vniuerſa viuificantur. Vnde Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioan. cap. 2. *Quemadmodum ſcintillam multis paleis inferimus, vt ſemen ignis ſeruemus: Sic etiam Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per carnem ſuam in nobis vitam integit, ac veluti quoddam ſemen immortalitatis inſerit, quod totam quæ in nobis eſt corruptionem abollet.* Et Irenæus lib. 4. aduerſùs hæreſes cap. 34. contra Valentinianos, qui reſurrectionem corporum negabant, ſic arguit: *Quomodo autem rurſus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur.*

Quem

Quem locum Roffenſis ſic interpretatur: *Perinde eſt ac ſi dixiſſet, quoniam caro Chriſti vivifica eſt, & eadem reſurrexit ad vitam incorruptibilem, inde fit, vt qui carnem illam dignè comederunt, ſi nulla poſthac ſub culpa, virtutem illam quam acceperunt amittant, eorum corpora procul dubio reſurgent ad immortalitatem.* Hinc SS. Patres hoc Sacramentum, ſymbolum reſurrectionis, pharmacum immortalitatis, præſeruatiuum contra mortem appellant. Imò in quibuſdam Eccleſijs ſolitum erat illud in ore defunctorum ponere, vt hoc contactu immortalitatis germen ipſorum corporibus tribueret. Quod tamen poſtea in varijs Concilijs fuit prohibitum, præſertim in Concilio Carthaginenſi 3. can. 6. & in Concilio generali 6. in Trullo can. 83. quia (vt inquiunt Patres ibi congregati) ſcriptum eſt, *Accipite & manducate*, quod mortui præſtare non poſſunt.

Septimus huius Sacramenti effectus eſt perſeuerantia finalis, tum quia Euchariſtia, cùm ſit inſtituta per modum cibi, nutrit, & fouet vitam ſpiritualem. Tum etiam, quia (vt ſupra oſtendimus) habet præſeruare à peccatis mortalibus: præſeruando autem à peccatis mortalibus, confert perſeuerantiam, quia impedit gratiæ deſtructionem. Tum denique, quia confert auxilia actualia ad vincendas tentationes carnis & diaboli, iuxta illud Pſalm. 22. *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.* Hac de cauſa Euchariſtia, viaticum peregrinationis noſtræ à Patribus meritò dicitur, atque ab Eccleſia infirmis ægritudine oppreſſis, atque commu-

nis hoſtis inſidijs & tentationibus circumſeptis, per modum viatici, quo iter æternitatis alacriùs in fortitudine cibi illius decurrant, miniſtratur. Vnde Hieronymus in c. 15. Matt. *Periclitatur qui ſine cæleſti pane ad optatam manſionem peruenire feſtinat.*

Hinc ſequitur vltimus ac præcipuus huius Sacramenti effectus, nimirum adeptio gloriæ; perſeuerantia enim eſt veluti ianua per quam electi intrant palatium regni cœleſtis, & *ſola eſt* (vt ait Bernardus) *cui æternitas redditur, vel quæ æternitati hominem reddit.*

De effectibus Euchariſtiæ eleganter diſſerit S. Chryſoſtomus homil. 45. in Ioan. vbi ait *Sacrum hunc ſanguinem* (nobis in Euchariſtia propinatum *Viuam ac ſpirantem in nobis Regis noſtri effigiem reparare. hunc ſanguinem perennibus vndis animam irrigare, ac fouere, cuius eximiam pulchritudinem ac nobilitatem marceſſere ac degenerare non ſinit. Hunc ſanguinem dignè guſtatum Dæmones fugare, & longè à nobis profligare, Angelos vero, & Angelorum Dominum ad nos allicere. Hunc Sanguinem animarum ſalutem eſſe, hoc recreari animum, hoc ornari, hic inflammari, ac ipſo igne clariorem reddi, & auro ſplendidiorem. Ab hac menſa ſalire fontem fluuios ſpirituales diffundentem, iuxta quem non ſteriles ſalices adnaſcuntur, ſed arbores quæ cælum ipſum attingunt, ac tempeſtiuos ſemper & nunquam marceſcentes fructus afferunt.*

Quæres primò, quandonam Euchariſtia conferat gratiam recipienti? Reſpondeo probabilius eſſe, quod illam cauſet in inſtanti extrinſecè terminatiuo manducationis, in

quo

quo verum eſt dicere, nunc non eſt manducatio, ſed immediatè antea fuit: id eſt, quando primùm ſpecies ſacramentales ſtomachum aut ventriculum attingunt. Ratio eſt, quia Chriſtus non promiſit gratiam ijs qui ore tantùm & dentibus ſumerent hoc Sacramentum, ſed verè manducantibus, manducatione perfecta & completa, quæ tunc ſolùm exiſtit, quando primùm ſpecies ſacramentales ſtomachum aut ventriculum attingunt. Vnde qui recipit ſpecies ſacramentales, ſed poſtea eas expuit, non valens eas deglutire, ob aliquam infirmitatem, vel naturæ debilitatem: vel qui diu in ore retinet hoſtiam, ita vt ſpecies corrumpantur, antequam deglutiantur, effectum huius Sacramenti non recipit; bene tamen ille qui eas deglutit, ſed poſtea euomit, quia illi non manducant corpus Chriſti, manducatione completa & perfecta, bene tamen iſte; vomitus enim non opponitur manducationi, ſed potiùs eam ſupponit, licet impediat digeſtionem.

Quæres ſecundò, an hoc Sacramentum continuò gratiam augeat, quandiu in nobis manet? Reſpondeo valde probabile eſſe, quod ſi eo tempore quo ſpecies ſacramentales remanent in ſtomacho, homo nouos ac ferventiores fidei, charitatis, aliarumque virtutum actus eliciat, quibus magis & magis ſe diſponat recipiet gratiam ex opere operato, maiorem ea quam ab initio recipit, dum primùm ſpecies ſacramentales ſtomachum aut ventriculum attigerunt. Hoc enim Sacramentum inſtitutum eſt per modum cibi, ideoque vt ait Florentinum) operatur eoſ-

dem effectus in anima, quos cibus materialis in corpore: At cibus toto eo tempore quo in ſtomacho permanet, & quo calor naturalis agit in ipſum, nutrit & confortat corpus: Ergo ſimiliter toto eo tempore quo Chriſti corpus ſacramentaliter in ſumente perſeuerat, nutrit & confortat ſpiritualiter animam augendo in ea gratiam ſanctificantem, ſi homo calore ſupernaturali fidei & charitatis, aliarumque virtutum, magis ac magis ad tale augmentum ſe diſponat. Et certè, cùm Chriſtus ſit lumen mundi, & fons omnis gratiæ, rationi conſonum videtur, vt quandiu in nobis ſacramentaliter perſeuerat, animam lumine gratiæ illuminet, iuxta illud Ioan. 9. *Quandiu in mundo ſum, lux ſum mundi*; & gratiarum flüenta in omnes eius facultates, veluti alueos redundantia, continuò effundat; & cùm ignis ſit, conſumens peccata, & conſummans virtutes, conueniens eſt, vt tunc impleat illud quod ait Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Vnde ait Cardinalis De Lugo, quod *licet olim male audierit hae opinio, iam hodie communiter recipitur*. Conuenit enim dignitati huius Sacramenti, & pietatem fidelium excitat, ad augendum deuotionem & feruorem, poſt Euchariſtiæ ſumptionem.

Quæres tertiò, an ad conſequendum effectum huius acramenti, requiratur actualis deuotio, excludens mentis diſtractionem, & peccata venialia actu exercita?

Reſpondeo illam requiri ad conſequendum effectum ſecundarium & minùs principalem huius Sacramenti, id eſt ad recipien-

dam

dam gratiam ſpiritualis refectionis & dulcedinis: non tamen ad obtinendum primarium & principalem, nimirum augmentum gratiæ habitualis. Ita D. Thomas hic art. 8. vbi ſic ait: *Effectus huius Sacramenti non ſolùm eſt adeptio habitualis gratiæ & charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum, per peccata venialia mente diſtractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ & charitatis.* Quo nihil clarius & expreſſius in fauorem noſtræ reſponſionis dici poteſt.

Ratio etiam ſuffragatur, in primis enim quod ad recipiendum gratiam ſpiritualis refectionis & dulcedinis, requiratur deuotio actualis, excludens mentis diſtractionem, ex eo patet, quod hæc gratia conſiſtit in ſanctis cogitationibus, & pijs affectionibus, quæ per quamlibet mentis diſtractionem impediuntur. Confirmatur: Vt hæc gratia recipiatur in nobis, requirit ſubiectum capax: non eſt autem capax, niſi ſit ſpoliatum omni alia mentis cogitatione; quia cùm proximum ſubiectum huius gratiæ ſit intellectus & voluntas, & hæ potentiæ nequeant ad plura perfectè attendere, ſi tempore ſumptionis occupentur in alijs rebus cogitandis, non erunt aptæ ad recipiendas diuinas illuſtrationes, & pias motiones & affectiones.

Quod verò ad recipiendum augmentum gratiæ habitualis, actualis deuotio excludens peccata venialia non requiratur, conſtat ex eo quod Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem; Sed acce-

dens ad hoc Sacramentum cum veniali, aut ſine actuali deuotione, non ponit obicem augmento gratiæ habitualis, cùm nec carentia actualis deuotionis, nec peccatum veniale, gratiæ & charitati habituali opponantur: Ergo augmentum gratiæ ſanctificantis recipit. Vnde Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7. ad dignè & fructuosè recipiendum hoc Sacramentum, non aliam neceſſariam diſpoſitionem exigit, quam vt peccati mortalis non ſit conſcius qui accedit. Et Auguſtinus tract. 26. in Ioan. ſic ait: *Videte fratres: panem cœleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etſi ſunt quotidiana, vel non ſint mortifera.*

Dices, nullus actus peccaminoſus poteſt cauſare augmentum gratiæ habitualis: Sed accedere ad Euchariſtiam cum peccatis venialibus, eſt peccatum veniale, ſaltem quando illa venialia recto vſui talis Sacramenti, & reuerentiæ ei debitæ aduerſantur: Ergo non poteſt augere gratiam.

Reſpondeo actum venialiter peccaminoſum non poſſe cauſare augmentum gratiæ ex opere operantis, id eſt ex propria virtute & efficacia; bene tamen ex opere operato, ſeu ex vi efficacia Sacramenti, cum diſpoſitione ſufficienti recepti.

CA-

CAPVT X.

De obligatione ſumendi Euchariſtiam.

FIdeles non ſolùm præcepto Eccleſiaſtico, ſed etiam iure diuino, & Chriſti mandato, tenentur ad ſumendam Euchariſtiam: ſicut enim ex illo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit,* &c. colligitur præceptum ſuſcipiendi baptiſma, & ex illo Lucæ 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimul peribitis,* præceptum pœnitentiæ: ita ex verbis illis Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis,* præceptum Chriſti de huius Sacramenti ſumptione. Ratio etiam congrua id ſuadet: nam ſi homo iure naturæ tenetur cibum corporalem ſumere, quia ſine eo non poteſt diu vitam corpoream conſeruare; & ſi Adam in ſtatu innocentiæ præcepto diuino obligatus fuiſſet, de ligno vitæ, quod fuit typus Euchariſtiæ, comedere, ad vitam corporis conſeruandam, vt plures Theologi docent; quantò magis congruum fuit hominem lapſum, ad ſpiritualem vitam animæ conſeruandam, diuino adſtringi præcepto, ad comedendum de hoc vitali ligno. Hoc autem præceptum obligat ad ſumendam Euchariſtiam tum in articulo mortis, in quo tenetur infirmus, quantùm poteſt, ſe Chriſto incorporare, & de ſecuro viatico pro periculoſo itinere ſibi prouidere; tum etiam aliquoties

in vita ; ſicut enim ad vitam corporalem non ſufficit ſemel aut iterum in vita cibum ſumere, ita nec ad vitam ſpiritualem ; quia ſicut illa paulatim minuitur actione caloris naturalis, humidum radicale continuò depaſcentis ; ita hæc actione concupiſcentiæ, humidum radicale diuini amoris perpetuò abſumentis.

Præter hoc præceptum diuinum, determinata accipiendæ Euchariſtiæ tempora non præſtituens, datur aliud Eccleſiaſticum, latum in magno Lateranenſi Conſilio, cap. illo celebri, *Omnis vtriuſque ſexus*, quo omnes fideles, cùm ad annos diſcretionis peruenerint, iubentur ſemel in anno, nempe in paſchate, communicare. Quod præceptum duo virtualiter includit : vnum eſt, ne communio vltra annum differatur: alterum vt illa fiat in paſchate, quantùm fieri poteſt, ob reuerentiam tantæ ſolemnitatis. Vnde huius præcepti violatores ſunt, qui præuidentes ſe ob longiſſimam nauigationem, aut alia negotia, impeditos fore quominus Paſchali tempore ſacram menſam adeant, hoc tempus præuenire & anticipare negligunt. Item qui impediti in paſchate, poſtea oportuno tempore non communicant, ſed communionem per longum tempus differunt ; quia communio paſchalis non eſt onus illi duntaxat tempori alligatum, ſicut recitatio breuiarij, vel ieiunium, certæ diei addicitur, ſed eſt determinatio præcepti diuini obligantis aliquoties in vita communicare. Idem præceptum tranſgrediuntur, non ſolùm qui à ſacra communione, mera incuria in Paſchate abſtinent,

ſed illi etiam qui ad ſacram communionem indignè accedunt. Tum quia, vt iam diximus, præceptum Eccleſiaſticum eſt tantùm interpretatio diuini, præficiens & determinans tempus adimplendi illud: Sed per ſacrilegium præcepto diuino non ſatisfacimus: Ergo nec Eccleſiaſtico per communionem ſacrilegam. Tum etiam, quia eadem videtur ratio de præcepto communionis, ac de præcepto confeſſionis: Sed qui facit confeſſionem ſacrilegam, & voluntariè nullam, non ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis, vt declarauit Alexander VII. in Congregatione generali Inquiſitionis, habita die 24. Septembris anni 1665. & oppoſitam ſententiam, quam aliqui Caſuiſtæ recentiores docent, vt temerariam & ſcandaloſam damnauit: Ergo pariter qui in peccato mortali ſacrilegè communicat, non ſatisfacit præcepto annuæ communionis.

CAPVT XI.

De communione ſub vtraque ſpecie.

DVæ hic occurrunt celebres difficultates & controuerſiæ, breuiter reſoluendæ. Prima cum Catholicis, an ſcilicet Sacerdotes celebrantes & ſub duplici ſpecie communicantes, plus gratiæ recipiant, quam laici qui ſub vna tantùm ſpecie communicant? Id enim poſt Alenſem affirmant plures ex Recentioribus, negant verò Thomiſtæ, Suarez,

Bel-

Bellarminus, & plures alij. Secunda cum Lutheranis & Caluiniſtis, nempe an communio ſub vtraque ſpecie potuerit Laicis ab Eccleſia prohiberi, & conuenienter ac iuſtis de cauſis fuerit eis phohibita? Lutherus enim in ſuo de captiuitate Babilonica libro ſcribit, *omnes eſſe impios, qui vtriuſque ſpeciei communionem Laicis denegant*. Caluinus verò lib. 4. inſtit. cap. 17. §. 47. ait, *ex officina Diaboli prodijſſe conſtitutionem illam, quæ dimidiam cœnæ partem, meliori populi Dei numero, vel furata eſt, vel eripuit, nempe ſymbolum ſanguinis; quod laicis & prophanis interdictum, paucis raſis & vnctis* (ſic Sacerdotes appellat,) *in peculium ceſſit*.

§. I.

Reſolutio primæ difficultatis.

Dico primò, Sacerdos ſub duplici ſpecie communicans, non plus recipit gratiæ, quam Laicus, qui ſub vna tantùm ſpecie communicat, ſi vterque ſit æqualiter diſpoſitus.

Probatur primò ratione Caietani: Eandem gratiam confert ſanguis Chriſti, vt contentus in hoc Sacramento per concomitantiam, quam prout in eo continetur ex vi verborum: Sed Laici communicantes tantùm ſub ſpecie panis, recipiunt ſanguinem Chriſti per concomitantiam: Ergo eandem recipiunt gratiam ac Sacerdotes qui illum ſub ſpeciebus vini, prout ex vi verborum in hoc Sacramento continetur, recipiunt. Minor eſt certa, Tridentinum enim ſeſſ. 13. cap. 3. ait corpus

Chri-

Chriſti eſſe ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini inter ſe copulantur. Maior autem probatur: Quod in ſumptione Euchariſtiæ cauſat gratiam, non eſt ſolùm id quod ex vi verborum continetur in hoc Sacramento, ſed etiam id quod in eo eſt per concomitantiam, aliàs Diuinitas, & Perſona Verbi, gratiam huius Sacramenti non cauſarent, cùm in eo ſint tantùm per concomitantiam: Ergo eandem gratiam cauſat ſanguis Chriſti, vt contentus in hoc Sacramento per concomitantiam, quam prout continetur in eo ex vi verborum. Vnde S. Thomas opuſc. 58. capit. 29. *Hæc quatuor corpus, ſanguis, anima, & deitas, iam vltra non poſſunt ſeparari: vnde ſicut ſumit Sacerdos ſanguinem Chriſti ſacramentaliter de calice, ſic populus ſumit eum intellectualiter ſub ſpecie panis de ipſo corpore Chriſti, & eſt eis tam vtilis & tam dulcis, vt Sacerdotibus qui ſumunt eum ſub ſpecie vini de calice: Cant. c. 1. Botrus Cypri, dilectus meus mihi. Duo ſumo in botro; vnam, ſcilicet corpus Domini in cibum, & ex vna ſugo dulcem ſanguinem in potum.*

Probatur ſecundò concluſio hoc diſcurſu; ſi Sacerdos ſub vtraque ſpecie communicans, plus reciperet gratiæ, quam Laicus communicans ſub vna tantùm ſpecie, vel hæc inæqualitas proueniret ex ſpeciebus, vel ex re contentà ſub ipſis, vel ex earum ſignificatione? Non ex ſpeciebus continentibus, ſpecies enim ſecundùm ſe, & vt abſtrahunt à re contenta, non habent vim productiuam gratiæ,

Ne-

Neque etiam à re contenta, quandoquidem idem Chriſtus, & totus, æquè ſub vna ac ſub altera, vel ſub vtraque ſpecie continetur, vt docet Tridentinum loco ſupra citato. Neque demum à ſignificatione ſpecierum, quia in vnica ſpecie tota Sacramenti ſignificatio ſubſiſtit; etenim vnica ſpecies panis v. g. ſignificat Chriſtum præſentem, ſignificat etiam paſſionem & mortem Chriſti, cùm repræſentet corpus veluti ſeparatum à ſanguine, ſignificat etiam refectionem ſpiritualem animæ, quæ per cibum peræquè ac per potum repræſentatur. Item cùm quælibet ſpecies vniat nos Chriſto Sacramentaliter; æquè vna, ac altera, vel vtraque, ſignificat perfectam animæ noſtræ cum Chriſto vnionem. Denique vnica ſpecies ſpiritualem fidelium vnionem ſignificat, nam per panem ex multis granis confectum, vnitatem fidelium intelligi Patres voluerunt, ſicut per vinum quod ex multis racemis confluit? Ergo Sacerdos ſub vtraque ſpecie communicans, non plus recipit gratiæ, quam Laicus, ſub vna tantùm ſpecie communicans.

Dices, in vnica quidem ſpecie, totam Sacramenti ſignificationem ſubſiſtere, ſed per duas ſupradictas expreſſiùs & pleniùs declarari vt conſtat de refectione ſpirituali, quæ meliùs exprimitur & ſignificatur per vtramque ſpeciem panis & vini, quam per vnam ſolùm, cùm de ratione perfectæ refectionis ſit quod famem tollat, & ſitim extinguat.

Sed contra: Eſto in duplici ſpecie ſit perfectior ſignatio, quantùm ad modum ſignifica-

candi, quam in vna tantùm, hoc tamen non ſufficit, ad cauſandum inæqualem effectum; vt patet in baptiſmo, qui per immerſionem expreſſiùs ex modo ſignificandi denotat conſepulturam baptizati cum Chriſto, quam per ſolam aſperſionem; cùm tamen vtrouis modo collatus, eandem cauſet gratiam, quæ baptizatum cum Chriſto conſepelit. Idem eſt de matrimonio, licet enim illud contractum per verba, vinculum matrimoniale perfectiùs ſignificet, quam contractum per ſola ſigna, aut nutus, non tamen efficit maius aut perfectius vinculum, ſed idem prorſus: Ergo ſimiliter, quamuis duæ ſpecies perfectius quantùm ad modum ſignificandi, exprimant & ſignificent effectum Sacramenti Euchariſtiæ, nimirum refectionem ſpiritualem, quam vna ſolùm, non tamen propterea cauſant gratiam abundantiorem, ſed æqualem, ſi ſubiecta ſint æqualiter diſpoſita. Id confirmat exemplum de manna, quod fuit figura huius Sacramenti, nam de eo Exodi 16. dicitur: *Non amplius habuit qui plus collegerat, nec qui minus parauerat, reperit minus.* Vnde Papa Hilarius in ſuis decretis quæ habentur 3. parte Conciliorum: *Vbi pars eſt corporis* (inquit) *ibi eſt totum. Eadem ratio eſt in corpore Domini, quæ in manna, quod in eius figura præceſſit; de quo dicitur, qui plus collegerat non habuit amplius, neque qui minus parauerat, habuit minus.* Et Guitmundus lib. de verit. Euchariſtiæ: *Poſſumus dicere tantumdem eſſe in vna quaſi portiuncula, quantùm erat in hoſtia tota: ſicut de manna legitur, quia nec qui plus collegerat, habuit am-*

amplius; nec qui minus collegerat, habuit minus. Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt; nec per ſingulos minuitur, ſed integrùm ſe præbet in ſingulis. Quod illi dicunt de particula hoſtiæ comparatione totius, dici poteſt de vnica ſpecie, comparatione vtriuſque ſimul; nam ſicut tantùm eſt in vna particula hoſtiæ, quantùm in tota; ita totum quòd continetur ſub duplici ſpecie, ſub vna reperitur.

Obijcies primò: ſi ſpecies panis & vini non cauſarent diuerſas gratias, ſed vnam tantùm, vel tota hæc gratia Sacerdoti conferretur in ſumptione ſolius ſpeciei panis, & ſic ſpecies vini non eſſet verum Sacramentum, quia gratiam quam ſignificat non conferret obicem non ponenti: vel in ſumptione ſolius calicis, & ſic ſpecies panis non eſſet verum Sacramentum, ob eandem rationem: vel partim in ſumptione hoſtiæ, & partim in hauſtu calicis, & hoc etiam dici nequit, quia non poteſt aſſignari ratio, cur ſpecies panis ſumpta à Laico, ſtatim illi conferat totam ſuam gratiam, quam apta eſt conferre, Sacerdoti verò, non totam, ſed diminutam tantùm conferat, aliam dimidiam cauſandam relinquens à ſubſequente ſpecie vini: Ergo &c.

Reſpondeo totam gratiam Sacerdoti dari in ipſa hoſtiæ ſumptione, nec propterea ex eo ſequi, ſumptionem calicis non eſſe verum Sacramentum; quia vt ſit verum Sacramentum, non eſt neceſſe vt gratiam actu conferat (nam Euchariſtia, dum eſt in pixide, eſt verùm Sacramentum, & tamen gratiam actu

non

non confert) ſed ſufficit, quod quantùm eſt de ſe, poſſit illam conferre, ſi ſubiectum ſit diſpoſitum: hic verò ſubiectum non eſt diſpoſitum, eò quòd totum effectum Sacramenti recepit in ſumptione ſpecierum panis. Sicut ſi Laicus poſt ſumptam vnam particulam, immediatè ſumeret aliam, nullam gratiam reciperet, quia ſimiliter ſubiectum non eſſet diſpoſitum, eò quòd totum effectum Sacramenti in ſumptione primæ hoſtiæ recepit.

Obijcies ſecundò: Sacramenta nouæ legis cauſant id quod ſignificant: At maiorem gratiam ſignificat gemina ſpecies, quam alterutra tantùm; gemina enim ſpecies ſignificat plenitudinem conuiuij ſpiritualis, & perfectam animæ refectionem, quam non ſignificant ſingulæ ſpecies ſeorſim ſumptæ: Ergo maiorem gratiam cauſant duæ ſpecies, quam vnica.

Reſpondeo, conceſſa Maiori, negando Minorem, ad cuiùs probationem, nego ex parte rei ſignificatæ pleniorem refectionem ſpiritualem ſignificari per vtramque ſpeciem ſimul, quam per alterutram tantùm, ſed ſolùm ex parte modi ſignificandi; quod non ſufficit vt Sacramentum pleniorem aut perfectiorem operetur effectum, vt in ſecunda probatione concluſionis oſtendimus, duplicique exemplo declarauimus.

§. II.

§. II.

Reſolutio ſecundæ difficultatis.

DIco ſecundò, nullum extare ius diuinum, quo Laici & Clerici non conficientes, ad Eucharistiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum obligentur, ſubindeque Eccleſiam vſum calicis Laicis prohibere poſſe.

Probatur primò ex facto Chriſti, qui Lucæ 24. duos Diſcipulos euntes Emaus, in ſola ſpecie panis communicauit: verba enim illa, *Cognouerunt Dominum in fractione panis*, de Euchariſtia intellexerunt Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 25. Hieronymus in Leuitic. cap. 9. Beda & Theophylactus in illum locum.

Probatur ſecundò ex ſcriptura, in qua de communione ſub ſola ſpecie panis fit ſæpe mentio, dicitur enim Actor. 2. *Erant perſeuerantes in communione fractionis panis*. Et cap. 20. dicuntur fideles vna ſabbati conueniſſe *ad fractionem panis*. Quod omnes de communione Sacramentali interpretantur. Imò ipſe Chriſtus Ioan. 6. communionem Euchariſticam, ſola manducatione panis, his verbis ſignificauit, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Et vt egregiè obſeruauit Petrus de Raguſio, qui in Concilio Baſilienſi contra hæreticos hanc veritatem acerrimè propugnauit, Chriſtus in eodem capite vndecies mentionem fecit de hoc Sacramento, ſub ſpecie panis; ſub nomine autem car-

nis

nis & ſanguinis, non niſi quater, vt oſtenderet ad ſalutem ſolam ſpeciem panis ſufficere.

Eadem veritas ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine apertè colligitur; nam olim Sacra Euchariſtia domum à fidelibus deferebatur, à Monachis in Eremum, & ab itinerantibus ad loca remotiſſima, vt eam manu propria ſumerent tempore opportuno, vt ſupra cap. 1. §. 1. oſtendimus: At hoc verificari nequit, niſi de Euchariſtia in vna tantùm ſpecie, ſcilicet panis: Tum quia ſacratus calix nunquam in manus laicorum dabatur, & multò minùs alioſum deferri ſolitus erat, ſed per manus Diaconorum miniſtrabatur: Tum etiam quia tunc mulieres ſolitæ erant excipere Euchariſtiam in mundo linteolo, vt conſtat ex Concilio Antiſiodorenſi can. 39. vbi ſic dicitur. *Vnaquæque mulier, quando communicat, dominicalem ſuum* (id eſt mundiſſimum linteum ad excipiendum Domini corpus idoneum) *habeat. Quod ſi non habuerit, vſque in alium diem Dominicum non communicet.* Hoc autem, vt conſtat, de ſpecie vini non poteſt intelligi. Tum denique, quia Euchariſtia ſic delata, aliquando per annum integrum (vt habetur in Prato ſpirituali cap. 49.) in ſolitudine, ſæuiente præſertim perſecutione, ſeruabatur: ſpecies autem vini non potuiſſent tamdiu ſeruari, cùm vinum facilè & citò aceſcat & corrumpatur: Ergo in primitiua Eccleſia, Euchariſtia ſub vna tantùm ſpecie panis aliquando ſumebatur. Conſtat etiam, Nazarenos, exordio naſcentis Eccleſiæ, ſub ſpecie tantùm panis communicare ſolitos fuiſſe, cùm lege Moſaica, quam initio conuerſionis per-

mittebantur ſeruare, vinum bibere eis non liceret. Item infantibus olim Euchariſtia ſub vnica tantùm ſpecie porrigebatur, & cùm non poſſent cibum aliquem ſolidum ſumere, aliquid ſanguinis Domini in os eorum per Presbyterum aut Diaconum inſtillabatur. Eſt etiam antiqua Eccleſiæ conſuetudo, vt in die Paraſceues, hoc Sacramentum ſub ſola ſpecie panis à Sacerdote officium celebrante ſumatur, quod ea die Miſſæ ſacrificium non offeratur. Vnde egregiè Hugo Victorinus ſecundo codice Miſcellaneorum lib. 5. *Hodie non ſacrificamus, dum nobis hoſtia de manibus tollitur, non ſacrificant amici, dum trucidant inimici.* Demum S. Leo Papa ſerm. 4. de quadrageſima refert, quod Manichæi, vt ſe Catholicos eſſe ſimularent, communicabant cum Catholicis, quod non poteſt intelligi de communione ſub vtraque ſpecie, ſed ſolùm de communione ſub ſpecie panis; quia Manichæi ſuperſtitiosè abhorrebant à vino, tanquam à felle draconis, & veluti à Dæmone facto, eiuſque potum ſacrilegum eſſe exiſtimabant, neque credebant Chriſtum ſub ſpeciebus eius eſſe in Euchariſtia: Ergo in primitiua Eccleſia licitum erat fidelibus, ſub vna tantùm ſpecie communicare, quod euidens argumentum eſt, nullum extare ius diuinum de communione laica ſub vtraque ſpecie, alioquin illud omnes præcepti capaces tunc obligaſſet.

Ratio etiam ſuffragatur: quatuor enim tantùm ſunt in hoc Sacramento, ex quibus ſolùm videtur poſſe peti neceſſitas communicandi ſub vtraque ſpecie, reſpectu laicorum; ſub-

inde-

indeque ius aliquod diuinum illos obligans ad talem communionem, ſcilicet eius effectus, ſignificatio, res contenta, & ſpecies continentes: Atqui ex nullo ex his talis neceſſitas peti poteſt: Ergo &c. Maior patet ex ſufficienti enumeratione. Minor verò probatur quantùm ad ſingulas partes. In primis enim talis neceſſitas non poteſt oriri ex effectu, quandoquidem vel totus effectus Sacramenti Euchariſtiæ tribuitur communicanti ſub vna ſpecie ita vt, per ſe loquendo, communicans ſub vtraque ſpecie non plus gratiæ recipiat, vt §. præcedenti docuimus; vel ſi, vt quidam exiſtimant, detur maior effectus per ſumptionem duarum ſpecierum, ille tamen non eſt neceſſarius ad ſalutem, vt docet Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 3. dicens *nulla gratia ad ſalutem neceſſaria eos defraudari qui vnam ſpeciem ſolùm accipiunt*. Non poteſt etiam talis neceſſitas peti ex ſignificatione, quia in vnica ſpecie tota Sacramenti ſignificatio ſubſiſtit, vt §. præcedenti oſtenſum eſt. Neque etiam ex re contenta in hoc Sacramento, vtpote cùm totus Chriſtus ſub qualibet ſpecie contineatur. Nec demum ex parte ipſarum ſpecierum, cùm enim ſpecierum ſumptio ſit ſolùm propter ſignificationem, vel propter effectum, vel propter rem contentam, ſi ex his tribus nulla ſequatur neceſſitas communicandi ſub vtraque ſpecie, manifeſtum eſt, quod nulla etiam oriatur ex parte ipſarum ſpecierum.

Objiciunt in primis Hæretici illud Chriſti Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebi-*

tis vitam in vobis. Ex quo inferūt, quod priuare populum calice, ſit ipſum priuare vita æterna. Nam Chriſtus ait, *niſi biberitis ſanguinem, non habebitis vitam*. Neque ſufficit dicere ſanguinem Chriſti contineri ſub ſpecie panis, quia Chriſtus præcepit bibere: At ſumere ſpeciem panis, non eſt bibere: alioquin Sacerdos bis ſanguinem biberet, ſemel ſub ſpecie panis, & iterum ſub ſpecie vini.

Reſpondeo primò, retorquendo argumentum in Hæreticos, illi enim permittunt abſtemios, ſaporis & odoris vini impatientes, communicare ſub ſola ſpecie panis, & tamen non credunt eös propterea vita æterna priuari: Ergo ſibimetipſis apertè contradicunt, cùm dicunt Eccleſiam Romanam priuando populum calice, ipſum priuare vita æterna, & communionem ſub vtraque ſpecie eſſe de iure diuino; ſi enim de hoc extaret ius diuinum, vel Chriſti præceptum, non poſſent in hoc diſpenſare in ſuis ordinationibus Eccleſiaſticis & permittere quod abſtemij ſub ſola ſpecie panis communicent.

Reſpondeo ſecundò, ſenſum huius propoſitionis, *Niſi manducaueritis, & biberitis*, eſſe diſiunctiuum, ex modo loquendi Hebræorum, qui ſæpe particula copulatiua vtuntur pro diſiunctiua, vt conſtat Leuitici 20. *Patri matrique qui maledixerit, ſanguis eius ſit ſuper eum*. Id eſt Patri vel matri. Et Exodi 21. iuxta Hebræum: *Qui percuſſerit patrem ſuum & matrem, morte moriatur*: Id eſt patrem vel matrem. Item Apoſtolus 1. Corinth 11. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit*: Hoc eſt qui manducat, aut bi-

bibit. Neque enim vt quis iudicium ſeu condemnationem ſibi accerſat, per indignam huius Sacramenti ſumptionem, neceſſarium eſt, vt ſub vtraque ſpecie illud indignè ſumat, ſed ſufficit quod panem Euchariſticum, vel calicem ſumat indignè.

Obijciunt ſecundò, Gelaſium Papam cap. *Comperimus* de conſecrat. diſt. 2. grauiter reprehendere aliquos fideles, qui à ſumptione calicis abſtinebant, ſic enim ait: *Comperimus quod quidam, ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtinebant. Qui procul dubio (quoniam neſcio qua ſuperſtitione videntur obſtringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuiſio vnius eiuſdemque myſterij, ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire*

Reſpondent aliqui Pontificem canone citato inuehi in Manichæos, qui ſub ſpecie tantùm panis communicantes, à calice abhorrebant, eò quòd vinum vt à Dæmone factum deteſtarentur; ideoque illud condidiſſe decretum de communione ſub vtraq; ſpecie, vt ea ratione detegerentur Manichæi ſub catholico nomine latentes, & in exilium mitterentur.

Sed meliùs reſpondetur, in illo canone ſermonem tantùm eſſe de Sacerdotibus conſecrantibus, nam Gloſſa in margine ait: *Hoc intellige de conficiente &c* Et D. Thomas hic qu. 80. artic. 12. ad 1. *Gelaſius*, inquit, *loquitur quantùm ad Sacerdos.* Idipſum apertè conuincit titulus canoni præfixus, qui ſic habet: *Item Gelaſius Papa Maiorico & Ioanni Epiſcopis: Corpus Chriſti ſine eius ſanguine Sacerdos non debet accipere.*

§. I.

Miſſa habet veram & propriè dictam rationem ſacrificij.

PRobatur ex Scriptura : In primis enim Malach. 1. reprehenſis antiquis Sacerdotibus, quod ſacrificia polluta offerrent, promittitur offerenda in gentibus, & in omni loco, oblatio munda, id eſt (vt interpretantur Tertullianus, Irenæus, Auguſtinus, & Damaſcenus) Euchariſtiæ ſacrificium, quod vt ait Tridentinum ſeſſ 22. cap. 1. oblatio munda dicitur quia *nulla offerentium indignitate aut malitia inquinari poteſt*. Ibi autem ſermonem eſſe de ſacrificio proprie dicto, conſtat ex eoquod talis oblatio per oppoſitionem comparatur cum ſacrificijs Iudaicis propriè dictis · comparatio autem fit inter res eiuſdem generis.

Secundò Daniel. 8. prædicitur Antichriſtus ablaturus *iuge ſacrificium*, nempe Chriſtianorum, quod proinde ſu ponitur eo vſque futurum. Neque ibi etiam ſermo eſt de improprio ſacrificio, interno ſcilicet & inuiſibili, vt dicunt hæretici ; nam illud nec tunc quidem ceſſabit, nec ſacrificium dicitur abſolute, ſed cum addito, nempe ſacrificium laudis, ſacrificium ſpiritus, ſacrificium iuſtitiæ, &c.

Tertiò Pſalm. 109. & Hebr. 7. Chriſtus dicitur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech : Sed non poteſt ſic appellari, ob ſacrificium crucis ; quia cùm iſtud cruentum fuerit, deberet potiùs ratione illius dici Sacerdos ſecun-

cundùm ordinem Aaron: Ergo ſolùm ratione ſacrificij Euchariſtiæ, quod offertur in pane & vino, ſicut ſacrificium Melchiſedech. Vnde Cyprianus lib 2. epiſt. 5. ad Cecilium: *In Sacerdote Melchiſedech ſacrificij dominici Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundùm quod Scriptura diuina teſtatur & dicit: Et Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem Sacerdos Dei Summi, & benedixit Abraham.*

His locis addo alterum ex Pſalmo 71. verſu 16. deſumptum, vbi vulgata noſtra lectio ſic habet: *Erit firmamentum in terra in ſummis montium:* quæ alij ex Hebræo fonte ſic reddunt: *Erit particula frumenti in terra in capite montium.* Sed Rabbi Ionathas, qui ante Chriſtum natum ſcribebat, paulò aliter explicat; *Placenta* (inquit) *panis fiet ſacrificium in capitibus Sacerdotum qui ſunt in Eccleſia.* Quibus verbis nihil potuit dici clarius, ad ſacrificium Miſſæ incruentum ſignificandum: quomodo enim placenta panis fit ſacrificium in capitibus Sacerdotum, niſi cùm hoſtia ex triticeo pane confecta, conſecratur à Sacerdotibus in Eccleſia, & poſt conſecrationem ſuper capita Sacerdotum attollitur, & adoranda populo proponitur.

His Scripturæ & patrum teſtimonis ſubiungi poteſt ratio deſumpta ex definitione ſacrificij, quod ſic deſcribitur: *Sacrificium eſt oblatio rei ſenſibilis, cum illius immutatione, facta Deo, in ſignum ſupremi eius ſuper res omnes dominij, ex legitima inſtitutione:* Sed Miſſa, ſeu cæremonia illa ſacra, quæ in Eccleſia Catholica conficitur Euchariſtia, habet

omnes illas conditiones: Ergo eſt verum & proprium ſacrificium. Minor probatur, in primis enim in Miſſa fit oblatio rei ſenſibilis, ſcilicet corporis & ſanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini. In illa quoque reperitur ſufficiens hoſtiæ immutatio, non quidem per mortem veram & realem Chriſti, ſed vel per conſumptionem ſpecierum, quæ fit à celebrante, ad quam corpus & ſanguis Chriſti amittunt eſſe Sacramentale; vel per hoc quod ex vi verborum conſecrationis, ſanguis ponitur ſeorſim à corpore, licet per concomitantiam ſimul cum eo exiſtat, vt declarabitur §. ſequenti. Item in ea eſt recognitio ſupremi Dei dominij, cùm ad hoc fiat illa oblatio & immutatio hoſtiæ. Demum illi non deeſt legitima Chriſti Domini inſtitutio, vt colligitur ex illis verbis Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus legem perpetuò duraturam de illo ſacrificio in Eccleſia offerendo conſtituit. Vnde Ambroſius lib. 1. præparat. ad Miſſam: *Ego* (inquit) *licet peccator accedo ad altare tuum, & offero ſacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerri præcipiſti.*

Confirmatur: Cùm ſacrificium ſit de iure naturæ, vt docet S. Thomas 2. 2. qu. 85. art. 1. & actus religionis nobiliſſimus, nulla eſt ratio ob quam Eccleſia careat potiùs ſacrificio vero & ſibi proprio, quo publicè Deum colat, quam Synagoga, vel Eccleſia quæ fuit tempore legis naturæ: Sed verum & proprium legis gratiæ ſacrificium, non poteſt eſſe aliud quam Miſſa: Ergo illa habet veram & propriam rationem ſacrificij.

Nec

Nec valet reſponſio hæreticorum, nempè ſacrificium legis gratiæ proprium, eſſe ſacrificium crucis, & præter illud non poſſe dari aliud in lege noua; quia Chriſtus per ſacrificium crucis plenè ſatisfecit pro peccatis omnium hominum, & *conſummauit in ſempiternum ſanctificatos*, vt ait Apoſtolus ad Hebr. 10. Vnde Chriſtus vt ſignificaret ſe tali ſacrificio expleuiſſe omnia quæ ad noſtram ſalutem neceſſaria erant, antequam ſpiritum in cruce emitteret, dixit, *Conſummatum eſt*. Non valet inquam hæc reſponſio, ſacrificium enim crucis non eſt proprium legi gratiæ, ſed commune omnibus legibus, tanquam finis earum, vnde Chriſtus in cruce ſatisfecit pro peccatis hominum, non ſolùm in noua lege exiſtentium, ſed etiam pro peccatis eorum qui fuerunt in lege naturæ & in lege ſcripta, & tamen in vtraque illa lege vera fuere ſacrificia: Pariter ergo, licet Chriſtus per ſacrificium crucis plenè ſatisfecerit pro peccatis noſtris, hoc tamen non obſtat, quin in noua lege ſit aliud ſacrificium, quo talis ſatisfactio nobis applicetur, quod non poteſt eſſe aliud, quam illud quod in Miſſa offertur, & quo Chriſti paſſio repræſentatur & rememoratur. Verba autem illa, *Conſummatum eſt*, quæ Chriſtus antequam ſpiritum emitteret protulit, ab illo dicta ſunt, tum ob conſummationem ſcripturarum, & figurarum veteris legis, quæ omnes in Chriſti morte fuerunt verificatæ & adimpletæ; tum propter ſingularem paterno præcepto exhibitam de morte ſubeunda obedientiam; ille enim, vt ait Apoſtolus, *fuit obediens vſque ad mortem*;

imò, vt dicit Bernardus, ne perderet obedientiam, perdidit vitam.

Obijciunt in primis hæretici: Chriſtus Dominus Samaritanæ interroganti, an deberet Deus coli & adorari in templo Ieruſalem, vel monte Garizim? Reſpondet Ioan. 4. *Mulier crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem.* Et ſubdit rationem: *Quia veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*: Ergo Chriſtus pro lege noua ſolùm conſtituit ſacrificia ſpiritualia & inuiſibilia, non externa & viſibilia.

Reſpondeo Chriſtum in illo colloquio cum Samaritana, ſolùm declarare voluiſſe, quod neque in monte illo, neque in Ieruſalem, impoſterum adoraretur aut coleretur Deus ſacrificijs carnalibus Iudæorum, non tamen negaſſe futuram aliam adorationem & ſacrificium, quod omnino ſpirituale eſſet quoad ſuam virtutem, & modum exiſtendi rei oblatæ, nempe ſacrificium Euchariſtiæ, in quo Chriſtus inuiſibili & ſacramentali modo continetur, licet ſit viſibile ex parte ſpecierum quibus continetur, & cæremoniarum quibus celebratur. Vnde qui hoc ſacrificio Deum colit, in ſpiritu & veritate adorat.

Obijciunt ſecundò: Chriſtus Pſalm. 109. & ad Hebræ. 7. dicitur Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſubindeque nullos habet ſui Sacerdotij in lege gratiæ ſucceſſores, vt enim ibidem ait Apoſtolus, *plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere*: Ergo cùm ſacrifi-

crificium & ſacerdotium ſibi mutuo correſpondeant, nullum verum & propriè dictum datur in lege gratiæ ſacrificium.

Reſpondeo quod licet ex eo quod Chriſtus ſit Sacerdos in æternum, non habeat ſucceſſores in ſacerdotio, & conſequenter in lege gratiæ nulli ſint Sacerdotes paris cum eo poteſtatis, non tamen inde ſit quod nullos habeat Sacerdotes, vicarios, miniſtros, & diſpenſatores; quin potiùs cùm iam non fungatur ſuo Sacerdotio per ſe & immediatè offerendo ſacrificia, neceſſe eſt quod habeat plures vicarios per quos hoc faciat. Neque repugnat vnitati Sacerdotij Chriſti, plures habere in terris miniſtros, qui vice ipſius viſibile offerant ſacrificium: Sicut licet Chriſtus vnus ſit Doctor & Magiſter, vt dicitur Matth. 23. hoc tamen non impedit, quin plures habeat in terris miniſtros; qui vice ipſius doceant, & gregem verbo & doctrina paſcant.

Ex dictis intelliges, Euchariſtiam habere ſimul rationem ſacramenti, ſacrificij, & teſtamenti. Eſt enim Sacramentum, quatenus ordinatur in noſtram ſanctificationem: ſacrificium, inquantum offertur Deo in recognitionem ſupremi dominij quod habet in vitam & in mortem; & teſtamentum, quatenus eſt inſtrumentum authenticum diuinæ voluntatis, & promiſſionis vitæ æternæ: Sicut Exodi 24. Sanguis victimarum effuſus ſuper populum, fuit ſimul ſacrificium & teſtamentum; & ſicut agnus paſchalis in antiqua lege ſimul rationem Sacramenti & ſacrificij habuit. Vnde malè inferunt Hæretici, Euchari-

riſtiam non eſſe ſacrificium, ex eo quod habet rationem teſtamenti, & Sacramenti.

§. II.

Eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtit in conſecratione, vt dicente ordinem tranſcendentalem ad ſumptionem tanquam ad finem & terminum extrinſecum.

PRobatur primò: Eſſentia ſacrificij Miſſæ non poteſt conſiſtere in oblatione quæ fit poſt conſecrationem, cùm per talem oblationem nulla fiat immutatio rei oblatæ, quæ tamen eſt de ratione ſacrificij. Neque in fractione hoſtiæ conſecratæ in tres partes, quæ fit à Sacerdote ante ſumptionem, quia fractio iſta ſolùm eſt circa ſpecies panis: actio autem ſacrificatiua debet complecti vtramque ſpeciem, cum ſacrificium Miſſæ ſit ſecundum ordinem Melchiſedech, qui panem & vinum in ſacrificium obtulit. Addo quod talis fractio hoſtiæ non eſt ex inſtitutione Chriſti, ſed ſolùm cæremonia quædam ab Eccleſia inſtituta. Neque in ſumptione, tanquam in parte intrinſeca & eſſentiali, quia ſacrificium fit in Perſona Chriſti, qui eſt principalis offerens & Sacerdos: Sumptio autem non eſt actio facta in perſona Chriſti, ſed in perſona ipſius ſumentis, & pro ſuo beneficio. Neque in conſumptione ſpecierum, actio enim quæ eſt eſſentialis ſacrificio, debet fieri in altari, ſiquidem in altari offertur ſacrificium: conſumptio autem ſpecierum non fit in altari, ſed in ſtomacho, vi caloris naturalis.

Sed

Sed præter iſtas quatuor actiones nulla alia aſſignari poteſt, in qua eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtat, præter conſecrationem. Ergo in illa eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtit.

Probatur ſecundò: Ad completam & adæquatam ratione ſacrificij duo tantùm requiquiruntur, oblatio nimirum, & immutatio victimæ, vt ex eius definitione ſupra relata conſtat: Sed vtrumque in conſecratione reperitur, oblatio quidem, quia non eſt neceſſe vt Sacerdotes in actu ſignato ſignificét ſe hoſtiam offerre, dicendo, *ego offero*, vel *offerimus maieſtati tuæ*, ſed ſufficit vt in actu exercito victimam ſiſtat & præſentet Deo: quemadmodum Chriſtus ſeſe in cruce obtulit, non tam verbis quam factis, moriendo ſcilicet pro Dei gloria & pro noſtra ſalute. Et ſicut in lege veteri ouis iugulatio aut combuſtio, facta ad cultum Dei, erat oblatio realis & exercita, ſufficiens ad rationem ſacrificij. Immutatio verò, quia actio ſeparans ſanguinem à ſubſtantia viuentis, eſt immutatiua & deſtructiua illius: conſecratio autem per ſe loquendo: ex vi verborum, ſanguinem ſeparat à corpore Chriſti; nam per conſecrationem panis, ex vi verborum ponitur ſolum corpus; & per conſecrationem calicis, ſolùs ſanguis, ita vt veluti per accidens ſit reſpectu conſecrationis, quod illa peracta ſanguis reperiatur in corpore Chriſti. Vnde conſecratio quantùm eſt de ſe, eſt myſtica quædam mactatio Chriſti, & myſtica quædam effuſio ſanguinis eius, *per gladium verborum*, vt Cyrillus loquitur: Ergo conſecratio habet quidquid requiritur ad com-

plæ

Obijciunt tertiò : Sacramentum Euchariſtiæ eſt vltimum teſtamentum, quo Chriſtus morti proximus, corpus & ſanguinem ſuum legauit filijs ſuis : Ergo Eccleſia non poteſt abſque iniuſtitia hac hæreditate Chriſtianos priuare cùm non ſit domina, ſed tantùm adminiſtratrix Sacramentorum.

Reſpondeo Eccleſiam priuando laicos vſu calicis eos non priuare propterea hæreditate à Chriſto legata : tum quia quidquid acciperent per vtramque ſpeciem, accipiunt per vnam, vt §. præcedenti oſtendimus. Tum etiam, quia eſto fraudarentur aliqua gratia, cùm tamen hæc non ſit ad ſalutem neceſſaria, non defraudantur paterna hæreditate, quæ ſaluatur in gratia ad ſalutem neceſſaria. Sicut infantes non dicuntur fraudari paterna hæreditate, eò quòd priuentur gratia Sacramentali quam ex manducatione huius Sacramenti percipere poſſent.

Ex dictis colligitur, ex vi præcepti diuini, non minùs licitum ac ſufficiens ad ſalutem fore, hoc Sacramentum, ſub ſpecie vini, quam ſub ſpecie panis, ſumere; cùm non minùs vna ſpecies quam altera, totum Chriſtum, totamque refectionem ſpiritualem animæ contineat. Eccleſia tamen communionem laicorum, ad ſpeciem panis potiùs quam ad ſpeciem vini determinauit, vel ob difficultatem conſeruandi ſanguinem pro infirmis, vel ob periculum illum effundendi in miniſtrando, vel demum ob difficultatem purificandi vaſa, in quibus multum ſanguinem conſeruari oporteret pro toto populo communicando. Præterquam quod animaduertit aliquos eſſe à natura

tūra abſtemios, & à vino abhorrentes, eiuſque ſaporis & odoris impatientes: vinum multis in locis haberi non poſſe in tanta copia, vt multa hominum millia poſſent communicare; durumque eſſe Sacerdoti id quod ab omnibus delibatum erat & reſtabat, conſumere; præſertim cùm ad communicandum accederent aliqui malè affecti, ſordidi, & fœtidi, qui etiam alios à communione deterrebant, eò quòd ex eodem calice illis bibendum erat.

CAPVT XII.

De ſacrificio Miſſæ.

DVplex etiam hic nobis eſt concertatio ineunda, altera cum Hæreticis, altera cum Catholicis. Moderni enim Hæretici, cum Luthero, & Caluino negant, Miſſam, ſeu actionem illam ſacram, quæ in Eccleſia Catholica conficitur Euchariſtia, eſſe verè & propriè ſacrificium. Catholici verò vnanimiter ſentientes, illam eſſe verum ſacrificium, diſputant in qua actione ratio eſſentialis talis ſacrificij conſiſtat? An in conſecratione, oblatione, vel fractione hoſtiæ, aut in eius ſumptione & manducatione?

§. I.

Miſſa habet veram & propriè dictam rationem ſacrificij.

PRobatur ex Scriptura: In primis enim Malach. 1. reprehenſis antiquis Sacerdotibus, quod ſacrificia polluta offerrent, promittitur offerenda in gentibus, & in omni loco, oblatio munda, id eſt (vt interpretantur Tertullianus, Irenæus, Auguſtinus, & Damaſcenus) Euchariſtiæ ſacrificium, quod vt ait Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. oblatio munda dicitur quia *nulla offerentium indignitate aut malitia inquinari poteſt*. Ibi autem ſermonem eſſe de ſacrificio proprie dicto, conſtat ex eo quod talis oblatio per oppoſitionem comparatur cum ſacrificijs Iudaicis propriè dictis: comparatio autem fit inter res ejuſdem generis.

Secundò Daniel. 8. prædicitur Antichriſtus ablaturus *iuge ſacrificium*, nempe Chriſtianorum, quod proinde ſupponitur eo vſque futurum. Neque ibi etiam ſermo eſt de improprio ſacrificio, interno ſcilicet & inuiſibili, vt dicunt hæretici; nam illud nec tunc quidem ceſſabit, nec ſacrificium dicitur abſolute, ſed cum addito, nempe ſacrificium laudis, ſacrificium ſpiritus, ſacrificium iuſtitiæ, &c.

Tertiò Pſalm. 109. & Hebr. 7. Chriſtus dicitur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech: Sed non poteſt ſic appellari, ob ſacrificium crucis; quia cùm iſtud cruentum fuerit, deberet potiùs ratione illius dici Sacerdos ſecun-

cundùm ordinem Aaron: Ergo ſolùm ratione ſacrificij Euchariſtiæ, quod offertur in pane & vino, ſicut ſacrificium Melchiſedech. Vnde Cyprianus lib. 2. epiſt. 5. ad Cecilium: *In Sacerdote Melchiſedech ſacrificij dominici Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundùm quod Scriptura diuina teſtat r & dicit: Et M. lchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem Sacerdos Dei Summi, & benedixit Abraham.*

His locis addo alterum ex Pſalmo 71. verſu 16. deſumptum, vbi vulgata noſtra lectio ſic habet: *Erit firmamentum in terra in ſummis mo tium:* quæ alij ex Hebræo fonte ſic reddunt: *Erit particula frumenti in terra in capite montium.* Sed Rabbi Ionathas, qui ante Chriſtum natum ſcribebat, paulò aliter explicat; *Placenta* (inquit) *panis fiet ſacrificium in capitibus Sacerdotum qui ſ nt in Eccleſia.* Quibus verbis nihil potuit dici clarius, ad ſacrificium Miſſæ incruentum ſignificandum: quomodo enim placenta panis fit ſacrificium in capitibus Sacerdotum, niſi cùm hoſtia ex triticeo pane confecta, conſecratur à Sacerdotibus in Eccleſia, & poſt conſecrationem ſuper capita Sacerdotum attollitur, & adoranda populo proponitur.

His Scripturæ & patrum teſtimonis ſubiungi poteſt ratio deſumpta ex definitione ſacrificij, quod ſic deſcribitur: *Sacrificium eſt oblatio rei ſenſibilis, cum illius immutatione, facta Deo, in ſignum ſupremi eius ſuper res omnes dominij, ex legitima inſtitutione:* Sed Miſſa, ſeu cæremonia illa ſacra, quæ in Eccleſia Catholica conficitur Euchariſtia, habet

omnes illas conditiones : Ergo eſt verum & proprium ſacrificium. Minor probatur, in primis enim in Miſſa fit oblatio rei ſenſibilis, ſcilicet corporis & ſanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini. In illa quoque reperitur ſufficiens hoſtiæ immutatio, non quidem per mortem veram & realem Chriſti, ſed vel per conſumptionem ſpecierum, quæ fit à celebrante, ad quam corpus & ſanguis Chriſti amittunt eſſe Sacramentale; vel per hoc quod ex vi verborum conſecrationis, ſanguis ponitur ſeorſim à corpore, licet per concomitantiam ſimul cum eo exiſtat, vt declarabitur §. ſequenti. Item in ea eſt recognitio ſupremi Dei dominij, cùm ad hoc fiat illa oblatio & immutatio hoſtiæ. Demum illi non deeſt legitima Chriſti Domini inſtitutio, vt colligitur ex illis verbis Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus legem perpetuò duraturam de illo ſacrificio in Eccleſia offerendo conſtituit. Vnde Ambroſius lib. 1. præparat. ad Miſſam: *Ego* (inquit) *licet peccator accedo ad altare tuum, & offero ſacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerri præcipiſti.*

Confirmatur: Cùm ſacrificium ſit de iure naturæ, vt docet S. Thomas 2.2. qu. 85. art. 1. & actus religionis nobiliſſimus, nulla eſt ratio ob quam Eccleſia careat potiùs ſacrificio vero & ſibi proprio, quo publicè Deum colat, quam Synagoga, vel Eccleſia quæ fuit tempore legis naturæ: Sed verum & proprium legis gratiæ ſacrificium, non poteſt eſſe aliud quam Miſſa: Ergo illa habet veram & propriam rationem ſacrificij.

Nec

Nec valet reſponſio hæreticorum, nempè ſacrificium legis gratiæ proprium, eſſe ſacrificium crucis, & præter illud non poſſe dari aliud in lege noua; quia Chriſtus per ſacrificium crucis plenè ſatisfecit pro peccatis omnium hominum, & *conſummauit in ſempiternum ſanctificatos*, vt ait Apoſtolus ad Hebr. 10. Vnde Chriſtus vt ſignificaret ſe tali ſacrificio expleuiſſe omnia quæ ad noſtram ſalutem neceſſaria erant, antequam ſpiritum in cruce emitteret, dixit, *Conſummatum eſt*. Non valet inquam hæc reſponſio, ſacrificium enim crucis non eſt proprium legi gratiæ, ſed commune omnibus legibus, tanquam finis earum, vndè Chriſtus in cruce ſatisfecit pro peccatis hominum, non ſolùm in noua lege exiſtentium, ſed etiam pro peccatis eorum qui fuerunt in lege naturæ & in lege ſcripta, & tamen in vtraque illa lege vera fuere ſacrificia: Pariter ergo, licet Chriſtus per ſacrificium crucis plenè ſatisfecerit pro peccatis noſtris, hoc tamen non obſtat, quin in noua lege ſit aliud ſacrificium, quo talis ſatisfactio nobis applicetur, quod non poteſt eſſe aliud, quam illud quod in Miſſa offertur, & quo Chriſti paſſio repræſentatur & rememoratur. Verba autem illa, *Conſummatum eſt*, quæ Chriſtus antequam ſpiritum emitteret protulit, ab illo dicta ſunt, tum ob conſummationem ſcripturarùm, & figurarum veteris legis, quæ omnes in Chriſti morte fuerunt verificatæ & adimpletæ; tum propter ſingularem paterno præcepto exhibitam de morte ſubeunda obedientiam; ille enim, vt ait Apoſtolus, *fuit obediens vſque ad mortem*;

imò, vt dicit Bernardus, ne perderet obedientiam, perdidit vitam.

Obijciunt in primis hæretici: Chriſtus Dominus Samaritanæ interroganti, an deberet Deus coli & adorari in templo Ieruſalem, vel monte Garizim? Reſpondet Ioan. 4. *Mulier crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem.* Et ſubdit rationem: *Quia veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*: Ergo Chriſtus pro lege noua ſolùm conſtituit ſacrificia ſpiritualia & inuiſibilia, non externa & viſibilia.

Reſpondeo Chriſtum in illo colloquio cum Samaritana, ſolùm declarare voluiſſe, quod neque in monte illo, neque in Ieruſalem, impoſterum adoraretur aut coleretur Deus ſacrificijs carnalibus Iudæorum, non tamen negaſſe futuram aliam adorationem & ſacrificium, quod omnino ſpirituale eſſet quoad ſuam virtutem, & modum exiſtendi rei oblatæ, nempe ſacrificium Euchariſtiæ, in quo Chriſtus inuiſibili & ſacramentali modo continetur, licet ſit viſibile ex parte ſpecierum quibus continetur, & cæremoniarum quibus celebratur. Vnde qui hoc ſacrificio Deum colit, in ſpiritu & veritate adorat.

Obijciunt ſecundò: Chriſtus Pſalm. 109. & ad Hebræ. 7. dicitur Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſubindeque nullos habet ſui Sacerdotij in lege gratiæ ſucceſſores, vt enim ibidem ait Apoſtolus, *plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere*: Ergo cùm ſacrifi-

crificium & ſacerdotium ſibi mutuo correſpondeant, nullum verum & propriè dictum datur in lege gratiæ ſacrificium.

Reſpondeo quod licet ex eo quod Chriſtus ſit Sacerdos in æternum, non habeat ſucceſſores in ſacerdotio, & conſequenter in lege gratiæ nulli ſint Sacerdotes paris cum eo poteſtatis, non tamen inde fit quod nullos habeat Sacerdotes, vicarios, miniſtros, & diſpenſatores; quin potiùs cùm iam non fungatur ſuo Sacerdotio per ſe & immediatè offerendo ſacrificia, neceſſe eſt quod habeat plures vicarios per quos hoc faciat. Neque repugnat vnitati Sacerdotij Chriſti, plures habere in terris miniſtros, qui vice ipſius viſibile offerant ſacrificium: Sicut licet Chriſtus vnus ſit Doctor & Magiſter, vt dicitur Matth. 23. hoc tamen non impedit, quin plures habeat in terris miniſtros; qui vice ipſius doceant, & gregem verbo & doctrina paſcant.

Ex dictis intelliges, Euchariſtiam habere ſimul rationem ſacramenti, ſacrificij, & teſtamenti. Eſt enim Sacramentum, quatenus ordinatur in noſtram ſanctificationem: ſacrificium, inquantum offertur Deo in recognitionem ſupremi dominij quod habet in vitam & in mortem; & teſtamentum, quatenus eſt inſtrumentum authenticum diuinæ voluntatis, & promiſſionis vitæ æternæ: Sicut Exodi 24. Sanguis victimarum effuſus ſuper populum, fuit ſimul ſacrificium & teſtamentum; & ſicut agnus paſchalis in antiqua lege ſimul rationem Sacramenti & ſacrificij habuit, Vnde malè inferunt Hæretici, Euchari-

riſtiam non eſſe ſacrificium, ex eo quod habet rationem teſtamenti, & Sacramenti.

§. II.

Eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtit in conſecratione, vt dicente ordinem tranſcendentalem ad ſumptionem tanquam ad finem & terminum extrinſecum.

PRobatur primò: Eſſentia ſacrificij Miſſæ non poteſt conſiſtere in oblatione quæ fit poſt conſecrationem, cùm per talem oblationem nulla fiat immutatio rei oblatæ, quæ tamen eſt de ratione ſacrificij. Neque in fractione hoſtiæ conſecratæ in tres partes, quæ fit à Sacerdote ante ſumptionem, quia fractio iſta ſolùm eſt circa ſpecies panis: actio autem ſacrificatiua debet complecti vtramque ſpeciem, cum ſacrificium Miſſæ ſit ſecundum ordinem Melchiſedech, qui panem & vinum in ſacrificium obtulit. Addo quod talis fractio hoſtiæ non eſt ex inſtitutione Chriſti, ſed ſolùm cæremonia quædam ab Eccleſia inſtituta. Neque in ſumptione, tanquam in parte intrinſeca & eſſentiali, quia ſacrificium fit in Perſona Chriſti, qui eſt principalis offerens & Sacerdos: Sumptio autem non eſt actio facta in perſona Chriſti, ſed in perſona ipſius ſumentis, & pro ſuo beneficio. Neque in conſumptione ſpecierum, actio enim quæ eſt eſſentialis ſacrificio, debet fieri in altari, ſiquidem in altari offertur ſacrificium: conſumptio autem ſpecierum non fit in altari, ſed in ſtomacho, vi caloris naturalis,

Sed

Sed præter iſtas quatuor actiones nulla alia aſſignari poteſt, in qua eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtat, præter conſecrationem. Ergo in illa eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtit.

Probatur ſecundò: Ad completam & adæquatam ratione ſacrificij duo tantùm requiquiruntur, oblatio nimirum, & immutatio victimæ, vt ex eius definitione ſupra relata conſtat: Sed vtrumque in conſecratione reperitur, oblatio quidem, quia non eſt neceſſe vt Sacerdotes in actu ſignato ſignificet ſe hoſtiam offerre, dicendo, *ego offero*, vel *offerimus maieſtati tuæ*, ſed ſufficit vt in actu exercito victimam ſiſtat & præſentet Deo: quemadmodum Chriſtus ſeſe in cruce obtulit, non tam verbis quam factis, moriendo ſcilicet pro Dei gloria & pro noſtra ſalute. Et ſicut in lege veteri ouis iugulatio aut combuſtio, facta ad cultum Dei, erat oblatio realis & exercita, ſufficiens ad rationem ſacrificij. Immutatio verò, quia actio ſeparans ſanguinem à ſubſtantia viuentis, eſt immutatiua & deſtructiua illius: conſecratio autem per ſe loquendo: ex vi verborum, ſanguinem ſeparat à corpore Chriſti; nam per conſecrationem panis, ex vi verborum ponitur ſolum corpus; & per conſecrationem calicis, ſolùs ſanguis, ita vt veluti per accidens ſit reſpectu conſecrationis, quod illa peracta ſanguis reperiatur in corpore Chriſti. Vnde conſecratio quantùm eſt de ſe, eſt myſtica quædam mactatio Chriſti, & myſtica quædam effuſio ſanguinis eius, *per gladium verborum*, vt Cyrillus loquitur: Ergo conſecratio habet quidquid requiritur ad com-

ple-

pletam & adæquatam rationem ſacrificij.

Quod autem illa, vt conſtituit eſſentiam ſacrificij Miſſæ, dic.t ordinem tranſcendentalem ad ſumptionem, tanquam ad finem & terminum extrinſecum, ex eo patet, quod hoc ſacrificium habet rationem cibi & potus, vnde ſub ſpeciebus panis & vini offertur: Atqui ſumptio eſt finis & terminus extrinſecus alimenti: Ergo pertinet ad hoc ſacrificium, tanquam finis & connotatum extrinſecum; & licet non ſit pars eſſentialis illius, eſt tamen aliquo modo de eius integritate, ideoque eius perfectio & conſumptio dicitur. Vnde D. Thomas hic quæſt. 83. art. 6. ad 3. ait quod ſi contingat in calice conſecrato venenum eſſe, non debet ſumi, ſed in aliquo vaſe ſanguis Chriſti reponendus eſt, & aliud vinum conſecrandum, vt ſacrificium perficiatur. Ipſa etiam Eccleſiam, in caſu quo contingeret Sacerdotem mori ante ſumptionem ſpecierum, ſtrictè præcipit, vt alius Sacerdos, etiam non ieiunus, propter integritatem & perfectionem ſacrificij, ſpecies conſecratas ſumat.

Obijcies primò: Sacrificium eſt eſſentialiter actio victimam immutans & deſtruens: At in ſacrificio Miſſæ, conſecratio non deſtruit victimam, nimirum corpus Chriſti, ſed potiùs illud ponit ſub ſpeciebus: Ergo Miſſæ ſacrificium non conſiſtit in conſecratione.

Reſpondeo negando Maiorem, ad rationem enim ſacrificij non requiritur eſſentialiter actualis immutatio & deſtructio victimæ, ſed ſufficit quod ex modo quo offertur, ſequi

qui debeat mors victimæ connaturaliter; quamuis de facto non ſequatur. Si enim in veteri lege, poſt illatum vulnus lethale, Deus miraculosè conſeruaſſet victimam, adhuc verum ibi fuiſſet ſacrificium; quia ex quo vulnus illud fuiſſet lethale, non minùs illa actio ſignificaſſet dominium Dei in vitam & in mortem, quam ſi de facto ſecuta fuiſſet mors. Item ad martyrium, quod ſe habet ad inſtar ſacrificij, non requiritur eſſentialiter quod actu ſequatur mors, ſed ſufficit ta'e vulnus infligi, quod de facto per ſe natum ſit inferre mortem, quamuis ex aliquo accidenti illa impediatur. Cùm ergo conſecratio, quantùm eſt de ſe, ex vi verborum, habeat ſeparare ſanguinem à corpore Chriſti, quamuis de facto non deſtruat Chriſtum, habet veram rationem ſacrificij, quia, quantùm eſt de ſe, eſt actio immutatiua & deſtructiua victimæ; verba enim in definitionibus (vt dicunt Philoſophi) non dicunt actum, ſed aptitudinem. Addo quod per conſecrationem fit aliqua deſtructio victimæ, non phyſica & perfecta, ſed imperfecta & moralis, vt declarabitur in reſponſione ad obiectionem ſequentem.

Obijcies ſecundò: Sacrificatio ſupponit eſſentialiter rem ſacrificandam: Sed conſecratio non ſupponit, ſed ponit corpus Chriſti ſub ſpeciebus: Ergo non eſt ſacrificatio, vel ſacrificium corporis Chriſti, quod fit in celebratione Miſſæ.

Reſpondeo negando Maiorem, quia non eſt vniuerſaliter verum quod ſacrificatio præſupponat rem ſacrificandam, cùm in ſacrifi-

cio

cio Thymiamatis offerretur ſuffitus ſeu vapor ſuauè olens, ipſa ſacrificatione productus. Similiter in ſacrificio Miſſæ eadem actio poteſt eſſe productio victimæ, & immutatio illius, ſecundùm diuerſas rationes & formalitates. Vnde in conſecratione tres formalitates diſtinguendæ ſunt, quarum vna præcedat aliam prioritate aliqua rationis. In primis enim conſecratio habet quod ſit actio productiua, & præparatiua victimæ, quatenus eſt conuerſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti. Secundò, quatenus per eandem actionem victima præſentatur Deo in actu exercito, in honorem & cultum ipſius habet rationem oblationis. Tertiò eadem conſecratio habet quod ſit immutatiua & deſtructiua victimæ, quatenus, quantùm eſt de ſe, & ex vi verborum, producit corpus ſeparatum à ſanguine, & ponit illud ſub ſpeciebus, modo quodam mortuo, inepto ad ſuas functiones naturales, & ordinato ad deſtructionem; cùm ibi ponatur per modum cibi & potus ordinati ad conſumptionem, eoque fine vt conſumptis ac corruptis ſpeciebus, ibi eſſe deſinat: quæ deſtructio, licet non ſit perfecta & phyſica, ſed solùm imperfecta & moralis, ſufficit tamen ad rationem ſacrificij, vt patet ex libamine, quo vinum olim libari & ſacrificari ſolebat, non per deſtructionem Phyſicam, ſed moralem; id eſt per effuſionem in terram, qua vinum morali iudicio cenſebatur deſtructum, quia factum inutile ad humanos vſus. Cœterùm tres illæ eiuſdem actionis formalitates, hunc habent inter ſe ordinem, vt ſecunda ſupponat pri-

primam, & vtraque antecedat tertiam.

Ex dictis colligitur primò, in Paraſceue non fieri propriè ſacrificium, ſed ſolùm conſumptionem hoſtiæ, præcedenti die conſecratæ, quæ dicitur ſacrificium impropriè, ratione cæremoniarum, cùm cæremonijs ſacrificij conuenientium. Vnde Hugo Victorinus ſecundo codice Miſcellaneorum lib. 5. *Hodie non ſacrificamus, dum hoſtia de manibus tollitur: non ſacrificant amici, dum trucidant inimici.*

Colligitur ſecundò, ſacrificium Miſſæ eſſe Latreuticum, Euchariſticum, propitiatorium, & impetratorium, nam reddit Deo cultum & honorem infinitum, ob ſummam eius excellentiam: Reddit illi gratias pro acceptis beneficijs: valet etiam ad peccatorum remiſſionem, & pœnarum relaxationem, nec non ad varia beneficia ſpiritualia & temporalia impetranda, ſubindeque omnes differentias & ſpecies veterum ſacrificiorum perfectiſſimè continet. Vnde Eccleſia oratione ſecreta, poſt ſeptimam Dominicam Pentecoſtes, ſic ait: *Deus qui legalium differentiam victimarum, vnius ſacrificij perfectione ſanxiſti.*

Quæres, an valor huius ſacrificij ſit infinitus? Reſpondeo illum eſſe infinitum quantùm ad ſufficientiam, non verò quantùm ad efficaciam, eſt enim idem numero cum ſacrificio crucis, ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, quamuis in ritu & modo offerendi differat, vt docet Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. Atqui ſacrificium crucis eſt valoris infiniti, quantum ad ſufficientiam,

quia

quia non poteſt in nobis tot merita & ſatisfa-ctiones cauſare, quin poſſit ad plures in infi-nitum ſe extendere: Ergo & ſacrificium Miſſæ. Nec obſtat quod illud offeratur Sa-cerdotum miniſterio, quia illi non ſunt principales offerentes, ſed Chriſtus. Vnde egregiè Chryſoſtomus homil. 2. in epiſt. 2. ad Timotheum: *Volo quiddam dicere planè mirabile. Quid vero iſtud eſt? Sacra ipſa oblatio, ſiue illam Petrus, ſiue Paulus, ſi-ue cuiuſuis meriti Sacerdos offerat, eadem eſt, quam dedit Chriſtus ipſe Diſcipulis, quam-que Sacerdotes modo conficiunt, nihil habet iſta quàm alia minus, Cur id? Quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui illam antea ſacrauerat.*

Quod verò valor huius ſacrificij non ſit infinitus quantum ad efficaciam, conſtat eo-dem exemplo paſſionis Chriſti, quæ licet in genere meriti & ſatisfactionis ſit valoris infiniti, nullum tamen in nobis infinitum effectum actu operatur, quia ſe habet per modum cauſæ vniuerſalis in ordine ſuperna-turali, quæ non agit niſi iuxta menſuram diſpoſitionis ſubiecti. Idem de ſacrificio Miſ-ſæ dicendum eſt: Vnde Sanctus Thomas hic quæſt. 79. artic. 5. dicit, quod *quamuis hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatiſfa-ciendum pro omni pæna, tamen fit ſatisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, ſecundùm quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pæna.*

Ex his intelliges, ſacrificium oblatum pro pluribus, æquè prodeſſe cuilibet, ac ſi pro vno tantum offeratur, cum infinitus valor hu-

huius ſacrificij nunquam exhauriri poſſit, vt rectè docet Caietanus tomo 3. opuſc. Tract. 3. quæſt. 2. Ex hoc tamen inferre non licet, Sacerdotem pro vna Miſſa poſſe plura ſtipendia accipere, ſtipendia enim non dantur celebranti tanquam pretium fructus ſacrificij, ſed tanquam eleemoſyna ad vitam ſuſtentandam, vel tanquam pretium miniſterij quod exhibet, cui tanta compenſatio non debetur, ſed ea ſolùm quæ à lege vel conſuetudine taxata eſt.

Vnde ſacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, prohibuit plura ſtipendia pro vna Miſſa accipere, tametſi illa incongrua & exigua ſint; quia Sacerdos ceſſit iuri quod habet petendi ſtypendium congruum, eo ipſo quod incongruum pro celebranda Miſſa acceptauit. Illa etiam definiuit die 21. Iulij anni 1625. non poſſe Sacerdotem pinguia ſtypendia pro Miſſis recipere, & procurare, vt per alia ſtypendia minora, alijs Sacerdotibus Miſſæ celebrentur, retinendo ſibi quod ſupra iuſta & congrua ſtypendia ſupereſt. Item declarauit tempore Pauli V. non licere Sacerdoti anticipatè dicere Miſſas pro his qui ſibi poſtea offerrent ſtypendia, & ita quando dantur eleemoſynæ, ſatisfacere applicando Miſſas iam dictas illa intentione Demum die 25. Ianuarij anni 1659. in eadem Sacra Congregatione proſcripta & damnata fuit ſententia quorundam recentiorum Caſuiſtarum, aſſerentium licitum eſſe Sacerdoti prò aliquo Miſſam, recepta eleemoſyna, celebranti, aliam eleemoſynam quoque accipere ab altero, pro appli-

catione fructus ſacrificij ipſi celebranti debiti, cui ipſe renunciat, & alteri cedit. Tum quia valde incertum eſt, an poſſit fructus ille Sacerdo i proprius, alteri applicari, videtur enim eſſe beneficium perſonale, & alteri incommunicabile. Tum etiam, quia eſto applicabilis ſit, valde tamen ſcandaloſum eſt, quod Sacerdos huic fructui ſpirituali, prop er modicam pecuniæ ſummam renunciet, & rem ſpiritualem in auaritiæ turpe lucrum commutet.

TRA-

TRACTATVS V.

DE
SACRAMENTO
POENITENTIÆ,
ET EXTREMÆ
VNCTIONIS.

SIcut ſupernaturalis animæ vita Baptiſmo confertur, Confirmatione roboratur Euchariſtia nutritur; ita per peccatum extincta, Sacramento Pœnitentiæ reuiuiſcit & effloreſcit. Qua de cauſa Sacramentum mortuorum dicitur, & ſecunda poſt naufragium tabula, quæ vt ait Tertullianus lib de Pœnitentia cap 4. *Hominem peccatorum fluctibus merſum proleuat, & in portum diuinæ clementiæ protelat.* Illa (ſubdit idem Auctor) *cùm prouoluit hominem, magis releuat; cum ſqualidum facit, magis mundatum reddit; cum accuſat, excuſat; cùm condemnat, abſoluit.* Plura etiam habet Chry-

ſoſtomus lib. 2. de Pœnitentia, in laudem & commendationem huius virtutis & Sacramenti; hæc tantùm verba hic deſcribam: *O Pœnitentia quid noui de te referam? Omnia ſoluta tu referas, omnia aduerſa tu mitigas, omnia contrita tu ſanas, omnia confuſa tu lucidas, omnia diſperata tu animas. O pænitentia rutilantior auro, ſplendidior ſole: quam non vincit peccatum, nec defectio ſuperat, nec deſperatio delet. O Pœnitentia miſericordiæ mater, & magiſtra virtutum, &c.*

Porro cùm Pœnitentia inter reliqua ſacramenta hoc habeat ſingulare, quod non ſolùm ſacramentum ſit, ſed etiam virtus animæ; illæque duæ rationes in noua lege adeò ſint coniunctæ, vt nec virtus prodeſſe valeat ſine ſacramento, vel ordine ad ſacramentum, nec ſacramentum ſine virtute conſiſtere: de pœnitentia ſub vtraque ratione conſiderata, breuiter hic diſputandum eſt; & vt methodo ac ordini S. Doctoris inhæreamus, priùs agenpum de illa vt habet rationem ſacramenti, quam vt habet rationem virtutis.

CAPVT I.

De Pœnitentia vt eſt Sacramentum;

§. I.

Exiſtentia huius Sacramenti.

Dico primò, datur in Eccleſia verum ac ſpeciale Sacramentum Pœnitentiæ, habens

bens vim remittendi peccata. Eſt contra Nouatianos, & modernos hæreticos, qui diuerſis è diametro oppoſitis motiuis, Sacramentum pœnitentiæ de medio tollere moliti ſunt illi in deſperationem homines inducentes, nullum dicebant dari in Eccleſia remedium, quo peccata poſt baptiſmum commiſſa remittantur, qui idcirco crudeles à Patribus appellati ſunt. *Quis ante crudeliſſimum Nouatianum* (inquit Vincentius Lirinenſis) *crudelem Deum dixit, eò quòd mallet mortem morientis, quam vt reuertatur & viuat?* E contra verò Lutherani & Caluiniſtæ, de diuina clementia præſumentes, pœnitentiæ & confeſſionis neceſſitatem penitùs tollunt, exiſtimantes ſolam memoriam baptiſmi iam ſuſcepti, cum fide remiſſionis peccatorum, ſufficere ad eorum remiſſionem, ſubindeque vel pœnitentiam non eſſe Sacramentum nouæ legis, vel non eſſe diſtinctum à baptiſmo.

Probatur primò concluſio ex Scriptura Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta ſunt*: Quibus verbis, ex communi ſenſu Patrum, Chriſtus dedit Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata, perpetuam, ac permanentem, & exercendam modo viſibili & hominibus accommodato, id eſt per ſignum aliquod ſenſibile, ex ſua inſtitutione habens vim ſignificandi & cauſandi remiſſionem peccatorum, quod proinde ſit verum Sacramentum.

Probatur ſecundò ratione D. Thomæ hic quæſt. 85. art. 1. Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis hominem: Sed in pœnitentia quæ fit in Eccleſia ſignificatur aliquid

ſacrum, hominem ſanctificans, tàm ex parte pœnitentis peccata confitentis, quàm Sacerdotis abſoluentis; quia actus pœnitentis, quibus dolorem ſuum declarat, & peccatum ſuum confitetur, ſignificant cor eius à peccato receſſiſſe; actus etiam Sacerdotis abſoluentis à peccatis, aliquid ſanctum, prout ſanctum, ſeu prout ſanctificans, ſignificant, ſcilicet remiſſionem peccatorum: Ergo pœnitentia quæ fit in Eccleſia, eſt Sacramentum propriè dictum.

Quod verò illud ſit diſtinctum à Baptiſmo, ex eo patet quod Sacramenti vtriuſque ritus diuerſus eſt; nam baptiſmus iterari non poteſt, cùm tamen pœnitentia iterabilis ſit. Vnde SS. Patres apertè hæc Sacramenta diſtinguunt: Tertullianus enim de pœnit. cap. 12. ſic ait: *Cùm ſcias aduersùs gehennam, poſt prima illa intinctionis dominicæ monimenta* (id eſt poſt baptiſmum) *eſſe adhuc in exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? cur ceſſas aggredi quod ſcias mederi tibi?* Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdot. *Non ſolùm Sacerdotes regenerant, ſed etiam condonandorum peccatorum obtinent poteſtatem.* Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioan. cap. 56. *Duobus modis Dei ſpiritu pleni vel afflati homines, peccata remittunt ac retinent; vel cùm dignos admittunt ad baptiſmum, ac indignos excludunt; vel cùm filios Eccleſiæ corripiunt, ac pænitentibus ignoſcunt.* Demum Auguſtinus lib. 2. de adulterinis coniug. cap. 16. *Si homicidium à Catechumeno factum ſit, baptiſmo abluitur; ſi autem à baptizato, pænitentia & reconciliatione ſanatur.*

Præ-

Præcipuum Nouatianorum fundamentum deſumptum erat ex duobus Apoſtoli teſtimonijs, quibus videtur docere, nullum pro peccatis poſt baptiſmum commiſſis, dari in Eccleſia Chriſti remedium, quo expiari & deleri poſſint. Primum habetur ad Hebræos 6. vbi ſic ait Apoſtolus: *Impoſſibile eſt eos qui ſimul illuminati ſunt, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi: & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Secundum ſumitur ex cap. 10. eiuſdem epiſtolæ, vbi ſic dicitur: *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios.*

Verùm ad hæc reſpondetur, ſenſum verborum Apoſtoli in priori teſtimonio eſſe, impoſſibile eſſe ſemel illuminatos, id eſt baptizatos, rurſus renouari ad pœnitentiam, id eſt iterum baptizari, vt exponunt Chryſoſtomus, Theodoretus & Theophilactus in eundem locum, & D. Thomas hic quæſt. 85. artic. 10. ad 1. vbi ſic ait: *Quia apud Iudæos erant ſecundùm legem quædam lauacra inſtituta, in quibus pluries ſe ab immunditijs purgabant, credebant aliqui Iudæorum quod etiam per lauacrum baptiſmi aliquis pluries purificari poſſit: ad quod excludendum Apoſtolus ſcribit Hebr. 6. quod impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, ſcilicet per baptiſmum, rurſum renouari ad pœnitentiam ſcilicet per baptiſmum,*

qui eſt lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, vt dicitur ad Titum 3. Et rationem aſſignat ex hoc quod per baptiſmum homo Chriſto commoritur, vnde ſubdit: Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei. Eodemque ſenſu in ſecundo teſtimonio dicitur, voluntariè peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, non relinqui hoſtiam pro peccatis, hoc eſt aliam Chriſti mortem, quæ per baptiſmum repræſentetur, & iterum applicetur ad integram remiſſionem culpæ totius & pœnæ. Videtur etiam Paulus in hoc ſecundo loco loqui de aliquibus Iudæis, vacillantibus in fide, volentibuſque legem Moyſis & Chriſti coniungere, ibique aſſerere, id genus hominibus nullam iam reſtare hoſtiam pro peccato; quia neque deficientibus à Chriſto ad Moyſem, iam prodeſt hoſtia in cruce oblata; neque etiam illæ quæ offerebantur in lege veteri, quippe quæ iam abolitæ ſunt per legem Chriſti, & per hoſtiam in cruce oblatam.

Lutheranorum verò & Caluiniſtarum fundamenta præcipùa, ſumuntur ex aliquibus Auguſtini teſtimonijs malè intellectis, præſertim ex illo quod ait tract. 70. in Ioann. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Ex quo ſic arguunt: Ad omne Sacramentum requiritur verbum & elementum: Sed in pœnitentia nullum eſt elementum: Ergo nec Sacramentum. Sed facilè reſpondetur, ibi Auguſtinum non loqui de quocumquè Sacramento, ſed ſolùm de baptiſmo, vt ex textu manifeſtum eſt. Quod ſi dictum illud extendatur ad alia nouæ legis

Sa-

Sacramenta, non debet ſumi elementum ſtri-ctè & propriè (alioquin nequidem Euchariſtia eſſet Sacramentum, cum panis & vinum, quæ ſunt eius materia, non ſint elementum ſtrictè & propriè) ſed per ly *elementum*, intelligenda eſt quæcumque res ſenſibilis à Chriſto inſtituta, in quo ſenſu dicere poſſumus, verbum in Sacramento Pœnitentiæ, nempe abſolutionem Sacerdotis, accedere ad elementum, ſcilicet ad confeſſionem peccatorum, & fieri Sacramentum.

Obijciunt inſuper: Auguſtinus lib. 1. de nuptijs & concupiſcentia cap. 33. ait quod *lauacro regenerationis non tantùm peccata præterita, ſed etiam poſteriùs admiſſa remittuntur*: Ergo non indigemus Sacramento Pœnitentiæ diſtincto à baptiſmo, ad obtinendam remiſſionem peccatorum, ſed ad hoc ſufficit baptiſmus in memoriam reuocatus, per quam excitetur fides qua peccata remittuntur. Vnde Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 30. vocat baptiſmum, *Sacramentum fidei & pænitentiæ*.

Reſpondeo Auguſtinum tribuere baptiſmo peccata poſt eius ſuſceptionem admiſſa tollere, non proximè & formaliter, ſed remotè & radicaliter, quatenus per baptiſmum, qui eſt ianua omnium Sacramentorum, capaces reddimur ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, per quod remittuntur nobis peccata poſt baptiſmum commiſſa. Quod autem hæc interpretatio legitima ſit, patet tum ex his verbis quæ ibidem ſubijcit: *Quid enim prodeſſet vel ante baptiſmum pænitentia, niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcede-*

cederet? Tum etiam, quia epiſt. 23. apertè docet aliquod Sacramentum à baptiſmo diſtinctum, neceſſarium eſſe ad delenda peccata poſt baptiſmum commiſſa: ait enim, *ſi paruulus baptizatus, grandæuus factus, propria incœperit habere peccata, per quam gratiam remittentur? Non regeneratione, ſed alia curatione reſarciri poſſunt.* Ad Fulgentium verò facilè reſpondetur, ideò illum appellare baptiſmum, Sacramentum Pœnitentiæ quia actus aliquis virtutis pœnitentiæ neceſſarius eſt ad legitimam illius ſuſceptionem, reſpectu adultorum qui mortaliter peccarunt antequam baptizarentur, vt colligitur ex Act. 2. vbi Petrus ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.*

§. II.

Inſtitutio huius Sacramenti.

Dico ſecundò, hoc Sacramentum immediatè à Chriſto inſtitutum eſſe. Patet ex dictis in Tractatu de Sacramentis in communi cap. 5. vbi oſtendimus omnia nouæ legis Sacramenta fuiſſe à Chriſto inſtituta, iuxta illud Ambroſij lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Author Sacramentorum quis eſt, niſi Dominus Ieſus?* Conſtat etiam ex Tridentino ſeſſ. 14. can. 1. vbi ſic habetur: *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe verè & propriè Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit.*

Ratio etiam ſuffragatur: Cùm enim fides & Sacramenta ſint baſes & fundamenta Eccle-

cleſiæ, ad illum ſolùm pertinet condere articulos fidei, & inſtituere Sacramenta, qui eſt caput & fundator Eccleſiæ. Vnde ſicut Eccleſia non poteſt nouos fidei articulos edere, aut editos remouere; ita nec noua Sacramenta inſtituere, aut inſtituta abolere, vel commutare, ſed hoc ſolius Chriſti eſt, qui eſt Eccleſiæ fundator, & in quo reſidet poteſtas excellentiæ reſpectu inſtitutionis Sacramentorum. Et hoc præcipuè verum eſt de Sacramento Pœnitentiæ, in quo fit remiſſio peccatorum; quia in remiſſione peccatorum maximè ſplendet ac refulget diuina omnipotentia, iuxta illud quod in quadam collecta canit Eccleſia: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas*. Cuius dicti tres egregias rationes affert D. Thomas 1.p. quæſt. 23. art. 3. ad 3. vbi legendus eſt.

Quærunt hic Theologi, quo tempore Chriſtus hoc Sacramentum inſtituerit? Sed hanc difficultatem reſoluit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. his verbis: *Dominus Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, Cùm a mortuis excitatus, inſufflauit in Diſcipulos dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ratio etiam id ſuadet, cùm enim Sacramentum pœnitentiæ ſit ſpirituale iudicij tribunal, tunc verè inſtituitur, cùm Sacerdotibus confertur iudiciaria poteſtas ad ſoluendum vel condemnandum, iuxta merita delinquentis: Sed poteſtas illa traditur Ioan. 20. verbis allegatis: Ergo tunc inſtituitur pœnitentiæ Sacramentum.

Obſeruandum eſt autem, ſacram Synodum dixiſſe, quod Chriſtus *Sacramentum pænitentiæ tunc præcipuè inſtituit*, quia nimirum alijs locis Sacramentum illud Saluator inſinuauit, vt cùm eius neceſſitatem indicauit, & ligandi ſoluendique poteſtatem Diſcipulis, & Petro claues regni cœlorum, ſe largiturum promiſit: præcipuè tamen illud inſtituit Ioan. 20. cùm verba ſupra relata protulit, qùia vt diximus, tunc tribunal pœnitentiæ erexit, attributa Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, iudiciaria remittendorum, retinendorumque peccatorum poteſtate.

Si autem quæras, cur Chriſtus huius Sacramenti inſtitutionem poſt reſurrectionem ſuam differre voluerit, cùm tamen alia Sacramenta ante mortem & paſſionem ſuam inſtituerit? Reſpondebo, nullam aliam poſſe aſſignari rationem à priori, quam voluntatem ipſius inſtituentis, duas tamen afferri poſſe congruentias. Prima eſt, quia reſurrectio Chriſti eſt typus & exemplar noſtræ iuſtificationis, iuxta illud Pauli ad Roman. 4. *Traditus eſt propter noſtra delicta, & reſurrexit propter noſtram iuſtificationem*, id eſt, vt perfectum iuſtificationis exemplar nobis exhiberet. Sicut enim Chriſtus citò, verè, & perfectè, ſeu non iterum moriturus, reſurrexit: ita peccator debet per pœnitentiam citò à peccatis reſurgere, neque eam differre de die in diem, & verè ac ſincerè ad Deum conuerti, ac non mori iterum morte peccati, nam *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur*, vt ait idem Apoſtolus. Secunda ſumitur ex D. Thoma ſuper cap. 20. Ioan. vbi

ait,

ait, quod cùm remiſſio peccatorum fiat media charitate, & Spiritus Sanctus ſit charitas, non fuit conueniens Apoſtolos recipere virtutem remittendi peccata, quouſque per myſticam illam Chriſti ſufflationem, quæ ſolùm contigit poſt eius reſurrectionem, Spiritum Sanctum recipiſſent.

Ex dictis colligitur, Sacramentum pœnitentiæ immediatè à Chriſto inſtitutum eſſe, non ſolùm quantùm ad formale, ſeu quantùm ad poteſtatem abſoluendi à peccatis, ſed etiam quantùm ad materiale, ſiue quantùm ad confeſſionem peccatorum; cùm enim illa ſit aliqua pars huius Sacramenti, ſi non eſſet immediatè à Chriſto inſtituta, totum Sacramentum non poſſet dici à Chriſto inſtitutum. Vnde Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. ſic ait: *Ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ, iam explicata, vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem.* Quare falſum eſt quod ait Caluinus, neceſſitatem confeſſionis primò inductam eſſe ab Innocentio III. cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, nam ibi ſolùm determinauit tempus annuæ confeſſionis, & prauam aliquorum conſuetudinem, qui in plures annos confeſſionem & communionem differebant, correxit. Imponit etiam Caluinus, cum ait, confeſſionem priuatam à Nectario Patriarcha Conſtantinopolitano fuiſſe abrogatam. Neque enim illam, ſed publicam tantum ſuſtulit, & Pœnitentiarium publicum illi præfectum, occaſione ſcandali, à peccato publicato nobilis cuiuſdam fœminæ cum Diacono, orti. De eadem publica

confeſſione intelligendus eſt Chryſoſtomus Nectarij ſucceſſor, dum ait homil. 2. in Pſal. 50. *Peccata tua dicito, vt deleas illa. Si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico vt confitearis conſeruo tuo, vt exprobret. Dicito Deo qui nouit ea.* Hæc enim verba, *vt exprobret*, apertè indicant, illum loqui de confeſſione publica, ex qua opprobrium & confuſio pœnitentium ſequi ſolebat, quamque Nectarius eius prædeceſſor ſuſtulerat. Neque obſtat quod dicat confeſſionem ſoli Deo eſſe faciendam, per hoc enim non excludit Sacerdotem, quia cùm ille confeſſionem audiat, & à peccatis abſoluat, vt Chriſti vicarius, non condiſtinguitur ab ipſo Chriſto, vnde confeſſio facta Sacerdoti, ſoli Deo cenſetur fieri. Sicut propter hanc rationem de Euchariſtia loquens homil. 50. in Matth. ait: *Cùm Sacerdotem videris tibi exhibentem, ne Sacerdotem id facere putes, ſed Chriſti manum eſſe exiſtima quæ ſe extendit. Miniſter enim eſt Sacerdos.* Quod & confirmat exemplo baptiſmi, his verbis: *Quemadmodum quando baptizat Sacerdos non ipſe te baptizat, ſed Deus eſt . . . . Ipſius ſolius eſt donum.*

§. III.

Materia & forma huius Sacramenti.

MAteriam proximam Sacramenti pœnitentiæ eſſe actus pœnitentis, contritionem confeſſionem, & ſatisfactionem, docet expreſsè Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. Nec refert quod tales actus *quaſi materiam* appellet;

nam

nam vt ait Catechiſmus Romanus de Sacram. pœnit. num. 14. *Non ideò hi actus quaſi materia à Sancta Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant, ſed quia eius generis materia non ſint, quæ extrinſecùs adhibeatur, vt aqua in baptiſmo, & chriſma in confirmatione.*

Ratio etiam ſuffragatur: nam Sacramentum pœnitentiæ exercetur per modum iudicij emendatiui, & reconciliatiui, vt patet ex illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* &c. Sed materia iudicij emendatiui eſt accuſatio, dolor, & ſatisfactio; nam ad iudicium emendatiuum requiritur accuſatio rei, & manifeſtatio delicti, quæ conſiſtit in confeſſione. Requiritur etiam vt reus manifeſtet ſua delicta cum dolore, alioquin manifeſtatio peccatorum, deficiente dolore, eſſet ſimplex narratio, & gloriatio in delictis. Item ad integritatem iudicij pertinet punitio ſeu ſatisfactio pro delicto: Ergo materia proxima Sacramenti pœnitentię ſunt actus pœnitentis, contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Ex quo ſequitur, peccata quæ in confeſſione aperiuntur, eſſe materiam remotam huius Sacramenti, tum quia materia remota dicitur illa circa quam verſatur materia proxima; tum etiam, quia crimen de quo agitur in iudicio, dicitur eſſe illius materia. Quantùm verò ad formam huius Sacramenti, Florentinum & Tridentinum docent, illam conſiſtere in verbis abſolutionis à Sacerdote prolatis, idque ratio ſuadet, nam in iudicio ſententia iudicis ſe habet tanquam forma, quia eſt veluti complementum & conſummatio illius.

Ex his ſequitur contra Scotum & alios, non ſolam abſolutionem, ſed etiam contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, eſſe partes intrinſecas huius Sacramenti; quia in omni compoſito artificiali, quale eſt Sacramentum, materia & forma ſe habent vt partes intrinſecæ, omneque iudicium intrinſecè conſtat ex accuſatione rei, & ſententia Iudicis, Satisfactio tamen non eſt pars eſſentialis huius Sacramenti, ſed ſolùm integralis, vt docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. De quo infra, cùm de ſatisfactione.

Licet autem Sacerdos non producat materiam huius Sacramenti, in actibus pœnitentis conſiſtentem, dicitur tamen hoc Sacramentum miniſtrare, illudque efficere; quia ad hoc ſufficit quod formam in abſolutione conſiſtentem, vel phyſicè vel moraliter vniat tali materiæ: ſicut in naturalibus, licet generans non producat materiam, imò aliquando neque formam, vt contingit in generatione hominis, hoc ipſo tamen quod eam vnit materiæ, dicitur producere compoſitum, & hominem generare.

Contritio redditur ſufficienter ſenſibilis per confeſſionem, ſicut in Euchariſtia corpus Chriſti per ſpecies. Item partes compoſiti moralis, qualiter eſt Sacramentum, non requirunt coniunctionem vel ſimultatem phyſicam, ſed ſolùm moralem, qualis intercedere ſolet inter accuſationem rei, & ſententiam Iudicis. Demum licet in Sacramento pœnitentiæ, virtus productiua gratiæ, præcipuè in verbis abſolutionis reperiatur; mediante tamen abſolutione, per poteſtatem clauium,

actus

actus pœnitentis eleuantur ad cauſandam gratiam, eamque inſtrumentaliter producunt vt docet D. Thomas hic qu. 86. art. 6. Satisfactio verò, quæ eſt ſolùm pars integralis huius Sacramenti, *confert gratiam, prout eſt in propoſito, & auget eam, prout eſt in executione*, vt ait idem S. Doctor qu. 90. art. 2. Ex quibus ſolues plura argumenta, quæ contra ſupra dicta fieri ſolent.

Ex dictis conſtat, hoc Sacramentum appellari reconciliationis, ab effectu; abſolutionis, à forma; confeſſionis, à notiori parte: pœnitentiæ, à contritione, quæ eſt illius actus. Nunquam tamen dici Sacramentum ſatisfactionis, quia hæc, quamuis ſit de eius integritate, non eſt tamen de eius eſſentia. Non dicitur etiam manuum impoſitio, quia licet hæc adhibeatur in adminiſtratione huius Sacramenti, non eſt tamen ad illud neceſſaria, quia vt diſcurrit D. Thomas hic quæſt. 84. art. 4. *Impoſitio manuum in Sacramentis Eccleſiæ, fit ad deſignandum aliquem copioſum gratiæ effectum, quo illi quibus manus imponuntur, quodammodo per quandam ſimilitudinem continuantur miniſtris, in quibus copia gratiæ eſſe debet; & ideò manus impoſitio fit in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti, & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia poteſtatis in diuinis myſterijs. Sacramentum autem pœnitentiæ non ordinatur ad conſequendam aliquam excellentiam gratiæ, ſed ad remotionem peccatorum. Et ideò ad hoc Sacramentum non requiritur manuum impoſitio ſicut etiam nec ad baptiſmum, in quo tamen fit plenior remiſſio peccatorum.*

Con-

Conſtat etiam ex dictis, hoc Sacramentum ſic poſſe definiri, vel deſcribi: Pœnitentia eſt *Sacramentum nouæ legis, à Chriſto inſtitutum, ad ſignificandam & cauſandam gratiam ſanantem, & ad remittendum peccata poſt baptiſmum commiſſa.* Ex qua definitione patet, hoc Sacramentum in re vel in voto neceſſarium eſſe neceſſitate medij ad delenda peccata commiſſa poſt baptiſmum, vt docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. & 4. Illa enim non poſſunt remitti, niſi vel per ipſum pœnitentiæ Sacramentum actu ſuſceptum; vel per contritionem, in qua includitur votum Sacramenti pœnitentiæ, vt ait Tridentinum citatum. Quod inſinuatur Matth. 16. per metaphoram clauium, ſub qua poteſtas remittendi aut retinendi peccata, D. Petro eiuſque ſucceſſoribus conceſſa eſt. Sicut enim nullus ingredi poteſt domum, quamdiu clauſa fuerit ianua, niſi clauis eam aperiat: ita etiam nemo à peccato lethali, poſt baptiſmum commiſſo, poteſt abſolui, niſi per poteſtatem, ſpiritualem remittendi peccata, Sacerdotibus conceſſam, ſubindeque niſi per Sacramentum pœnitentiæ, in re vel in toto ſuſceptum. Illud tamen votum non debet neceſſariò eſſe explicitum, ſed ſufficit implicitum: fieri enim poteſt, vt homo in peccato exiſtens, eliciat actum contritionis, & tamen tunc non cogitet de confeſſione Sacramentali, vel ex obliuione, vel ex ignorantia inuincibili, in quo caſu non haberet votum explicitum Sacramenti pœnitentiæ, ſed duntaxat implicitum, in ipſa contritione contentum.

Dices primò: Non magis includitur in contri-

tritione votum implicitum Sacramenti pœnitentiæ, quam Sacramenti Euchariſtiæ; cùm contritio non magis implicitè includat propoſitum ſeruandi vnum ex diuinis mandatis, quam alia: Ergo non minùs Euchariſtiæ Sacramentum in voto neceſſarium erit neceſſitate medij ad delenda peccata poſt baptiſmum commiſſa, quam Sacramentum pœnitentiæ. Sed nego Antecedens, ex eo enim quod Sacramentum pœnitentiæ & non Euchariſtiæ eſt inſtitutum ad remittenda peccata baptizatorum, ſpecialiter includitur votum implicitum Sacramenti Pœnitentiæ, non autem Euchariſtiæ, in contritione de peccatis poſt baptiſmum commiſſis: ſicut in contritione de peccatis ante baptiſmum commiſſis, continetur ſpeciali quodam modo votum baptiſmi, ob eandem rationem.

Dices ſecùndò, Martyrium cum ſola attritione remittit peccatum mortale, & iuſtificat ex opere operato non ſolùm paruulos, ſed etiam adultos, vt tract. 2. cap. 10. oſtendimus: Ergo remiſſio peccati poſt baptiſmum commiſſi, poteſt obtineri ſine Sacramento Pœnitentiæ in re vel in voto. Sed nego conſequentiam, nam in ipſo martyrio continetur implicitè votum ſacramenti pœnitentiæ; Tum quia ſi per otium liceat Martyri, vel peccata ſubijcere clauibus Eccleſiæ, vel ſaltem contritionis actum elicere, ad id tenetur. Tum etiam, quia ſi ſubitò rapiatur ad Martyrium, aut inter dormiendum occidatur, etiam in eo caſu, ratione attritionis antea elicitæ, & voluntatis ſuſcipiendi martyrium, cenſetur votum habere implicitum ſacramenti pœnitentiæ,

tiæ, in attritione incluſum, licet non ita perfectè, ſicut in contritione, quia attritio non eſt ita efficax.

CAPVT II.

De Pœnitentia, vt virtute.

POenitentiam eſſe virtutem, manifeſtum eſt, cùm illa ſit habitus electiuus ſecundùm rectam rationem, in mediocritate conſiſtens. Recta enim ratio dictat dolendum eſſe de peccatis, vt ſunt offenſæ Dei, talemque dolorem in mediocritate debere conſiſtere: Sicut enim contingit quod aliqui homines de peccatis commiſſis plus nimio delectentur, iuxta illud Prouerb. 6. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis;* ita quod alij immoderatè, & vſque ad deſperationem, de illis doleant ac triſtentur, vt conſtat de Cain & de Iuda, quorum primus in deſperationem lapſus dixit: *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear*, alter verò pœnitentia ductus, laqueo ſe ſuſpendit: habitus autem pœnitentiæ medium tenet inter illa extrema: Ergo eſt vera virtus.

Dices primò, nulla virtus poteſt eſſentialiter præſupponere peccatum in ſubiecto ſuo, cùm virtus debeat per ſe eſſe expetibilis: Sed pœnitentia ſupponit eſſentialiter peccatum: Ergo non eſt vera virtus.

Reſpondeo Maiorem non eſſe vniuerſaliter veram, virtutes enim quæ tendunt in deſtru-

ctio-

ctionem aut punitionem peccati, eſſentialiter illud præſupponunt, vt conſtat in iuſtitia vindicatiua, quæ eſſentialiter ſupponit peccatum in ſubiecto alieno: quidni ergo pariter pœnitentia poterit illud eſſentialiter ſupponere in ſubiecto proprio? Vnde virtutes illæ non ſunt per ſe expetibiles, ſed tantùm per accidens, ex ſuppoſitione peccati; ſicut medicina non eſt appetibilis, niſi ratione morbi.

Dices ſecundò, virtus habet per ſe delectationem, vt docet Philoſophus in libris Ethicorum: At pœnitentia non habet delectationem, ſed dolorem, pœnam, & triſtitiam; dicitur enim pœnitere, quaſi *pœnam tenere*, vt ait Iſidorus. Vnde Tertullianus in lib. de pœnitentia, illam deſcribens, dicit eam *ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit triſti tractatione mutare, ieiuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari, mugire ad Dominum Deum dies noctesque* &c. Ergo pœnitentia non eſt virtus.

Reſpondeo quod licet pœnitentia non habeat delectationem, ſed triſtitiam & dolorem de ſuo obiecto, nempe de peccato commiſſo, delectatur tamen de ſuo actu, & *gaudet de ſuo dolore*, vt ait S. Thomas qu. vnica de ſpe art. 1. ad 14. Vnde Iob vltimo, vbi vulgata habet: *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere*, alia verſio legit: *Ago ſolatium in fauilla & cinere*. Et Auctor libri de vera & falſa pœnitentia apud Auguſtinum ait: *Semper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat*.

Non minùs certum eſt, pœnitentiam non eſſe

eſſe virtutem aliquam generalem & commu-nem, quæ ſit conditio generalis omnium vir-tutum, ad eum modum quo iniuſtitia ſiue iniquitas dicitur conditio generalis omnium peccatorum; cùm pœnitentia habeat obie-ctum ſpeciale, nempe offenſam Dei, vt expia-bilem per ſatisfactionem, quæ non fit ad æqualitatem perfectam, vt conſtabit ex infra dicendis; & eliciat actum ſpecialem laudabi-lem, nempe operari ad deſtructionem pec-cati præteriti, inquantùm eſt Dei offenſa, quod non pertinet ad rationem alterius vir-tutis, vt diſcurrit S. Thomas hic q. 85. art. 2. Ex quo ſequitur, illam non eſſe pariter vir-tutem generalem, aggregatione multarum virtutum, vt aliqui Recentiores exiſtimant; licet enim aliæ virtutes concurrant ad odium peccati, ſecundùm quod opponitur bono proprio cuiuſq̃ue virtutis (quia eiuſdem vir-tutis eſt, immediatè proſequi bonum, & odio habere malum ſibi aduerſum) odium tamen peccati, conſiderati vt eſt offenſa Dei, dele-bilis per ſatisfactionem, ſub qua ratione eſt à pœnitentia, nec elicitiuè, nec imperatiuè procedit ab alijs virtutibus, quia ſub hac ra-tione non cadit ſub obiecto illarum, ſed ſo-lùm ſpectat ad obiectum pœnitentiæ, vnde ab illa ſola elicitur.

Demum ſupponimus vt certum, obiectum formale pœnitentiæ eſſe ius diuinum, leſum per offenſam, vt reparabile per ſatisfactio-nem, & compenſationem quandam. Nam attingere peccatum ſub illa ratione, eſt ali-quis actus laudabilis, maximam habens dif-ficultatem, ſubindeque pertinere debet ad

ali-

aliquam virtutem, quæ non poteſt eſſe alia quam pœnitentia, vt conſtabit ex infra dicendis: Ergo obiectum formale pœnitentiæ eſt ius diuinum læſum per peccatum, vt reparabile per ſatisfactionem. Obiectum verò materiale illius eſt ipſum peccatum, quatenus eſt offenſa Dei, expiabilis per ſatisfactionem. Vnde quia offenſa, vt expiabilis, conſideratur vt præterita, neque enim eſt expiabilis, niſi poſtquam commiſſa eſt, pœnitentia primariò & principaliter fertur circa peccata præterita, ſecundariò verò & minùs principaliter, circa futura, inquantum proponit nulla impoſterum committere.

Ex his colligitur primò contra Alenſem, pœnitentiam eſſe virtutem diſtinctam à charitate, licet enim charitas opponatur peccato, illudque deſtruere conetur, ſicut pœnitentia, diuerſimodè tamen illud reſpiciunt, & in eius deſtructionem tendunt; nam charitas illud reſpicit, vt contrarium bono diuino, ipſumque ſub ea ratione deſtruere intendit pœnitentia verò fertur in illud, vt iuri diuino oppoſitum, vt habet ratione offenſæ, cum intentione illud deſtruendi, & reparandi iniuriam Deo illatam. Per quod ſoluitur præcipuum aduerſæ ſententiæ fundamentum.

Dices, Contritio, quæ eſt actus proprius pœnitentiæ, a charitate elicitur: Ergo pœnitentia non eſt virtus diſtincta à charitate. Conſequentia patet, Antecedens probatur. Contritio eſt dolor de peccato, propter Deum ſummè dilectum: Sed talis dolor elicitur à charitate, cùm eiuſdem virtutis ſit gaudere de bonis amici, & de malis eius dolere & tri-

triſtari: Ergo contritio à charitate elicitur.
Reſpondeo negando Antecedens, & ad eius probationem, diſtinguo maiorem: Contritio eſt dolor de peccato &c. per ſimplicem diſplicentiam illius, nego maiorem. Cum intentione illud deſtruendi, & ſatisfaciendi Deo offenſo, concedo maiorem. Similiter diſtinguo minorem: talis dolor elicitur à charitate, vt eſt ſimplex diſplicentia peccati, concedo minorem; vt eſt intentio illud deſtruendi, & pro ea ſatisfaciendi, nego minorem, & conſequentiam. Solutio eſt D. Thomæ hîc art. 2. ad 1. vbi ſic ait: *Si in actu pœnitentis conſideretur ſola diſplicentia peccati præteriti, hoc immediatè ad charitatem pertinet, ſicut & gaudere de bonis præteritis. Sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti, requirit ſpecialem virtutem ſub charitate.*
Colligitur ſecundò contra Caietanum, pœnitentiam eſſe virtutem diſtinctam à religione, quia illæ virtutes iura diuerſæ rationis reſpiciunt; pœnitentia enim reſpicit ius diuinum læſum per offenſam, & reparabile per ſatisfactionem; religio verò reſpicit ius diuinum ortum ex ſuprema Dei excellentia, & beneficijs ab eo receptis, vt docet S. Thomas in 4. diſt. 14. qu. 1. art. 1. quæſtiunc. 5. dicens: *Aliquis efficitur Deo debitor per hoc quod ab eo aliquid recipit, & hac ratione Deo reddit debitum honorem latria ſiue religio: alio modo ex hoc quod contra Deum peccauit, & ſic reddit debitum Deo pœnitentia.* Vnde pœnitentia ſupponit neceſſariò peccatum, non verò religio, quæ poteſt & debet etiam ab in-

nocente exerceri; iſta reſpicit cultum Deo vt ſupremo domino tribuendum, illa conatur expiare peccatum, & ius diuinum læſum, per ſatisfactionem reſarcire.

Dices primò cum Caietano: Eiuſdem virtutis eſt reſpicere bonum & malum ei oppoſitum: At pœnitentia reſpicit malum virtuti religionis aduerſum, religio enim circa cultum & honorem Dei occupatur, pœnitentia verò iniuriam honori diuino intentatam reſarcire conatur: Ergo pœnitentia non diſtinguitur à religione.

Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, & ad eius probationem dico, quod licet pœnitentia iniuriam honori diuino intentatam reſarcire conetur, non tamen propterea reſpicit malum virtuti religionis aduerſum; non reſpicit enim peccatum, præciſè prout diuino cultui opponitur, ſed quatenus eſt ſatisfactione compenſandum; quia nimirum eius obiectum formale eſt ius diuinum læſum per offenſam, vt reparabile per ſatisfactionem: obiectum verò religionis eſt ius diuinum ortum ex ſuprema Dei excellentia & beneficijs ab eo acceptis.

Dices ſecundò: Eadem virtute iuſtitiæ commutatiuæ in humanis conſtituitur æqualitas in emptionibus & venditionibus, in offenſis & ſatisfactionibus. Item eadem virtute pietatis filius patri reddit debitum, & pro iniurijs patri illatis ſatisfacit: Ergo ſimiliter eadem virtute religionis homo exhibet cultum Deo debitum, & ſatisfacit pro iniurijs ei irrogatis.

Reſpondeo antecedens ab omnibus non admitti,

mitti, Soto enim & Valentia exiſtimant etiam inter homines requiri ſpecialem virtutem ad ſatisfaciendum pro iniurijs illatis, diuerſam ab ea qua voluntarijs commutationibus ſatiſfaciunt pro rebus acceptis, vel qua reſtituunt ablata, & debita reddunt. Sed quidquid ſit de hoc, dato Antecedenti, nego conſequentiam & paritatem. Ratio verò diſparitatis, quantùm ad primum eſt, quia hominis ad hominem poteſt eſſe perfecta æqualitas, ſub qua tanquam ſub eadem ratione formali indiuiſibili, poteſt eadem virtus reſpicere rem debitam vt reſtituendam, & iniuriam illatam vt compenſandam. At verò Deo nequit homo reddere æquale, ſiue pro beneficijs acceptis, ſiue pro iniurijs illatis; atque adeò non poteſt vnica virtus iſta reſpicere ſub ratione perfectæ æqualitatis; nec etiam ſub ratione inæqualitatis, quia inæqualitas, cùm multis modis contingat, per exceſſum ſcilicet & defectum, non eſt vna ratio omnino indiuiſibilis, quæ poſſit vnam ſpecificare virtutem; quapropter aliunde petenda eſt eius ſpecificatio, ita vt diuerſæ inæqualitates, ortæ ex diuerſis cauſis, diuerſas virtutes ſpecificent & diſtinguant. Vnde inæqualitas proueniens ex beneficijs acceptis, ſpecificabit vnam virtutem, ſcilicet religionem; & inæqualitas ex iniurijs illatis aliam, nimirum pœnitentiam.

Ad aliud exemplum de virtute pietatis, patet etiam diſparitas manifeſta: pietas enim filij idem ius reſpicit, ſiue dum patri cultum exhibet, ſiue dum pro iniuria ei illata ſatisfacit, nimirum ius paternum, in quo diuerſæ

illæ

illæ rationes adunatæ, poſſunt vnam ſpecificare virtutem. Virtus autem reddens cultum debitum Deo pro beneficijs, & virtus illi ſatisfaciens pro iniurijs, iura diuerſæ rationis in Deo reſpiciunt. Prior enim reſpicit in Deo ius Dominij quod in ratione primi principij habet in omnes noſtras actiones. Poſterior verò reſpicit ius proprietatis, quod illi conuenit vt vltimo fini creaturæ rationalis; ex eo enim quod eſt finis eius vltimus, illa tenetur omnes ſuas actiones in ipſum dirigere; quare ius illud violatur per peccatum mortale, per quod homo à Deo vt à ſummo bono, & vltimo fine auertitur, & conuertitur ad creaturam tanquam ad vltimum finem. Vnde non valet inſtantia cuiuſdam Recentioris, hanc ſolutionem & diſparitatem improbantis & impugnantis, ex eo quod (inquit) pater non ſolùm habet ius dominij, ſed etiam proprietatis, in actiones filij. Hoc enim aperte falſum eſt, cùm tale ius fundetur in ratione vltimi finis, quam pater non habet reſpectu filij,& quæ ſoli Deo conuenit.

Colligitur tertiò contra Durandum & Suarez, pœnitentiam diſtingui à iuſtitia commutatiua; iſta enim reſpicit ius ſtrictum ad æqualitatem compenſandum, vnde cùm homo non poſſit reddere Deo æquale, ſiue pro beneficijs acceptis, ſiue pro iniurijs illatis, hominis ad Deum non poteſt dari iuſtitia commutatiua, vt docet D. Thomas 1. 2. qu. 114. art. 1 his verbis: *Manifeſtum eſt non poſſe eſſe hominis ad Deum iuſtitiam ſecundùm perfectam æqualitatem*. Pœnitentia verò non ſatisfacit Deo ad æqualitatem quia nulla

crea-

creaturæ ſatisfactio iniuriam Deo illaſam æquare vllatenus poteſt, vt Tractatu de Incarnatione oſtendimus: Ergo pœnitentia à iuſtitia commutatiua diſtinguitur.

Colligitur quartò contra Scotum, quod licet pœnitentia quẽdam modum iuſtitiæ vindicatiuæ præ ſe ferat, quatenus punit peccatorem reum ad vindicandam Dei inijriam, deficit tamen à perfecta ratione illius; quia hæc non eſt in reo, ſed in iudice, in quo habet qnandam rationem iuſtitiæ commutatiuæ, quatenus ſeruat proportionem & commenſurationem inter pœnam & culpam: pœnitentia verò eſt in ipſo reo, & nulla eſt proportio inter pœnam quam exigit à peccatore, & ipſam culpam; eſt enim illa pœna ſimpliciter finita, peccatum verò malitiæ ſimpliciter infinitæ.

Colligitur quintò contra Gabrielem, quod licet pœnitentia iuſtitiam diſtributiuam aliqualiter imitetur, quatenus pro qualitate, grauitate, & numero criminum, pœnes præſcribit & diſtribuit, à ratione tamen perfectæ iuſtitiæ diſtributiuæ recedit: Tum quia iuſtitiæ diſtributiuæ proprium eſt, diſtribuere bona & pœnas, cum proportione ad actus laudabiles & vituperabiles: nulla autem, vt mox dicebamus, eſt proprio inter culpam peccati mortalis, & ſatisfactionem pro ea per pœnitentiam exhibitam. Tum etiam, quia iuſtitia diſtributiua eſt ſuperioris ad inferiores, ſiquidem pertinet ad ſuperiorem, diſtribuere inferioribus de communibus bonis & pœnis vnicuique; proportionaliter ad ſuum meritum, vel demeritum: pœnitentia au-

autem eſt potiùs inferioris, ſcilicet creaturæ, ad ſuperiorem, videlicet ad Deum: Ergo pœnitentia, tametſi modum iuſtitiæ diſtributiuæ æmuletur, iuſtitia tamen diſtributiua non eſt.

Colligitur ſextò, pœnitentiam eſſe partem potentialem iuſtitiæ commutatiuæ. Explicatur, & ſimùl probatur hoc corollarium: præter tres ſpecies iuſtitiæ rigoroſæ, & propriè dictæ, nimirum legalem, commutatiuam, & diſtributiuam, dantur aliæ virtutes ad iuſtitiam reductiuè pertinentes, quæ partes potentiales iuſtitiæ appellari ſolent; quia imitantur quidem & æmulantur rationem iuſtitiæ, ab ea tamen deficiunt, vel quia non poſſunt reddere æquale, vt religio, pietas, & obſeruantia; vel quia licet poſſint reddere æquale, non habent tamen rigoroſum debitum & legale, ſed morale tantùm, quod attenditur ſecundùm honeſtatem quandam & decentiam, non verò ſecundùm legis obligationem, vt liberalitas, gratitudo, fidelitas, & amicitia. Cùm ergo pœnitentia non poſſit reddere Deo æquale pro peccatis commiſſis, deficit à ratione veræ & ſtrictæ iuſtitiæ, & conſtituitur pars potentialis illius; non defectu ſtricti debiti, ſed ob impotentiam exhibendi Deo æqualem & condignam ſatiſfactionem.

Neque valet ſi dicas, ad iuſtitiam commutatiuam & perfectam, non eſſe neceſſe quod homo de facto ſatisfaciat, vel ſatisfacere poſſit Deo ad æqualitatem, ſed ſufficere quod eligat illi ad æqualitatem ſatisfacere, ſi hoc ipſi eſſet poſſibile. Sicut licet pauper actus

exteriores liberalitatis & magnificentiæ exercere nequeat, habitus tamen illarum virtutum habere poteſt; quia poteſt eligere honeſtatem illarum, & elicere actum conditionatum illas exercendi, ſi haberet facultatem. Non valet inquam hæc reſponſio, duplex enim poteſt dari impotentia ad aliquid agendum; vna quæ ſe habeat per accidens, & ſe teneat præcisè ex parte ſubiecti, & hæc vt plurimum non impedit actum virtutis nec eius habitum; alia quæ ſe habeat per ſe, & ſe teneat ex parte obiecti & iſta impedit habitum & actum virtutis; cùm enim virtus ſit habitus electiuus, & electio non niſi ad poſſibilia feratur, manifeſtum eſt, virtutem non poſſe circa ea quæ per ſe & ex obiecto ſunt impoſſibilia verſari: talis autem eſt impoſſibilitas in homine puro ad exhibendam Deo æqualem ſatisfactionem pro peccato, nam æqualitas cum iure diuino læ:o, impoſſibilis eſt puræ creaturæ ex obiecto & per ſe, ita vt implicet contradictionem: impotentia verò quæ reperitur in paupere ad actũ exteriorem liberalitatis & magnificentiæ exercendum, primi generis eſt, quia non repugnat vt fiat diues, & habeat multas pecunias, quas alijs diſtribuat.

Colligitur ſeptimò, ſubiectum immediatum pœnitentiæ eſſe voluntatem, eſt enim pars potentialis iuſtitiæ, vt iam oſtendimus, omnis verò iuſtitia eſt in voluntate, cùm ex Vulpiano iuſtitia ſit *perpetua & conſtans voluntas, ius ſuum vnicuique tribuens*. Subiectum verò remotum eſſe quemcumque peccati reum, vel certè capacem: quia vt ſupra viſum eſt, obiectum materiale illius eſt pec-
ca-

catum vt deteſtandum & puniendum. Ex quo infertur, in Chriſto non fuiſſe habitum pœnitentiæ, quia ratione vnionis hypoſtaticæ ab intrinſeco impeccabilis erat; ac proinde non per actum pœnitentiæ, ſed perfectæ ac rigoroſæ iuſtitiæ, condignè & æqualiter, pro peccatis hominum ſatisfecit. Infertur etiam, in Angelo pœnitentiam eſſe non poſſe, cùm enim immobiliter adhæreat obiecto ſemel electo, non poteſt retractare actum elicitum, nec per conſequens de illo pœnitere. Infertur quoque, pœnitentiæ habitum fuiſſe Adamo ante peccatum cum gratia & virtutibus infuſum; cùm enim in illo ſtatu peccati capax eſſet, vt funeſta experientia ſatis oſtendit, erat etiam capax pœnitentiæ. An verò illa fuerit in beata Virgine, affirmant multi, quia etſi ex priuilegio, ne quidem venialiter peccauerit, aut peccare potuerit, potuit tamen ratione ſtatus viatoris, & conditionis libertatis creatæ peccare, nec fuit ab intrinſeco impeccabilis, ſicut Chriſtus. Negant verò alij, quia cùm in beata Virgine fomes peccati ab inſtanti primæ infuſionis gratiæ, vel extinctus omnino, vel certè ligatus fuerit, & in conceptione Verbi Diuini penitùs ſublatus; ſicut illa peccare non potuit, ita nec pœnitere, ſubindeque in illa otioſus omnino ac ſuperuacaneus fuiſſet pœnitentiæ habitus.

CAPVT III.

De effectibus pœnitentiæ.

POenitentia tam in ratione Sacramenti quam virtutis conſiderata, præcipui illius effectus, breuiter hic explicandi ſunt: poſtea de partibus quibus conſtat pœnitentiæ Sacramentum, nimirum contritione, abſolutione, & ſatisfactione, diſſeremus.

§. I.

Primus pœnitentiæ effectus, remiſſio omnium peccatorum mortalium.

CErtum de fide eſt, tam in virtute quam in Sacramento pœnitentiæ, eſſe virtutem & efficaciam ſufficientem, ad delenda quæcunque peccata ritè illi ſubiecta; ita vt nullum ſit peccatum quod remitti non poſſit, ſi vera de illo habeatur pœnitentia. Dicitur enim Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam &c. omnium iniquitatum eius non recordabor.* Et Iſaiæ 1. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Item de pœnitentiæ Sacramento Ioan. 20. abſolutè & ſine vlla limitatione aſſeritur: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Ratio etiam ſuffragatur, Sacramenta enim nouæ legis id efficiunt quod ſignificant: Sed pœnitentiæ Sacramentum ſignificat omnium peccatorum mortalium remiſſionem, vt conſtat ex ver-

verbis formæ, *Ego abſoluo te ab omnibus peccatis tuis*: Ergo per illud remittuntur omnia peccata mortalia. Vnde Catechiſmus Romanus part. 2. num. 23. ait *nullum eſſe tam graue & nefarium ſcelus, quod pœnitentiæ Sacramento, non quidem ſemel, ſed iterum & ſæpiùs non deleatur*.

Quædam tamen ſunt Scripturæ teſtimonia, quæ oppoſitũ videntur aſſerere, Chriſtus enim Matth. 12. Marci 3. & Lucæ 12. ait peccatum in Spiritum Sanctum nunquam remitti, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Et 1. Ioan. 5. dicitur: *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis*: quia ſcilicet non poteſt remitti: Ergo ſunt aliqua peccata, quæ non poſſunt expiari vel remitti per pœnitentiam.

Ad primum dicendum, peccatum in Spiritum Sanctum dici non remitti neque in hoc ſæculo neque in futuro, vel quia Chriſtus (vt vult Auguſtinus ſerm. 11. de verbis Domini) ibi loquitur de finali impœnitentia, id eſt de peccato mortali vſque ad inſtans mortis durante, vel commiſſo in illo inſtanti, poſt quod nulla ſit remiſſio. Vel ſi intelligatur de peccato malitiæ, vel de blaſphemia in ipſam Spiritus Sancti Perſonam prolatam, ſignificare Chriſtum voluiſſe, tale peccatum difficilè condonari, quia ipſum gratiæ & pietatis fontem, nimirum Spiritum Sanctum, faſtidit ac repellit. Sicut morbus ille lethalis & inſanabilis dicitur, qui difficilè curatur, & quo ægrotus medicinam odit, & medicum ipſum execratur.

Ad ſecundum ſimiliter reſpondetur cum Auguſtino lib. 1. Retract. cap. 19. & Beda in

illum locum Ioannis, ibi ſermonem eſſe de peccato impœnitentiæ finalis, quod ſpecialiter vocatur *peccatum ad mortem*, quia adiunctam habet ſemper mortem æternam, quam infallibiliter infert. Vel ſi per peccatum ad mortem intelligatur peccatum aliquod grauiſſimum, à quo homines rariſſimè & difficillimè corriguntur, non prohibere Apoſtolum vt nemo abſolutè pro tali peccatore oret, ſed ſolùm vt non quicumque pro illo oret; quia cùm tale delictum grauiſſimũ ſit, magno eget deprecatore, ſeu aliquo magnæ ſanctitatis viro, qui pro conuerſione talis peccatoris oret.

Quærunt hic plures cùm D. Thoma quæſt. 86. art. 2. & 3. vtrum ſine pœnitentia peccatum remitti poſſit, & vtrum per illam vnum peccatum poſſit remitti ſine alio? Sed de his diximus in Tractatu de gratia, agendo de iuſtificatione peccatoris.

§. II.

Per pœnitentiam tollitur reatus pœnæ æternæ, poteſt tamen remanere reatus alicuius pœnæ temporalis.

PRima pars docetur à Tridentino ſeſſ. 6. cap. 14. vbi diſertis verbis exprimitur. Et cap. 7. vbi hæc eius ratio inſinuatur: Nunquam remittitur peccatum mortale, niſi infundatur gratia, per quam homo renouetur interiùs: gratia autem, cùm conſtituat hominem filium Dei adoptiuum, ſubindeque det ius ad hæreditatem regni cœleſtis, cum reatu pœnæ æternæ incompoſſibilis eſt.

Se-

Secunda quoque, videlicet quod poſt culpæ remiſſionem manere poſſit reatus aliquis pœnæ temporalis, definitur ab eadem ſacra Synodo ſeſſ. 6. can. 30. his verbis: *Si quis poſt acceptam iuſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis, exoluendæ vel in hoc ſæculo vel in futuro &c. anathema ſit.* Item ſeſſ. 14. cap. 8. ſic habetur: *Sancta Synodus declarat, falſum omnino eſſe, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin vniuerſa etiam pœna condonetur: perſpicua enim & illuſtria in ſacris litteris exempla reperiuntur, quibus, præter diuinam traditionem, hic error quam manifeſtiſſimè reuincitur.*

Addit ibidem plures rationes ad probandum quod decuit ita fieri, id eſt quod remiſſa culpa & reatu pœnæ æternæ, totus reatus pœnæ temporalis non ſtatim remitteretur. In primis enim iuſtitiæ ratio exigit, vt aliter à Deo in gratiam recipiantur qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerunt; aliter verò qui ſemel à peccati & Dæmonis ſeruitute liberati, templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidarunt. Secundò conueniens fuit ita fieri, vt malitia & grauitas peccati mortalis magis appareret: *Ne culpa* (inquit Auguſtinus Tract. 124 in Ioan.) *putaretur parua, ſi cum ea finiretur & pœna, prolixiorem eſſe voluit Deus pœnam, quam culpam: temporaliter enim detinet pœna, quem iam reum ad damnationem non detinet culpa.* Tertiò ad frænandam peccati licen-

centiam, quæ maior eſſet, ſi tam facilè omnis pœna remitteretur. Quartò, quia per actus ſatisfactorios, quibus temporalem pœnam exoluimus, reliquias peccatorum, vitioſoſque habitus, malè viuendo contractos, per contrarios actus tollimus & Chriſto capiti noſtro tantoperè pro nobis in carne paſſo conformamur.

Eandem veritatem probat S. Thomas hic qu. 86. art. 4. ad 3. ex diſcrimine quod reperitur inter Sacramentum baptiſmi & pœnitentiæ: *Paſſio Chriſti* (inquit) *de ſe ſufficiens eſt ad tollendum omnem reatum pænæ, non ſolum æternæ, ſed etiam temporalis; & ſecundùm modum quo homo participat virtutem paſſionis Chriſti, percipit etiam abſolutionem à reatu pænæ. In baptiſmo autem homo participat totaliter virtutem paſſionis Chriſti (vtpote per aquam & ſpiritum Chriſto commortuus peccato, & in eo regeneratus ad nouam vitam) & ideò in baptiſmo homo conſequitur remiſſionem reatus totius pænæ. In pænitentia verò conſequitur virtutem paſſionis Chriſti, ſecundùm modum proprium actuum, qui ſunt materia pæniten-tiæ, ſicut aqua baptiſmi. Et ideò non ſtatim per primum actum pænitentiæ, quo remittitur culpa ſoluitur reatus totius pænæ, ſed completis omnibus pænitentiæ actibus.* Quam rationem fuſiùs exponit 4. contra Gent. cap. 72.

Aliam tradit in corp. eiuſdem articuli quarti, quæ ſic poteſt breuiter proponi. Sicut in peccato mortali duo ſunt, ſcilicet auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam, ita & duplex pœna ipſi debetur; vna æterna, quæ correſpondet peccato ex parte auerſionis,

nam

nam ſicut peccatum ex hac parte eſt quodammodo infinitum, ita debetur ipſi pœna quodammodo infinita; altera temporalis, quæ correſpondet conuerſioni, quæ finita eſt, & maior vel minor pro qualitate obiecti, vel actus, quo peccator erga illud afficitur: Cùm ergo in iuſtificatione peccatoris, quando remittitur culpa per gratiam, tollatur ſemper auerſio à Deo (quia per ipſam gratiam & charitatem Deo vt vltimo fini coniungitur) conſequenter ſemper in ea tollitur reatus pœnæ æternæ. E contra verò cum in iuſtificatione non ſemper tollatur conuerſio illa inordinata quam peccator habet ad creaturam, non ſemper tollitur reatus pœnæ temporalis, huic inordinatæ conuerſioni correſpondens.

Verùm in hac ratione D. Thomæ difficile eſt explicare, quid intelligat nomine inordinatæ conuerſionis, ſi enim dicamus intelligere habitualem conuerſionem ad creaturam vt ad vltimum finem, impoſſibile erit ſaluare quod ablata auerſione, remaneat hæc conuerſio; cùm impoſſibile ſit hominem habere duos vltimos fines, Deum nimirum & creaturam. Si verò dicamus, per conuerſionē intelligi inclinationem habitualem quam facit habitus vitioſus ad particulare obiectum, non poterit verificari vniuerſaliter, in quolibet peccato reperiri inordinatam conuerſionem ad creaturam; cùm peccatum non ſemper cauſet in peccante habitum vitioſum, qui non niſi multis actibus repetitis producitur.

Reſpondet quidam recentior Thomiſta, in ſua Theologia mentis & cordis, D. Thomam, per inordinatam conuerſionem ad bonum

commutabile, ex qua ſequi dicit reatum pœnæ temporalis, nihil aliud intelligere, quam prauos habitus vel diſpoſitiones, ex præcedentibus actibus cauſatas, quibus ratione actus quem connotant, debetur pœna temporalis. Sed hanc reſponſionem tripliciter confutat Martinez à Prado, primò ex D. Thoma in 2. diſt. 42. qu. 1. art. 2. ad 3. dicente quod *reatus non fundatur, per ſe loquendo, ſuper diſpoſitionem vel habitum, ſed per accidens, ſecundum quod talis diſpoſitio vel habitus cuidam defectui coniungitur*. Aliquid ergo aliud, præter habitum vel diſpoſitionem, aſſignandum eſt, fundans per ſe reatum pœnæ temporalis. Secundò quia de reliquijs peccati reſeruat agere D. Thomas art. 5. vbi tractat de huiuſmodi habitibus remanentibus per modum diſpoſitionum: Ergo in articulo quarto agit de aliquo alio præcedente, & fundante reatum pœnæ temporalibus. Tertiò ſæpe contingit aliquem iuſtificari vehementi contritione, ſufficienti ad delendum non ſolùm totam culpam, ſed etiam totam pœnam temporalem, & nihilominus in eo remanere habitus vitiorum, qui non niſi per multos actus expelluntur, vt docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 24. art. 12. his verbis: *Actus non directè contrariatur habitui, ſed actui. Continuatio autem habitus in ſubiecto non requirit continuitatem actus. Vnde ex ſuperueniente contrario actu, non ſtatim habitus acquiſitus excluditur*. Ergo reatus pœnæ temporalis non conſequitur ad habitus ex præcedentibus actibus cauſatos.

Ex quibus intelliges, prædictum Aucto-

rem

rem hallucinatum eſſe in eo quòd non diſtinxit inter reatum pœnæ temporalis, & reliquias peccatorum, & quod S. Thomas dixit art. 5. de reliquijs peccatorum, exiſtimauit de reatu pœnæ temporalis debere intelligi. Reliquiæ ergo peccatorum ſunt prauæ diſpoſitiones vel habitus ex præcedentibus actibus vitioſis relicti; reatus verò pœnæ temporalis, eſt obligatio ad pœnam temporalem, quæ ex actu peccaminoſo conſequitur. Vnde quamuis per indulgentias reatus pœnæ temporalis tollatur, per eas tamen non auferuntur reliquiæ peccatorum, cùm per eas non tollantur praui habitus vel diſpoſitiones ex præcedentibus actibus relictæ.

Melius ergo propoſitæ difficultati reſpondetur cum Caietano, Soto, & alijs antiquioribus Thomiſtis, S. Thomam, cùm ait reatum pœnæ temporalis inordinatæ conuerſioni reſpondere, per conuerſionem inordinatam, intelligere delectationem illicitam & inordinatam, quam peccator percipit ex conuerſione ad creaturam, & in obiecto peccati, in eo plus nimirum ſibi indulgendo. Hanc eſſe mentem S. Thomæ, ex ipſo textu apertè colligi videtur, ait enim: *Ex parte conuerſionis ad bonum commutabile, inquantum eſt inordinata, conſequitur peccatum mortale reatus alicuius pœnæ; quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem iuſtitiæ, niſi per pœnam. Iuſtum enim eſt, vt qui voluntati ſuæ plus indulſit quam debuit, contra voluntatem ſuam aliquid patiatur, ſic enim erit æqualitas. Vnde Apocal.* 18. *dicitur: Quantùm glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum*

& luctum. Nec refert quod delectatio illa inordinata, quam peccator percipit ex inordinata conuerſione ad creaturam, cum ipſo peccato tranſeat, hoc enim non impedit, quin remaneat virtualiter aut moraliter, ratione obligationis ad pœnam temporalem, quæ ex illa relinquitur, poſt remiſſam culpam, & pœnæ æternæ reatum.

Argumenta Hæreticorum, quibus probare conantur, remiſſa per pœnitentiam culpa, & reatu pœnæ æternæ, nullum temporalis pœnæ reatum in iuſtificato remanere, leuiſſima ſunt. In primis obijciunt illud Apoſtoli ad Roman. 8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt in ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu*. Sed hoc friuolum eſt, quamuis enim in iuſtificatis remiſſa culpa, & reatu pœnæ æternæ, remaneat reatus alicuius pœnæ temporalis, non propterea remanet aliquid damnationis, quia talis reatus non poteſt dici damnatio. Quomodo enim damnatio diceretur id quod poteſt ad ſalutem conferre, & Chriſto capiti nos vnire & conformare, vt præſtare poteſt ſolutio pœnæ temporalis per actus ſatisfactionis?

Secundò obijciunt illud Tertulliani lib. de baptiſmo cap. 5. *Exempto reatu, eximitur & pœna*, quo ſignificari videtur remiſſa per pœnitentiam culpa, & reatu pœnæ æternæ, non remanere reatum pœnæ temporalis. Sed facilè reſpondetur, dictum illud ſolùm de baptiſmo, & de pœna æterna intelligi. Et quamuis intelligeretur de pœna temporali, nihil contra Catholicam veritatem concluderet, quia vt ſupra ex D. Thoma oſtendimus, illud inter baptiſmum & pœnitentiam diſcrimen

intercedit, quod cùm baptiſma ſit inſtitutum per modum generationis ſpiritualis, nihil remanet in homine per baptiſmum regenerato, ſiue quoad culpam, ſiue quoad pœnam, ſicut in generatione naturali, iuxta D. Thomæ ſententiam, nullum accidens remanet in genito quod fuerat antea in corrupto, ſed fit reſolutio vſque ad materiam primam. Vnde Chryſoſtomus homil. 24. in Ioan. *In aqua baptiſmi tanquam in ſepulchro caput immergentibus, vetus homo ſepellitur, emergentibus inde nouus reſurgit.* E contra verò, cum Sacramentum pœnitentiæ ſit inſtitutum, per modum medicinæ ſpiritualis, non ſemper perfectè & totaliter hominem ſanat, ſed prauos habitus & diſpoſitiones, quaſi morbi reliquias, in eo relinquit; quemadmodum ſanato vulnere, emiſſoque pure; cicatrices quædam remanent, quæ & ipſæ curandæ ſunt.

§. III.

Remiſſio venialium, tertius pœnitentiæ effectus.

TRiplex eſt difficultas breuiter hic reſoluenda. Prima eſt, an & quomodo peccata venialia per pœnitentiam & alia Sacramenta remittantur? Secunda, an & quomodo remittantur per Sacramentalia? Tertia, an extra Sacramentum & ſacramentalia, per alios virtutum actus, peccata venialia deleantur?

Dico ergo primò, Sacramentum Pœnitentiæ habere vim remittendi peccata venialia quæ illi ſubijciuntur, ex opere operato. Patet ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. & ex vſu piorum fidelium approbato, ibidem à Concilio,

cilio, & à D. Cypriano in ſerm. de lapſis, vbi eos laudat, qui per confeſſionem Sacerdotalem, ſalutarem medelam paruis licet vulneribus exquirunt. Item Auguſtinus lib. 50. homiliarum homil. 50. ſic habet: *Quamuis ſingula non lethali vulnere ferire ſentiantur, tamen omnia ſimul congregata, velut ſcabies noſtrum decus ita exterminant, vt ab illius ſponſi ſpecioſi præ filius hominum caſtiſſimis amplexibus ſeparent, niſi medicamento quotidianæ pœnitentiæ reſecentur*. Ratio etiam ſuffragatur, tum quia non ſolùm mortalia, ſed etiam venialia, ſunt huius Sacramenti materia, vt dicemus infra cùm agemus de confeſſione: Tum etiam, quia rationi conſentaneum non eſt, exiſtimare Sacramentum pœnitentiæ poſſe quidem delere peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa, ſed non venialia, quæ ſunt minoris momenti, & faciliùs remitti poſſunt. Vnde S. Thomas hic qu. 87. artic. 1. in corp. & ad 1. illud diſcriminis ait inter mortale & veniale intereſſe, quod *ad remiſſionem peccati mortalis requiritur perfectior pœnitentia, vt ſcilicet homo actualiter peccatum mortale deteſtetur, quantùm in ipſo eſt, vt ſcilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum ſingula peccata, vt ſingula deteſtetur, quantùm in ipſo eſt, ſed hoc non requiritur ad remiſſionem venialium peccatorum... Sed requiritur quædam virtualis diſplicentia: puta cùm aliquis hoc modo fertur ſecundùm affectum in Deum & res diuinas, vt quicquid ſibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe hæc commiſiſſe, etiamſi actu de illo non cogitaret. Quod tamen non ſufficit*

ficit ad remiſſionem peccati mortalis, niſi quantù ad peccata oblita, poſt diligentem inquiſitionem. Vnde infert in reſp. ad 1. quod quia poteſt iuſtus vitare ſingula peccata venialia, ſed non omnia, ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur quod homo proponat abſtinere à ſingulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas humana non patitur *Debet tamen* (verba eius ſunt notatu digniſſima) *habere propoſitum ſe præparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin eſſet ei periculum deficiendi, cum deſereres appetitum perficiendi, ſeu tollendi impedimenta ſpiritualis profectus, quæ ſunt peccata venialia.*

Quæres, an qui confitetur aliquod peccatum veniale, & alia, de quibus (vt ſuppono) nullam habet complacentiam, voluntariè & ex intentione reticet, remiſſionem illorum, ex vi Sacramenti pœnitentiæ aſſequatur? Ratio dubitandi eſt, quia per alia Sacramenta, cum attritione de venialibus ſuſcepta, remittuntur venialia, quamuis nulla fiat confeſſio illorum, vt conſtabit ex infra dicendis: Ergo idem videtur dicendum de Sacramento pœnitentiæ, nempe quod cùm quis cum attritione ad illud accedit, & vnum duntaxat veniale confitetur, conſequitur remiſſionem omnium venialium, de quibus non habet complacentiam, tametſi ea non confiteatur, nec clauibus Eccleſiæ ſubijciat: non videtur enim denegandum Sacramento pœnitentiæ quod conceditur alijs Sacramentis.

Reſpondet Nugno, negando ſuppoſitum, nimirum quod ille qui confitetur aliquod peccatum veniale, & alia voluntariè & ex in-

intentione reticet, non retineat eo ipſo affe-ctum ad illa: cùm enim proprius modus hu-iùs Sacramenti, ſit remittere peccata, media confeſſione, non velle illa confiteri, eſt (in-quit) habere virtualem quandam compla-centiam in illis. Hæc reſponſio probabilita-te non caret.

Reſpondeo tamen negatiuè ad caſum pro-poſitum, & ad rationem dubitandi in contra-rium, conceſſo Antecedenti, nego conſequen-tiam & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quia confeſſio peccatorum ſiue mortalium ſiue ve-nialium, eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, non verò aliorum Sacramentorum: vnde li-cet in Sacramento pœnitentiæ non remittan-tur peccata venialia, quæ voluntariè & ex in-tentione reticentur, in alijs tamen Sacramen-tis obtinetur eorum remiſſio, licet nulla fiat in receptione talium Sacramentorum mentio de illis peccatis.

Dico ſecundò, non ſolùm pœnitentiam, ſed etiam alia Sacramenta nouæ legis, habe-re vim remittendi peccata venialia ex opere operato; id tamen ſpecialiter aliquibus Sa-cramentis competere, nimirum Baptiſmo, Confirmationi, Euchariſtiæ, & Extremæ-Vnctioni.

Prima pars eſt D. Thomæ hic qu. 87. art. 3. in corp. vbi ſic ait: *Per omnia Sacramenta nouæ legis, in quibus confertur gratia, pecca-ta venialia remittuntur*: Vtique ex opere operato, quia cùm cauſent gratiam ex opere operato, & ad infuſionem gratiæ ſequatur (vt ibidem docet S. Doctor) remiſſio venia-lium, hanc etiam ex opere operato cauſant.

Ra-

Ratio etiam id ſuadet: nam omnia Sacramenta nouæ legis, habent virtutem remittendi ex opere operato omnia peccata mortalia: quædam ex vi primariæ inſtitutionis, quæ idcirco Sacramenta mortuorum dicuntur; alia ex vi ſecundariæ inſtitutionis, & hæc appellantur Sacramenta viuorum, vt in tractatu de Sacramentis in communi declarauimus: Ergo cùm peccata venialia faciliùs remittantur, per omnia Sacramenta nouæ legis remittuntur peccata venialia ex opere operato.

Secunda pars concluſionis, quæ aſſerit id ſpecialiter competere Baptiſmo. Confirmationi, Euchariſtiæ,& Extremæ-Vnctioni, probatur diſcùrrendo ſigillatim per huiuſmodi Sacramenta. In primis de Baptiſmo id manifeſtum eſt, cùm enim ſit inſtitutum per modum ſpiritualis regenerationis, gratia quæ in eo datur eſt regeneratiua, ſubindeque omnino tranſmutat hominem, & delet omnem maculam vitæ præteritæ, quæcumque illa ſit. Idem patet de Confirmatione, cùm enim proprius eius effectus ſit robur animæ, & incrementum vitæ ſpiritualis, debet ex opere operato remittere peccata venialia, quæ perfectioni & incremento vitæ ſpiritualis opponuntur. De Euchariſtia verò probatur: Tum quia eſt inſtituta per modum cibi & nutrimenti ſpiritualis, vnde propria virtute reſtaurat quod deperditur per calorem concupiſcentiæ, ex qua procedunt venialia. Tum etiam quia proprius huius ſacramenti effectus eſt excitare feruorem charitatis, quo venialia remittuntur. Vnde Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. aſſir-

2. affirmat illud eſſe antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, id eſt à peccatis venialibus, & à mortalibus præſeruamur. Demum de Extrema-Vnctione facilè ſuadetur, cùm enim hoc Sacramentum inſtitutum ſit ad perfectè diſponendum hominem ad gloriæ ingreſſum & conſecutionem, debet ex vi ſua & inſtitutione, tollere peccata venialia, quæ ab introitu ad gloriam & ab eius conſecutione retardant.

Dico tertiò, non ſolùm Sacramenta, ſed etiam nonnulla ſacramentalia, remittere peccata venialia ex opere operato; non quidem immediatè, ſed mediatè tantùm, quatenus ſcilicet ex meritis Chriſti, vel ex orationibus Eccleſiæ, à Deo obtinent auxilia quædam ſupernaturalia ad eliciendos actus ſupernaturales quibus formaliter aut virtualiter peccata venialia diſplicent & retractantur.

Prima pars probatur] ex cap. *Aquam ſale* de conſecrat. diſt. 3. vbi Alexander 1. ſic ait: *Aquam ſale conſperſam in populis benedicimus, vt ea cuncti aſperſi ſanctificentur, quod omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Si enim cinis vitulæ aſperſus, ſanctificabat atq; mundabat, multo magis aqua ſale conſperſa, diuiniſq; precibus ſacrata, populum ſanctificat atq; mundat.* Ex quibus verbis ſic licet arguere. Ideò Theologi ex doctrina Patrum colligunt Sacramenta nouæ legis cauſare gratiam & remittere peccata mortalia ex opere operato, quia illi abſolutè & ſimpliciter dicunt, quod ſanctificant & purificant animas: Ergo cùm ſimiliter SS. Patres dicant aliqua ſacramentalia nos ſanctificare & mun-

dare

dare à peccatis venialibus, id meliùs & conuenientiùs intelligitur de remiſſione venialium ex opere operato, quam ſolùm ex opere operantis. Et hæc ſententia fouet & auget deuotionem fidelium circa aquam benedictam, & alia Sacramentalia nouæ legis, & docetur expreſsè à S. Thoma ſupra qu. 65. art. 1. ad 3. his verbis: *Ad deletionem venialis peccati non requiritur infuſio gratiæ, vnde cùm in quolibet Sacramento nouæ legis gratia infundatur, nullum Sacramentum nouæ legis inſtituitur directè contra veniale, quod tollitur per quædam Sacramentalia, puta per aquam benedictam, & alia huiuſmodi.* Ex quibus conſtat exceſſiſsè Petrum Aurelium, cùm in vindicijs cenſuræ Sorbonicæ hæc ſcripſit: *Illa verò opinio quam paruuli aliqui Scholaſtici nuper excogitarunt, non ſolùm præter ſcripturam, Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ authoritatem, ſed etiam contra ſenſum, tum eorum omnium, tum omnis propemodum ipſius ſcholæ Theologorum, Sacramentalia effectus ad quos inſtituta ſunt operari ex opere operato, explodenda, & longè amandanda eſt ex animis Catholicorum.*

Secunda pars concluſionis, nempe quod aqua benedicta, & alia ſacramentalia mediatè tantùm cauſent ex opere operato remiſſionem venialium, ex eo conſtat, quod cùm venialia opponantur feruori charitatis, eiuſque priuationem cauſent, nullaque priuatio poſſit tolli, niſi per poſitionem formæ oppoſitæ, Sacramenta & Sacramentalia non poſſunt aliter remittere peccata venialia, quam obtinendo ex meritis Chriſti, & ex orationibus

Eccle-

Eccleſiæ, auxilia ſupernaturalia, quibus homo applicetur à Deo ad eliciendos actus feruentes charitatis vel pœnitentiæ, per quos talia peccata formaliter aut virtualiter retractentur. Ex quo patet differentia inter peccata mortalia & venialia, & ratio cur per Sacramenta peccata mortalia remittantur ex opere operato immediatè, non autem venialia; quia nimirum Sacramenta cauſant immediatè gratiam habitualem, cui macula peccati mortalis priuatiuè opponitur, non autem actualem charitatis feruorem, cui opponitur peccatum veniale.

Contrà primam partem huius concluſionis, obijcit in primis Author Theologiæ mentis & cordis aliqua D. Thomæ teſtimonia, quibus aſſerit ſacramentalia non valere ad remiſſionem venialium, niſi inquantum ſunt cum motu deteſtationis peccatorum, vel cum motu reuerentiæ in Deum, & res diuinas. Verùm hæc ſolùm oſtendunt, ſacramentalia non remittere peccata venialia immediatè, ſed mediatè tantùm, quatenùs ſcilicet ex meritis Chriſti, in actuali & deuota eorum ſuſceptione, conferuntur à Deo auxilia ſupernaturalia, ad eliciendos actus ſupernaturales, quibus formaliter aut virtualiter peccata venialia diſplicent & retractantur. Vnde probant quidem ſecundam partem noſtræ concluſionis, ſed primam nequaquam attingunt.

Obijcit ſecundò, Eccleſiam non habere poteſtatem talem virtutem ſacris cæremonijs impertiendi, vt peccata venialia deleant, & interiores maculas abſtergant, ac intra ani-

mam

mam illapſa operentur. Sed hoc etiam friuolum eſt, non enim virtute Eccleſiæ, ſed virtute Chriſti Domini, ſacramentalia remittunt venialia peccata. Chriſtus enim Eccleſiæ reliquit poteſtatem inſtituendi ac determinandi aliquas cæremonias ſacras, quas ſacramentalia appellamus, quibus determinatis, ipſe Chriſtus ea eleuat, & virtutem illis concedit remittendi peccata venialia ex opere operato, ſeu potiùs impetrandi à Deo auxilia efficacia ad eliciendos actus ſupernaturales, quibus talia peccata formaliter aut virtualiter diſpliceant.

Obijcit tertiò, ſi aliqua ſacramentalia delerent peccata venialia ex opere operato, eſſent reuera Sacramenta: peccatorum enim venialium remiſſionem ex opere operato nequeunt efficere, niſi vel productione gratiæ habitualis, vel noui modi additamento, quo gratia ſacramentalis maculas veniales abſtergeret; vel ſaltem inſpirando gratiam internam actualem, qua pij pœnitentiæ & charitatis motus, delendis peccatis venialibus idonei excitentur: Sed hoc eſt eſſe Sacramentum, ſcilicet ſignum viſibile gratiæ inuiſibilis: Ergo, &c.

Reſpondeo negando ſequelam Maioris, Sacramenta enim nouæ legis ordinantur ad perfectam animæ ſanctificationem, quæ fit per infuſionem vel augmentum gratiæ habitualis: remiſſio autem venialium per ſacramentalia, non eſt perfecta animæ ſanctificatio, quia poteſt fieri ſine infuſione vel augmento gratiæ habitualis, per ſolam gratiam actualem, qua ſeruor charitatis, cui opponi-

tur

tur peccatum veniale, excitetur. Solutio eſt D. Thomæ ſupra quæſt. 65. artic. 1. ad 6. vbi ſic ait: *Aqua benedicta, & aliæ conſecrationes, non dicuntur Sacramenta, quia non perducunt ad Sacramenti effectum, qui eſt gratiæ conſecutio.*

Dico quartò, vt peccata venialia, extra Sacramenta, vel ſacramentalia, ex opere operantis remittantur, requiritur actus pœnitentiæ formalis aut virtualis. Ratio eſt, quia peccatum veniale cauſat aliquam deordinationem in voluntate hominis, non quidem circa vltimum finem, ſed circa media ad illum conducentia, per immoderatam adhæſionem ad bonum creatum; vnde ad remiſſionem peccati venialis requiritur quod talis deordinatio reparetur ſeu tollatur: Sed tolli nequit niſi per actum pœnitentiæ formalis aut virtualis, quia quandiu voluntas formaliter aut virtualiter non retractat illum affectum ad creaturam, ſemper moraliter cenſetur perſeuerare in illo: Ergo vt peccata venialia ex opere operantis remittantur, requiritur actus pœnitentiæ formalis aut virtualis. Nomine autem pœnitentiæ virtualis intelligitur non ſolùm actus charitatis, quo mouemur in Deum vt vltimum finem; ſed etiam omnis motus ſeu actus quo quis ita fertur in Deum vel res diuinas, vt venialia diſplicerent, ſi memoriæ occurrerent; talis enim motûs ſeu actus poteſt dici pœnitentia virtualiter ſeu æquiualenter, vt apertè colligitur ex D. Thoma hic artic. 1. vbi ait quod *ad remiſſionem venialis requiritur quædam virtualis diſplicentia, puta cùm aliquis hoc modo fertur ſecundùm*

dum affectum in Deum & res diuinas, vt quidquid ſibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe hæc commiſiſſe, etiamſi actu de illo non cogitaret. Vnde exiſtimo ad remiſſionem peccati venialis ex opere operantis, ſufficere actum religionis, aut ſpei, vel alterius virtutis ſupernaturalis & infuſæ, quo quis ita fertur in Deum, vel res diuinas, vt venialia diſplicerent, ſi memoriæ occurrerent. Cùm enim macula peccati venialis conſiſtat in priuatione & diminutione illius feruoris & promptitudinis, qua anima fertur in Deum, ei non ſolùm opponitur actus charitatis, ſed etiam actus religionis, puta deuotio qua quis promptè & cum feruore in Deum vel res diuinas fertur. Multi etiam ex Recentioribus non improbabiliter exiſtimant, ad remiſſionem venialium ex opere operantis, ſufficere in iuſtis attritionem virtualiter ſaltem continentem propoſitum non committendi eadem venialia; quia per illam mutatur voluntas & ab illis peccatis auertitur. Et ſanè durum eſſe videtur, ad remiſſionem venialium extra Sacramenta, vel ſacramentalia, etiam in ipſis iuſtificatis requiri actum contritionis perfectæ, non minùs qùam ad remiſſionem mortalium. Et Tridentinum latiùs remiſſionem eorum extendere videtur, cùm ait ſeſſ. 14. cap. 5. non debere neceſſariò ſubijci Sacramento pœnitentiæ, ſicut mortalia, ſed multis alijs remedijs expiari poſſe: neque enim ita multa remedia ſunt, ſi extra Sacramentum, per ſolos actus contritionis remitti poſſunt; ſicut mortalia, præſertim ſi nulla dentur ſacramentalia,

lia, quæ vim habeant ad ea tollenda ex opere operato, vt exiſtimant Authores quos præcedenti concluſione impugnauimus.

Ex dictis colligitur primò, ad remiſſionem venialium in iuſtis non requiri nouam gratiæ habitualis infuſionem, bene tamen gratiam actualem, ſeu auxilium ſupernaturale diuinæ gratiæ.

Prima pars huius corollarij eſt D. Thomæ hic art. 2. ad 3. vbi hanc rationem inſinuat: Id requiritur ad remiſſionem venialis quod ſe habet vt forma tollens maculam ex eo prouenientem: Sed gratia habitualis non eſt forma tollens maculam peccati venialis, cùm ea non conſiſtat in priuatione gratiæ habitualis, ſicut macula peccati mortalis, ſed in conuerſione aliqua inordinata ad bonum commutabile, retardante affectum voluntatis, ne promptè in Deum feratur: Ergo ad remiſſionem venialium in iuſtis, non requiritur noua infuſio gratiæ habitualis. Quòd verò requiratur aliqua gratia actualis, conſtat ex ſupra dictis, oſtendimus enim venialia non poſſe remitti ex opere operato, ſine aliquo actu pœnitentiæ formalis aut virtualis, vel alterius virtutis infuſæ & ſupernaturalis: Sed ad eliciendos huiuſmodi actus requiretur auxilium ſupernaturale: Ergo & ad remiſſionem venialium in homine iuſtificato. Vnde S. Thomas hic art. 4. ad 2. *Licet ad remiſſionem peccati venialis non requiratur noua infuſio habitualis gratiæ, requiritur tamen aliquis gratiæ actus.*

Colligitur etiam ex dictis diſcrimen quod inter peccata mortalia & venialia reperitur, cùm

cùm enim peccata mortalia non deleantur niſi per gratiam ſanctificantem, quæ cum quolibet peccato mortali incompoſſibilis eſt, repugnat vnum peccatum mortale remitti ſine alio. E contra verò, cùm peccata venialia remittantur per charitatis feruorem, vel per actus aliarum virtutum, qui interdum non ſunt tantæ efficaciæ, vt omnia venialia excludant, ac virtualem eorum diſplicentiam importent, vnum vel plura peccata venialia poſſunt remitti ſine alijs.

§. IV.

Recuperatio virtutum, & reuiuiſcentiæ meritorum, quartus pænitentiæ effectus.

CErtum eſt, virtutes infuſas, per peccatum deperditas, reſtitui per pœnitentiam, cùm illæ ſint proprietates gratiæ habitualis, ab ea inſeparabiles, quæ in iuſtificatione peccatoris infunditur. Vnde Lucæ 15. Pater familias reſipiſcenti filio iubet reddi ſtolam primam, & annulum, & calceamenta, id eſt gratias & virtutes ante infuſas, & per peccatum deperditas, vt Hieronymus, Ambroſius, alijque Patres interpretantur. Neque refert ſi dicas, virginitatem ſemel amiſſam reſtaurari vel recuperari non poſſe, iuxta illud Hieronymi epiſt.22. ad Euſtochium: *Audenter loquar, cùm omnia poſſit Deus, virginem ſuſcitare non poteſt poſt ruinam*. Reſpondetur enim cum D. Thoma 2.2. qu.152. art.3. ad 3. quod *virginitas reparari poteſt per pænitentiam, quantùm ad id quod eſt formale in vir-*

tute non autem quantùm ad id quod eſt materiale in ipſa non enim ſi quis magnificus abſumpſerit diuitias, per pænitentiam peccati, reſtituuntur diuitiæ; & ſimiliter ille qui virginitatem perdidit, per pænitentiam non recuperat virginitatis materiam, ſed recuperat virginitatis propoſitum. Non recuperatur ergo per pœnitentiam flos virginitatis nunquam marceſcens, nunquam decolor, ſed recuperatur virginitatis fructus, ſeruandæ nimirum propoſitum caſtimoniæ.

Non minùs certum eſt, merita, ſeu bona opera, per peccatum mortificata, per pœnitentiam reuiuiſcere: quod vt clarè percipiatur, obſeruandum eſt, humana opera eſſe in multiplici differentia: alia enim ſunt viua, alia mortua, alia mortifera, & alia mortificata. Viua ſunt quæ procedunt à principio vitali ordinis ſupernaturalis, nempe gratia & charitate, quæ in anima iuſti eſt fons ille aquæ ſalientis in vitam æternam, de quo Ioan. 4. Mortua, quæ ex genere ſuo & proprio obiecto bona ſunt, ſed cùm ſint ab homine exiſtente extra ſtatum gratiæ elicita, vitæ principio omnino carent. Mortifera, quæ mortem animæ inferunt, eam priuando gratia, quæ quantùm ad vitam ſupernaturalem ſe habet ad animam, ſicut anima ad corpus, quantùm ad naturalem, iuxta illud Auguſtini ſerm. 5. de verbis Apoſtoli: *Sicut anima eſt vita corporis, ſic animæ vita eſt Deus* (vnitus illi per gratiam & charitatem.) *Sicut expirat corpus, cùm animam emittit; ita expirat anima, cùm Deum amittit. Deus amiſſus, mors animæ, Anima emiſſa, mors corporis*, Demum ope-

opera mortificata ea dicuntur quæ à gratia & charitate elicita, per ſubſequens peccatum impediuntur ne habeant vim & efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam. Dicimus ergo, hæc merita, ſeu bona opera, per peccatum mortificata, reuiuiſcere per pœnitentiam; ſeu recuperare vim & efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam, qua fuerant priuata per peccatum. Cauſa enim carens aliquo ſuo effectu, propter impedimentum, illo ſecluſo, debet talem effectum producere; nam lapis v. g. in aere ſuſpenſus, & fune impeditus, ne deorſum feratur, præciſo fune, & ſublato obice redit ad centrum. Sed merita quæ ante peccatum homo acquiſiuit, per peccatum ſubſequens fuerunt impedita, ne ſuum haberent effectum, & ius homini ad vitam æternam tribuerent: Ergo remoto per pœnitentiam tali impedimento, debent ſuum effectum conſequi & tale ius ad vitam æternam homini pœnitenti rurſus tribuere. Sicut ergo ventus auferens nubem nobis ſolem reſtituit; ita pœnitentia, tanquam remouens prohibens, gratiam gratum facientem, & virtutum ornamenta, & merita antiqua nobis reſtituit, vt ait S. Thomas in 4. diſt. 14. qu. 2. artic. 2. Vel ſicut aqua flúminum, frigore hyemis aut Aquilonis congelata, & impedita ne decurreret, & ad ſuum terminum perueniret, flante Auſtro liqueſcit, & ſublato impedimento, mouetur ſicut antea. Ita merita noſtra, frigore ſubſequentis peccati mortalis quaſi congelata, Spiritu Sancto flante, per pœnitentiam veluti reſoluuntur, vt iterum fluant, & hominem perducant ad vitam æter-

rabiliter intelligi, è contra verò comminationes, vtpotè odioſæ, debent potiùs reſtringi, & intelligi cum moderatione fauorabili: vnde cùm ſit promiſſio, quando Deus dicit ſe non recordaturum iniquitatum, comminatio verò quando dicit ſe non recordaturum bonorum operum iuſti in peccatum lapſi; illud ampliſſimè, iſtud verò cum fauorabili reſtrictione debet intelligi. Per quod patet ad verba Ezechielis in obiectione adducta.

Hæc ſunt certa & indubitata apud omnes Theologos, ſed grauis eſt difficultas & controuerſia circa modum & quantitatem qua merita mortificata, per pœnitentiam reuiuiſcunt. Nominales enim quos ſequuntur Suarez, Conink, & alij Recentiores, exiſtimant, merita per peccatum mortificata, ita perfectè per pœnitentiam reuiuiſcere, vt homo reſurgens à peccato per actum contritionis vel charitatis, quantumcumque remiſſum, ſtatim recuperet totam gratiam in eſſe qualitatis & habitus quam habebat ante peccatum. Sed hæc ſententia apertè repugnat D. Thomæ hic qu. 89. art. 2. vbi aſſerit quod pœnitens quandoque reſurgit in maiori gratia quam priùs habebat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori: Hoc autem eſſet falſum, ſi ſemper recuperaret totam gratiam in eſſe qualitatis & habitus, quam habebat ante peccatum, ſemper enim reſurgeret in maiori gratia quam haberet antea, quia vltra præteritam, quam totam recuperaret, aliam haberet correſpondentem propriæ diſpoſitioni per quam reſurgit.

Contra eandem ſententiam vrget etiam

hæc

hæc ratio quam ibidem inſinuat S. Doctor; Quantitas formæ intenſibilis & remiſſibilis menſurari debet ſecundùm quantitatem diſpoſitionis: Sed gratia eſt forma intenſibilis & remiſſibilis, & contritio per quam pœnitens ad eam ſe diſponit, & à peccato reſurgit, interdum remiſſa eſt, & non adæquat in intenſione gratiam quam pœnitens habebat ante peccatum: Ergo per pœnitentiam non ſemper homo recuperat totam gratiam in eſſe qualitatis & habitus, quam habebat ante peccatum. Confirmatur: Pœnitens non eſt innocente melioris conditionis: Atqui innocenti gratiam habitualem non largitur Deus, niſi iuxta actuum & diſpoſitionum præſentium proportionem: Ergo nec pœnitenti eam tribuit, niſi iuxta menſuram contritionis per quam reſurgit, & pœnitentiæ conatum.

Alij in extremo poſiti docent nullum gratiæ gradum pœnitenti conferri, præter eum qui correſpondet contritioni per quam reſurgit, illumque nihil recuperare de iure ad gloriam eſſentialem, præcedentibus meritis debitam; ſed idem præmium eſſentiale quod correſpondet gratiæ quæ in conuerſione illi confertur, ipſi dari pluribus titulis, nempe & ratione præſentis diſpoſitionis, & intuitu meritorum antecedentium. Ita Bannez, & aliqui ex recentioribus Thomiſtis, nixi potiſſimùm teſtimonijs D. Thomæ, quæ infra adducemus & exponemus. Verùm hæc opinio reuiuiſcentiam meritorum penitus euacuat, & in titulum ſine re, vel rem de ſolo titulo, eam reſoluit. Quid enim prodeſt merenti, quòd præmium vno ſiue pluribus titulis ei detur,

Certè ſi quis in vinea alterius per decem dies laboraſſet, eique poſtea merces laboris vnius duntaxat diêi, decem titulis diuerſis conferretur, non cenſeretûr ex condigno compenſari. Et ſi peccata primum mortale ſubſequentia, ſolùm punirentur pœna primò peccato debita pluribus titulis inflicta, non cenſerentur propriè puniri, nec cauſare incrementum ſupplicij. Addo quod Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. docet merita mortificata reuiuiſcere ad vitam æternam: Sed vita æterna ſignificat præmium eſſentiale: Ergo cenſet illa reuiuiſcere ad præmium eſſentiale, & non ſolùm ad gloriam accidentalem. Vnde.

Alij Thomiſtæ, vt huius ſententiæ rigorem aliquatenus temperent, & nihilominus à doctrina Præceptoris Angelici non recedant, docent merita per peccatum mortificata reuiuiſcere quidem ad præmium eſſentiale, & non ſolùm ad accidentale, non tamen ſecundùm omnem gradum meriti, quem habuerunt ante peccatum, ſed iuxta quantitatem præſentis contritionis ſiue diſpoſitionis per quam pœnitens reſurgit: v.g. ſi quis ante peccatum habuerit merita vt viginti, & reſurgat per contritionem vt quatuor, dabitur ei gratia in eſſe gratiæ, ſeu ius ad viſionem beatificam, vt octo, nempe quatuor gradus propter præſentem contritionem, & quatuor ob præcedentia merita. Ita Soto, Ledeſma, Nugno, Aluares, Candidus, Valentia, & alij, quibus apertè fauet S. Thomas in 3. diſt. 31. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 2. vbi ait quod pœnitentia *omnia merita mortificata reſtituit, ſed non oportet quod æqualia*. Et hic

quæſt.

quæſt. 89. art. 5. ad 3. hæc ſcribit: *Dicendum quod ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequitur quidem præmium eſſentiale, ſecundùm quantitatem charitatis in qua inuenitur &c.* At hoc eſſet falſum, ſi per actus remiſſos charitatis, merita mortificata ſecundùm omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum reuiuiſcerent; conſequeretur enim ille qui in minori charitate reſurgit, præmium eſſentiale, ſiue ius ad illud, non ſecundùm quantitatem charitatis in qua inueniretur, ſed in menſura ipſam excedente, vt manifeſtum eſt: Ergo iuxta doctrinam D. Thomæ, quando merita mortificata, per actus remiſſos charitatis reuiuiſcunt, non reuiuiſcunt ſecundùm omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum, ſed iuxta quantitatem præſentis contritionis per quam pœnitens reſurgit. Illa enim non ſe habet ſolùm vt remotio impedimenti, ſed etiam vt diſpoſitio moralis ad reuiuiſcentiam meritorum, ſiue ad gratiam in eſſe gratiæ, quæ meritis illis correſpondet; ſicut calor non ſolùm remouet duritiem, qua impeditur aqua frigore congelata ne fluat, ſed etiam aquam diſponit vt in toto reſoluatur, vel in parte: forma autem dependens à diſpoſitionibus ſubiecti, nunquam in ipſum introducitur, niſi iuxta proportionem & menſuram illarum. Vnde Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. docet vnumquemque recipere gratiam iuſtificantem, *ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem*.

Dices primò, cùm contritio per quam pœnitens reſurgit, non ſit diſpoſitio phyſica, ſed duntaxat moralis ad reuiuiſcentiam merito-

rum, & iſta ex mero Dei beneplacito, ac gratu a eius voluntate dependeat, nullum eſt fundamentum aſſerendi, quod merita per peccatum mortificata reuiuiſcant ſolùm iuxta menſuram contritionis qua peccator reſurgit, & non ſecundùm omnes gradus, omnemque amplitudinem quam habebant ante peccatum.

Reſpondeo varias aſſignari poſſe rationes ſeu congruentias, cur Deus voluerit meritorum reuiuiſcentiam fieri iuxta menſuram contritionis ſeu diſpoſitionis per quam peccator reſurgit. Prima eſt, vt in reuiuiſcentia meritorum non ſic ſplendeat diuina miſericordia, quin etiam detur aliquis locus ſplendori diuinæ iuſtitiæ, quæ videtur exigere, vt non per qualemcumque pœnitentiam, licet veram, peccator reſtituatur in priſtinum gradum gratiæ & gloriæ, ſed ſolùm per eam quæ ipſi proportionatur. Secunda, ne detur iuſtis occaſio tepiditatis & facilitatis ad peccandum, videndo ita facilem eſſe per pœnitentiam præcedentium meritorum reuiuiſcentiam, quoad totum præmium eſſentiale. Tertia, vt iuſtificati per hoc inducantur ad eliciendum feruentiores actus contritionis & charitatis, quibus opera mortificata magis reuiuiſcant, quouſque in integrum quoad omne meritum reſtituantur. Certè Nominalium & Recentiorum opinio, dum nimia ſua benignitate peccatores pœnitentes conſolatur, multùm tepiditatis & facilitatis ad peccandum inijcit iuſtis, vtpote qui non tantò peccatum formidabunt, ſi exiſtiment qualicumque pœnitentia, quantumuis remiſſa, omnes pri-

priſtinæ gratiæ & gloriæ gradus ſe ſtatim recuperaturos. Altera verò ſententia quæ aſſerit pœnitentem nihil recuperare de gloria eſſentiali per peccatum deperdita, ſed duntaxat vanum aliquem, & inanem titulum, ſeu gloriam aliquam accidentalem, peccatores à pœnitentia retrahit, eoſque in deſperationem adducit, videndo locuſtam & bruchum præcedentium peccatorum, omnem prorſus meritorum ſuorum ſegetem ac vbertatem corroſiſſe & conſumpſiſſe, ſolo relicto cortice, ſeu titulo inani, ſine vlla prorſus ſpe eam recuperandi. Noſtra verò ſententia media via incedens, & aſſerens merita quidem præcedentia reſtitui per pœnitentiam, ſed duntaxat iuxta menſuram contritionis & diſpoſitionis ipſius pœnitentis, ita peccatores pœnitentes conſolatur, vt eos excitet ad eliciendos actus feruentiores, quibus merita per peccatum mortificata in integrum reuiuiſcant.

Dices ſecundò, iuxta hanc ſententiam, merita per peccatum mortificata, non plenè & perfectè reuiuiſcunt, ſed duntaxat ex parte & ſecundùm quid: ſed hoc videtur repugnare teſtimonijs Scripturæ & Tridentini ſupra relatis, quæ plenam & perfectam meritorum reuiuiſcentiam docere videntur: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo Maiorem: non plenè & perfectè reuiuiſcunt, quantum eſt ex parte Dei, & virtutis pœnitentiæ, nego Maiorem: Deus enim quantùm eſt de ſe paratus eſt omnia merita per peccatum mortificata viuificare & reparare, & pœnitentia de ſe habet ad hoc ſufficientem virtutem & efficaciam. Quantùm eſt ex parte hominis,

non ſe diſponentis per actus intenſos charitatis & pœnitentiæ, ad plenam & perfectam reuiuiſcentiam omnium meritorum, concedo Maiorem. Solutio eſt D. Thomæ hic art. 2. ad 1. vbi ſic ait: *Pœnitentia quantùm eſt de ſe habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, & etiam promouendi in vlteriorem ſtatum: Sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remiſſius mouetur in Deum & in deteſtationem peccati.*

Dices tertiò, D. Thomas hic art. 5. ad 3. ſic ait: *Ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequetur quidem præmium eſſentiale, ſecundùm quantitatem charitatis in qua inuenitur, habebit tamen gaudium maius de operibus in prima charitate factis, quam de operibus quæ in ſecunda charitate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Et in 3 diſt. 31. qu. 1. art. 4. ad 4. *Homo per priora merita mortificata merebatur tantam gloriam, quantam charitatem habebat, ſed ipſe per peccatum factus eſt alter, & non plenariè ad priſtinum gradum reſtitutus, ideo non plenariè recipiet effectum priorum meritorum, niſi quantùm ad præmium accidentale.* Ergo cenſet S. Doctor, merita per peccatum mortificata non reuiuiſcere totaliter, vel iuxta menſuram contritionis per quam pœnitens reſurgit, ad gloriam eſſentialem, ſed duntaxat ad præmium accidentale.

Sed nego conſequentiam, nam D. Thomas in his & ſimilibus locis non intendit negare quod merita mortificata reuiuiſcant per pœnitentiam, quantùm ad ius quod priùs habebant ad gloriam eſſentialem, ſecundùm menſu-

ſuram & quantitatem contritionis qua homo conuertitur, vt patet ex illis verbis: *Ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequitur præmium eſſentiale, ſecundum quantitatem charitatis in qua inuenitur*. Sed ſolùm vult, quod quia tale ius ad præmium eſſentiale, interdum minus eſt ac illud quod fuit ante peccatum, ob defectum diſpoſitionis & contritionis per quam pœnitens reſurgit, quæ ſæpe valde remiſſa eſt, ideò pro illo exceſſu, & pro illis meritis non perfectè per pœnitentiam reuiuiſcentibus, pœnitens ſolùm habet ius ad præmium aliquod accidentale, nimirùm gaudium maius de operibus in prima charitate factis, niſi per ſubſequentes actus contritionis & charitatis ſe ſufficienter diſponat, vt totum ius quod habebat ad præmium eſſentiale, ratione præcedentium meritorum, ipſi plenè reſtituatur per pœnitentiam. Vnde hæc teſtimonia D. Thomæ non militant contra noſtram ſententiam, ſed ſolùm contra opinionem illorum qui docent merita mortificata, ad totam gloriæ latitudinem, prioribus meritis debitam, independenter à præſentis diſpoſitionis conatu reuiuiſcere.

Quæres quandonam merita remiſſa, ſeu remiſsè viuificata, recipiunt augmentum gratiæ in eſſe phyſico? Reſpondeo illud non recipere in hac vita, ſed in alia, nempe in inſtanti ſeparationis animæ à corpore: Gratia enim non recipitur phyſicè in ſubiecto, niſi iuxta proportionem diſpoſitionem talis ſubiecti: Sed homo non poteſt ſufficienter diſponi in hac vita ad augmentum gratiæ in eſ-

ſe

nam. Vnde Auguſtinus explicans verba illa Pſalm. 125. *Conuerte Domine captiuitatem noſtram ſicut torrens in Auſtro*, ſic ait: *Quomodo frigus ligat aquam ne currat, ita & nos illigati frigore peccatorum gelauimus: Auſter autem calidus ventus eſt. Quando flat Auſter, liqueſcit glacies, & implentur torrentes. Gelaueramus autem in captiuitate, conſtringebant nos peccata noſtra: flauit Auſter Spiritus Sanctus, dimiſſa ſunt nobis peccata ſoluti ſumus à frigore iniquitatis: tanquam glacies in ſereno, ſic ſoluuntur peccata noſtra. Curramus ad patriam ſicut torrens in Auſtro.*

Plura etiam ſunt Scripturæ teſtimonia, quę eandem meritorum mortificatorum reuiuiſcentiam non obſcurè indicant. Celebre eſt illud Ezechiel 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit.* Noceret autem plurimùm, ſi veterum meritorum fructum impediret. Et iſtud Ioel. 2. *Reddam vobis annos quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca.* Id eſt præteritarum actionum mercedem, vt exponit Hieronymus, qui mox addit: *Si poſt pœnitentiam Deus tantam vbertatem pollicetur, quid reſpondebit Nouatus, negans pœnitentiam, & reformari peccatores in priſtinum ſtatum?* Adducit etiam Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. illud Apoſtoli ad Hebr. 6. *Non eſt iniuſtus Deus vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* Et paulò poſt addit: *Nihil ipſis iuſtificatis ampliùs deeſſe credendum eſt, quominus plenè illis quidem operibus quæ in Deo ſunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi ta-*

ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam verè promeruiſſe cenſeantur. Vbi notanda ſunt illa verba: *Si tamen in gratia deceſſerint:* Ex quibus ſatis apertè conuincitur, merita per peccatum mortificata reuiuiſcere per pœnitentiam: meritum enim reuiuiſcere, nihil aliud eſt, quam hominem in tali ſtatu conſtitui, vt ſi in illo moriatur, bonorum operum præmium illi debitum conſequatur.

Dices, merita mala, ſeu peccata per pœnitentiam remiſſa, non redeunt, vt communiter docent Theologi, & conſtat ex Gelaſio Papa in cap. *Finali* de pœnit. diſt. 4. vbi ſic ait: *Diuina clementia dimiſſa peccata, in vltionem vlterius redire non patitur.* Ergo nec merita bona per peccatum mortificata reuiuiſcunt. Probatur conſequentia, tum ex paritate rationis, tum etiam quia ſicut dicitur Ezechiel. 18. de peccatore pœnitentiam agente, *omnium iniquitatum eius non recordabor*, ſic dicitur de iuſto qui commiſit crimen lethale, *omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur.*

Reſpondeo, conceſſo Antecedente, negando conſequentiam & paritatem: ratio autem diſparitatis eſt, quia Deus pronior eſt ad benefaciendum & miſerendum, quam ad puniendum; & ipſe eſt author meritorum, & non peccatorum: vnde non mirum, ſi merita per peccatum mortificata, maneant in diuina acceptatione; & ſublato peccato, quod impedit eorum effectum, reuiuiſcant: peccata verò remiſſa non maneant in indignatione diuina, vt per ſequens peccatum mortale redeant quoad culpam vel pœnam ęternam. Addo quod promiſſiones debent amplè & fauo-

rabiliter intelligi, è contra verò comminationes, vtpotè odioſæ, debent potiùs reſtringi, & intelligi cum moderatione fauorabili: vnde cùm ſit promiſſio, quando Deus dicit ſe non recordaturum iniquitatum; comminatio verò quando dicit ſe non recordaturum bonorum operum iuſti in peccatum lapſi; illud ampliſſimè, iſtud verò cum fauorabili reſtrictione debet intelligi. Per quod patet ad verba Ezechielis in obiectione adducta.

Hæc ſunt certa & indubitata apud omnes Theologos, ſed grauis eſt difficultas & controuerſia circa modum & quantitatem qua merita mortificata, per pœnitentiam reuiuiſcunt. Nominales enim quos ſequuntur Suarez, Conink, & alij Recentiores, exiſtimant, merita per peccatum mortificata, ita perfectè per pœnitentiam reuiuiſcere, vt homo reſurgens à peccato per actum contritionis vel charitatis, quantumcumque remiſſum, ſtatim recuperet totam gratiam in eſſe qualitatis & habitus quam habebat ante peccatum. Sed hæc ſententia apertè repugnat D. Thomæ hic qu. 89. art. 2. vbi aſſerit quod pœnitens quandoque reſurgit in maiori gratia quam priùs habebat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori: Hoc autem eſſet falſum, ſi ſemper recuperaret totam gratiam in eſſe qualitatis & habitus, quam habebat ante peccatum, ſemper enim reſurgeret in maiori gratia quam haberet antea, quia vltra præteritam, quam totam recuperaret, aliam haberet correſpondentem propriæ diſpoſitioni per quam reſurgit.

Contra eandem ſententiam vrget etiam

hæc ratio quam ibidem inſinuat S. Doctor: Quantitas formæ intenſibilis & remiſſibilis menſurari debet ſecundùm quantitatem diſpoſitionis: Sed gratia eſt forma intenſibilis & remiſſibilis, & contritio per quam pœnitens ad eam ſe diſponit, & à peccato reſurgit, interdum remiſſa eſt, & non adæquat in intenſione gratiam quam pœnitens habebat ante peccatum: Ergo per pœnitentiam non ſemper homo recuperat totam gratiam in eſſe qualitatis & habitus, quam habebat ante peccatum. Confirmatur: Pœnitens non eſt innocente melioris conditionis: Atqui innocenti gratiam habitualem non largitur Deus, niſi iuxta actuum & diſpoſitionum præſentium proportionem: Ergo nec pœnitenti eam tribuit, niſi iuxta menſuram contritionis per quam reſurgit, & pœnitentiæ conatum.

Alij in extremo poſiti docent nullum gratiæ gradum pœnitenti conferri, præter eum qui correſpondet contritioni per quam reſurgit, illumque nihil recuperare de iure ad gloriam eſſentialem, præcedentibus meritis debitam; ſed idem præmium eſſentiale quod correſpondet gratiæ quæ in conuerſione illi confertur, ipſi dari pluribus titulis, nempe & ratione præſentis diſpoſitionis, & intuitu meritorum antecedentium. Ita Bannez, & aliqui ex recentioribus Thomiſtis, nixi potiſſimùm teſtimonijs D. Thomæ, quæ infra adducemus & exponemus. Verùm hæc opinio reuiuiſcentiam meritorum penitus euacuat, & in titulum ſine re, vel rem de ſolo titulo, eam reſoluit. Quid enim prodeſt merenti, quòd præmium vno ſiue pluribus titulis ei detur,

Certè ſi quis in vinea alterius per decem dies laboraſſet, eique poſtea merces laboris vnius duntaxat diêi, decem titulis diuerſis conferretur, non cenſeretur ex condigno compenſari. Et ſi peccata primum mortale ſubſequentia, ſolùm punirentur pœna primò peccato debita pluribus titulis inflicta, non cenſerentur propriè puniri, nec cauſare incrementum ſupplicij. Addo quod Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. docet merita mortificata reuiuiſcere ad vitam æternam: Sed vita æterna ſignificat præmium eſſentiale: Ergo cenſet illa reuiuiſcere ad præmium eſſentiale, & non ſolùm ad gloriam accidentalem. Vnde.

Alij Thomiſtæ, vt huius ſententiæ rigorem aliquatenus temperent, & nihilominus à doctrina Præceptoris Angelici non recedant, docent merita per peccatum mortificata reuiuiſcere quidem ad præmium eſſentiale, & non ſolùm ad accidentale, non tamen ſecundùm omnem gradum meriti, quem habuerunt ante peccatum, ſed iuxta quantitatem præſentis contritionis ſiue diſpoſitionis per quam pœnitens reſurgit: v.g. ſi quis ante peccatum habuerit merita vt viginti, & reſurgat per contritionem vt quatuor, dabitur ei gratia in eſſe gratiæ, ſeu ius ad viſionem beatificam, vt octo, nempe quatuor gradus propter præſentem contritionem, & quatuor ob præcedentia merita. Ita Soto, Ledeſma, Nugno, Aluares, Candidus, Valentia, & alij, quibus apertè fauet S. Thomas in 3. diſt. 31. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 2. vbi ait quod pœnitentia *omnia merita mortificata reſtituit, ſed non oportet quod æqualia*. Et hîc

quæſt.

quæſt. 89. art. 5. ad 3. hæc ſcribit: *Dicendum quod ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequitur quidem præmium eſſentiale, ſecundùm quantitatem charitatis in qua inuenitur &c.* At hoc eſſet falſum, ſi per actus remiſſos charitatis, merita mortificata ſecundùm omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum reuiuiſcerent; conſequeretur enim ille qui in minori charitate reſurgit, præmium eſſentiale, ſiue ius ad illud, non ſecundùm quantitatem charitatis in qua inuenitur, ſed in menſura ipſam excedente, vt manifeſtum eſt: Ergo iuxta doctrinam D. Thomæ, quando merita mortificata, per actus remiſſos charitatis reuiuiſcunt, non reuiuiſcunt ſecundùm omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum, ſed iuxta quantitatem præſentis contritionis per quam pœnitens reſurgit. Illa enim non ſe habet ſolùm vt remotio impedimenti, ſed etiam vt diſpoſitio moralis ad reuiuiſcentiam meritorum, ſiue ad gratiam in eſſe gratiæ, quæ meritis illis correſpondet; ſicut calor non ſolùm remouet duritiem, qua impeditur aqua frigore congelata ne fluat, ſed etiam aquam diſponit vt in toto reſoluatur, vel in parte: forma autem dependens à diſpoſitionibus ſubiecti, nunquam in ipſum introducitur, niſi iuxta proportionem & menſuram illarum. Vnde Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. docet vnumquemque recipere gratiam iuſtificantem, *ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem.*

Dices primò, cùm contritio per quam pœnitens reſurgit, non ſit diſpoſitio phyſica, ſed duntaxat moralis ad reuiuiſcentiam merito-

rum, & iſta ex mero Dei beneplacito, ac gratu a eius voluntate dependeat, nullum eſt fundamentum aſſerendi, quod merita per peccatum mortificata reuiuiſcant ſolùm iuxta menſuram contritionis qua peccator reſurgit, & non ſecundùm omnes gradus, omnemque amplitudinem quam habebant ante peccatum.

Reſpondeo varias aſſignari poſſe rationes ſeu congruentias, cur Deus voluerit meritorum reuiuiſcentiam fieri iuxta menſuram contritionis ſeu diſpoſitionis per quam peccator reſurgit. Prima eſt, vt in reuiuiſcentia meritorum non ſic ſplendeat diuina miſericordia, quin etiam detur aliquis locus ſplendori diuinæ iuſtitiæ, quæ videtur exigere, vt non per qualemcumque pœnitentiam, licet veram, peccator reſtituatur in priſtinum gradum gratiæ & gloriæ, ſed ſolùm per eam quæ ipſi proportionatur. Secunda, ne detur iuſtis occaſio tepiditatis & facilitatis ad peccandum, videndo ita facilem eſſe per pœnitentiam præcedentium meritorum reuiuiſcentiam, quoad totum præmium eſſentiale. Tertia, vt iuſtificati per hoc inducantur ad eliciendum feruentiores actus contritionis & charitatis, quibus opera mortificata magis reuiuiſcant, quouſque in integrum quoad omne meritum reſtituantur. Certè Nominalium & Recentiorum opinio, dum nimia ſua benignitate peccatores pœnitentes conſolatur, multùm tepiditatis & facilitatis ad peccandum injicit iuſtis, vtpote qui non tantò peccatum formidabunt, ſi exiſtiment qualicumque pœnitentia, quantumuis remiſſa, omnes

pri-

priſtinæ gratiæ & gloriæ gradus ſe ſtatim recuperaturos. Altera verò ſententia quæ aſſerit pœnitentem nihil recuperare de gloria eſſentiali per peccatum deperdita, ſed duntaxat vanum aliquem, & inanem titulum, ſeu gloriam aliquam accidentalem, peccatores à pœnitentia retrahit, eoſque in deſperationem adducit, videndo locuſtam & bruchum præcedentium peccatorum, omnem prorſus meritorum ſuorum ſegetem ac vbertatem corroſiſſe & conſumpſiſſe, ſolo relicto cortice, ſeu titulo inani, ſine vlla prorſus ſpe eam recuperandi. Noſtra verò ſententia media via incedens, & aſſerens merita quidem præcedentia reſtitui per pœnitentiam, ſed duntaxat iuxta menſuram contritionis & diſpoſitionis ipſius pœnitentis, ita peccatores pœnitentes conſolatur, vt eos excitet ad eliciendos actus feruentiores, quibus merita per peccatum mortificata in integrum reuiuiſcant.

Dices ſecundò, iuxta hanc ſententiam, merita per peccatum mortificata, non plenè & perfectè reuiuiſcunt, ſed duntaxat ex parte & ſecundùm quid: ſed hoc videtur repugnare teſtimonijs Scripturæ & Tridentini ſupra relatis, quæ plenam & perfectam meritorum reuiuiſcentiam docere videntur: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo Maiorem: non plenè & perfectè reuiuiſcunt, quantum eſt ex parte Dei, & virtutis pœnitentiæ, nego Maiorem: Deus enim quantùm eſt de ſe paratus eſt omnia merita per peccatum mortificata viuificare & reparare, & pœnitentia de ſe habet ad hoc ſufficientem virtutem & efficaciam. Quantùm eſt ex parte hominis,

non ſe diſponentis per actus intenſos charitatis & pœnitentiæ, ad plenam & perfectam reuiuiſcentiam omnium meritorum, concedo Maiorem. Solutio eſt D. Thomæ hic art. 2. ad 1. vbi ſic ait: *Pœnitentia quantùm eſt de ſe habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, & etiam promouendi in vlteriorem ſtatum: Sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remiſſius mouetur in Deum & in deteſtationem peccati.*

Dices tertiò, D. Thomas hic art. 5. ad 3. ſic ait: *Ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequetur quidem præmium eſſentiale, ſecundùm quantitatem charitatis in qua inuenitur, habebit tamen gaudium maius de operibus in prima charitate factis, quam de operibus quæ in ſecunda charitate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Et in 3 diſt. 31. qu. 1. art. 4. ad 4. *Homo per priora merita mortificata merebatur tantam gloriam, quantam charitatem habebat, ſed ipſe per peccatum factus eſt alter, & non plenariè ad priſtinum gradum reſtitutus, ideo non plenariè recipiet effectum priorum meritorum, niſi quantùm ad premium accidentale.* Ergo cenſet S. Doctor, merita per peccatum mortificata non reuiuiſcere totaliter, vel iuxta menſuram contritionis per quam pœnitens reſurgit, ad gloriam eſſentialem, ſed duntaxat ad præmium accidentale.

Sed nego conſequentiam, nam D. Thomas in his & ſimilibus locis non intendit negare quod merita mortificata reuiuiſcant per pœnitentiam, quantùm ad ius quod priùs habebant ad gloriam eſſentialem, ſecundùm menſu-

ſuram & quantitatem contritionis qua homo conuertitur, vt patet ex illis verbis: *Ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequitur præmium eſſentiale, ſecundùm quantitatem charitatis in qua inuenitur.* Sed ſolùm vult, quod quia tale ius ad præmium eſſentiale, interdum minus eſt ac illud quod fuit ante peccatum, ob defectum diſpoſitionis & contritionis per quam pœnitens reſurgit, quæ ſæpe valde remiſſa eſt, ideò pro illo exceſſu, & pro illis meritis non perfectè per pœnitentiam reuiuiſcentibus, pœnitens ſolùm habet ius ad præmium aliquod accidentale, nimirùm gaudium maius de operibus in prima charitate factis, niſi per ſubſequentes actus contritionis & charitatis ſe ſufficienter diſponat, vt totum ius quod habebat ad præmium eſſentiale, ratione præcedentium meritorum, ipſi plenè reſtituatur per pœnitentiam. Vnde hæc teſtimonia D. Thomæ non militant contra noſtram ſententiam, ſed ſolùm contra opinionem illorum qui docent merita mortificata, ad totam gloriæ latitudinem, prioribus meritis debitam, independenter à præſentis diſpoſitionis conatu reuiuiſcere.

Quæres quandonam merita remiſſa, ſeu remiſsè viuificata, recipiunt augmentum gratiæ in eſſe phyſico? Reſpondeo illud non recipere in hac vita, ſed in alia, nempe in inſtanti ſeparationis animæ à corpore: Gratia enim non recipitur phyſicè in ſubiecto, niſi iuxta proportionem diſpoſitionem talis ſubiecti: Sed homo non poteſt ſufficienter diſponi in hac vita ad augmentum gratiæ in eſ-

ſe

rabiliter intelligi, è contra verò comminationes, vtpotè odioſæ, debent potiùs reſtringi, & intelligi cum moderatione fauorabili: vnde cùm ſit promiſſio, quando Deus dicit ſe non recordaturum iniquitatum, comminatio verò quando dicit ſe non recordaturum bonorum operum iuſti in peccatum lapſi; illud ampliſſimè, iſtud verò cum fauorabili reſtrictione debet intelligi. Per quod patet ad verba Ezechielis in obiectione adducta.

Hæc ſunt certa & indubitata apud omnes Theologos, ſed grauis eſt difficultas & controuerſia circa modum & quantitatem qua merita mortificata, per pœnitentiam reuiuiſcunt. Nominales enim quos ſequuntur Suarez, Conink, & alij Recentiores, exiſtimant, merita per peccatum mortificata, ita perfectè per pœnitentiam reuiuiſcere, vt homo reſurgens à peccato per actum contritionis vel charitatis, quantumcumque remiſſum, ſtatim recuperet totam gratiam in eſſe qualitatis & habitus quam habebat ante peccatum. Sed hæc ſententia apertè repugnat D. Thomæ hic qu. 89. art. 2. vbi aſſerit quod pœnitens quandoque reſurgit in maiori gratia quam priùs habebat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori: Hoc autem eſſet falſum, ſi ſemper recuperaret totam gratiam in eſſe qualitatis & habitus, quam habebat ante peccatum, ſemper enim reſurgeret in maiori gratia quam haberet antea, quia vltra præteritam, quam totam recuperaret, aliam haberet correſpondentem propriæ diſpoſitioni per quam reſurgit.

Contra eandem ſententiam vrget etiam

hæc ratio quam ibidem inſinuat S. Doctor: Quantitas formæ intenſibilis & remiſſibilis menſurari debet ſecundùm quantitatem diſpoſitionis: Sed gratia eſt forma intenſibilis & remiſſibilis, & contritio per quam pœnitens ad eam ſe diſponit, & à peccato reſurgit, interdum remiſſa eſt, & non adæquat in intenſione gratiam quam pœnitens habebat ante peccatum: Ergo per pœnitentiam non ſemper homo recuperat totam gratiam in eſſe qualitatis & habitus, quam habebat ante peccatum. Confirmatur: Pœnitens non eſt innocente melioris conditionis: Atqui innocenti gratiam habitualem non largitur Deus, niſi iuxta actuum & diſpoſitionum præſentium proportionem: Ergo nec pœnitenti eam tribuit, niſi iuxta menſuram contritionis per quam reſurgit, & pœnitentiæ conatum.

Alij in extremo poſiti docent nullum gratiæ gradum pœnitenti conferri, præter eum qui correſpondet contritioni per quam reſurgit, illumque nihil recuperare de iure ad gloriam eſſentialem, præcedentibus meritis debitam; ſed idem præmium eſſentiale quod correſpondet gratiæ quæ in conuerſione illi confertur, ipſi dari pluribus titulis, nempe & ratione præſentis diſpoſitionis, & intuitu meritorum antecedentium. Ita Bannez, & aliqui ex recentioribus Thomiſtis, nixi potiſſimùm teſtimonijs D. Thomæ, quæ infra adducemus & exponemus. Verùm hæc opinio reuiuiſcentiam meritorum penitus euacuat, & in titulum ſine re, vel rem de ſolo titulo, eam reſoluit. Quid enim prodeſt merenti, quòd præmium vno ſiue pluribus titulis ei detur,

Certè ſi quis in vinea alterius per decem dies laboraſſet, eique poſtea merces laboris vnius duntaxat diêi, decem titulis diuerſis conferretur, non cenſeretur ex condigno compenſari. Et ſi peccata primum mortale ſubſequentia, ſolùm punirentur pœna primò peccato debita pluribus titulis inflicta, non cenſerentur propriè puniri, nec cauſare incrementum ſupplicij. Addo quod Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. docet merita mortificata reuiuiſcere ad vitam æternam: Sed vita æterna ſignificat præmium eſſentiale: Ergo cenſet illa reuiuiſcere ad præmium eſſentiale, & non ſolùm ad gloriam accidentalem. Vnde.

Alij Thomiſtæ, vt huius ſententiæ rigorem aliquatenus temperent, & nihilominus à doctrina Præceptoris Angelici non recedant, docent merita per peccatum mortificata reuiuiſcere quidem ad præmium eſſentiale, & non ſolùm ad accidentale, non tamen ſecundùm omnem gradum meriti, quem habuerunt ante peccatum, ſed iuxta quantitatem præſentis contritionis ſiue diſpoſitionis per quam pœnitens reſurgit: v.g. ſi quis ante peccatum habuerit merita vt viginti, & reſurgat per contritionem vt quatuor, dabitur ei gratia in eſſe gratiæ, ſeu ius ad viſionem beatificam, vt octo, nempe quatuor gradus propter præſentem contritionem, & quatuor ob præcedentia merita. Ita Soto, Ledeſma, Nugno, Aluares, Candidus, Valentia, & alij, quibus apertè fauet S. Thomas in 3. diſt. 31. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 2. vbi ait quod pœnitentia *omnia merita mortificata reſtituit, ſed non oportet quod æqualia*. Et hic

quæſt.

quæſt. 89. art. 5. ad 3. hæc ſcribit: *Dicendum quod ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequitur quidem præmium eſſentiale, ſecundùm quantitatem charitatis in qua inuenitur &c.* At hoc eſſet falſum, ſi per actus remiſſos charitatis, merita mortificata ſecundùm omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum reuiuiſcerent; conſequeretur enim ille qui in minori charitate reſurgit, præmium eſſentiale, ſiue ius ad illud, non ſecundùm quantitatem charitatis in qua inueniretur, ſed in menſura ipſam excedente, vt manifeſtum eſt: Ergo iuxta doctrinam D. Thomæ, quando merita mortificata, per actus remiſſos charitatis reuiuiſcunt, non reuiuiſcunt ſecundùm omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum, ſed iuxta quantitatem præſentis contritionis per quam pœnitens reſurgit. Illa enim non ſe habet ſolùm vt remotio impedimenti, ſed etiam vt diſpoſitio moralis ad reuiuiſcentiam meritorum, ſiue ad gratiam in eſſe gratiæ, quæ meritis illis correſpondet; ſicut calor non ſolùm remouet duritiem, qua impeditur aqua frigore congelata ne fluat, ſed etiam aquam diſponit vt in toto reſoluatur, vel in parte: forma autem dependens à diſpoſitionibus ſubiecti, nunquam in ipſum introducitur, niſi iuxta proportionem & menſuram illarum. Vnde Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. docet vnumquemque recipere gratiam iuſtificantem, *ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem*.

Dices primò, cùm contritio per quam pœnitens reſurgit, non ſit diſpoſitio phyſica, ſed duntaxat moralis ad reuiuiſcentiam merito-

rum, & iſta ex mero Dei beneplacito, ac gratu a eius voluntate dependeat, nullum eſt fundamentum aſſerendi, quod merita per peccatum mortificata reuiuiſcant ſolùm iuxta menſuram contritionis qua peccator reſurgit, & non ſecundùm omnes gradus, omnemque amplitudinem quam habebant ante peccatum.

Reſpondeo varias aſſignari poſſe rationes ſeu congruentias, cur Deus voluerit meritorum reuiuiſcentiam fieri iuxta menſuram contritionis ſeu diſpoſitionis per quam peccator reſurgit. Prima eſt, vt in reuiuiſcentia meritorum non ſic ſplendeat diuina miſericordia, quin etiam detur aliquis locus ſplendori diuinæ iuſtitiæ, quæ videtur exigere, vt non per qualemcumque pœnitentiam, licet veram, peccator reſtituatur in priſtinum gradum gratiæ & gloriæ, ſed ſolùm per eam quæ ipſi proportionatur. Secunda, ne detur iuſtis occaſio tepiditatis & facilitatis ad peccandum, videndo ita facilem eſſe per pœnitentiam præcedentium meritorum reuiuiſcentiam, quoad totum præmium eſſentiale. Tertia, vt iuſtificati per hoc inducantur ad eliciendum feruentiores actus contritionis & charitatis, quibus opera mortificata magis reuiuiſcant, quouſque in integrum quoad omne meritum reſtituantur. Certè Nominalium & Recentiorum opinio, dum nimia ſua benignitate peccatores pœnitentes conſolatur, multùm tepiditatis & facilitatis ad peccandum inijcit iuſtis, vtpote qui non tantò peccatum formidabunt, ſi exiſtiment qualicumque pœnitentia, quantumuis remiſſa, omnes pri-

priſtinæ gratiæ & gloriæ gradus ſe ſtatim recuperaturos. Altera verò ſententia quæ aſſerit pœnitentem nihil recuperare de gloria eſſentiali per peccatum deperdita, ſed duntaxat vanum aliquem, & inanem titulum, ſeu gloriam aliquam accidentalem, peccatores à pœnitentia retrahit, eoſque in deſperationem adducit, videndo locuſtam & bruchum præcedentium peccatorum, omnem prorſus meritorum ſuorum ſegetem ac vbertatem corroſiſſe & conſumpſiſſe, ſolo relicto cortice, ſeu titulo inani, ſine vlla prorſus ſpe eam recuperandi. Noſtra verò ſententia media via incedens, & aſſerens merita quidem præcedentia reſtitui per pœnitentiam, ſed duntaxat iuxta menſuram contritionis & diſpoſitionis ipſius pœnitentis, ita peccatores pœnitentes conſolatur, vt eos excitet ad eliciendos actus feruentiores, quibus merita per peccatum mortificata in integrum reuiuiſcant.

Dices ſecundò, iuxta hanc ſententiam, merita per peccatum mortificata, non plenè & perfectè reuiuiſcunt, ſed duntaxat ex parte & ſecundùm quid: ſed hoc videtur repugnare teſtimonijs Scripturæ & Tridentini ſupra relatis, quæ plenam & perfectam meritorum reuiuiſcentiam docere videntur: Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo Maiorem: non plenè & perfectè reuiuiſcunt, quantum eſt ex parte Dei, & virtutis pœnitentiæ, nego Maiorem: Deus enim quantùm eſt de ſe paratus eſt omnia merita per peccatum mortificata viuificare & reparare, & pœnitentia de ſe habet ad hoc ſufficientem virtutem & efficaciam. Quantùm eſt ex parte hominis,

non ſe diſponentis per actus intenſos charitatis & pœnitentiæ, ad plenam & perfectam reuiuiſcentiam omnium meritorum, concedo Maiorem. Solutio eſt D. Thomæ hic art. 2. ad 1. vbi ſic ait: *Pœnitentia quantùm eſt de ſe habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, & etiam promouendi in vlteriorem ſtatum: Sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remiſſius mouetur in Deum & in deteſtationem peccati.*

Dices tertiò, D. Thomas hic art. 5. ad 3. ſic ait: *Ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequetur quidem præmium eſſentiale, ſecundùm quantitatem charitatis in qua inuenitur, habebit tamen gaudium maius de operibus in prima charitate factis, quam de operibus quæ in ſecunda charitate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Et in 3 diſt. 31. qu. 1. art. 4. ad 4. *Homo per priora merita mortificata merebatur tantam gloriam, quantam charitatem habebat, ſed ipſe per peccatum factus eſt alter, & non plenariè ad priſtinum gradum reſtitutus, ideo non plenariè recipiet effectum priorum meritorum, niſi quantùm ad præmium accidentale.* Ergo cenſet S. Doctor, merita per peccatum mortificata non reuiuiſcere totaliter, vel iuxta menſuram contritionis per quam pœnitens reſurgit, ad gloriam eſſentialem, ſed duntaxat ad præmium accidentale.

Sed nego conſequentiam, nam D. Thomas in his & ſimilibus locis non intendit negare quod merita mortificata reuiuiſcant per pœnitentiam, quantùm ad ius quod priùs habebant ad gloriam eſſentialem, ſecundùm men-

ſu-

ſuram & quantitatem contritionis qua homo conuertitur, vt patet ex illis verbis: *Ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequitur præmium eſſentiale, ſecundùm quantitatem charitatis in qua inuenitur*. Sed ſolùm vult, quod quia tale ius ad præmium eſſentiale, interdum minus eſt ac illud quod fuit ante peccatum, ob defectum diſpoſitionis & contritionis per quam pœnitens reſurgit, quæ ſæpe valde remiſſa eſt, ideò pro illo exceſſu, & pro illis meritis non perfectè per pœnitentiam reuiuiſcentibus, pœnitens ſolùm habet ius ad præmium aliquod accidentale, nimirùm gaudium maius de operibus in prima charitate factis, niſi per ſubſequentes actus contritionis & charitatis ſe ſufficienter diſponat, vt totum ius quod habebat ad præmium eſſentiale, ratione præcedentium meritorum, ipſi plenè reſtituatur per pœnitentiam. Vnde hæc teſtimonia D. Thomæ non militant contra noſtram ſententiam, ſed ſolùm contra opinionem illorum qui docent merita mortificata, ad totam gloriæ latitudinem, prioribus meritis debitam, independenter à præſentis diſpoſitionis conatu reuiuiſcere.

Quæres quandonam merita remiſſa, ſeu remiſsè viuificata, recipiunt augmentum gratiæ in eſſe phyſico? Reſpondeo illud non recipere in hac vita, ſed in alia, nempe in inſtanti ſeparationis animæ à corpore: Gratia enim non recipitur phyſicè in ſubiecto, niſi iuxta proportionem diſpoſitionem talis ſubiecti: Sed homo non poteſt ſufficienter diſponi in hac vita ad augmentum gratiæ in eſ-

ſe phyſico, meritis remiſſis, ſeu remiſsè viuificatis, debitum, ſed ſolùm in alia; quia quando homo prorumpit in hac vita in actum feruentiorem contritionis vel charitatis, talis actus non ſolùm eſt diſpoſitiuus, ſed etiam meritorius augmenti gratiæ, & accipit gratiam ſibi correſpondentem: oportet ergo quod feruentior actus qui requiritur, vt merita remiſſa, ſeu remiſsè viuificata, aſſequantur augmentum gratiæ in eſſe phyſico, & qui ſit tantùm diſpoſitiuus ad ipſum, non verò meritorius illius, eliciatur in alia vita, in qua ceſſat omne meritum, ſubindeque, vel in inſtanti ſeparationis animæ à corpore, vel in primo inſtanti glorificationis. Sicut enim docent communiter Theologi cum D. Thoma quæſt. 7. de malo art. 11. peccata venialia iuſtis in eis decedentibus in alia vita remitti, per actum contritionis, vel charitatis, quem anima in inſtanti ſeparationis, vel in ingreſſu purgatorij elicit; quia licet talis actus non poſſit eſſe meritorius, nec ſatisfactorius, poteſt tamen per modum condignæ retractationis & diſplicentiæ, ac per modum remouentis, prohibens, ad remiſſionem venialium concurrere, vt ibidem docet S. Doctor. Cur etiam ſimiliter dici non poterit, animam per actum illum feruentiſſimum charitatis, in inſtanti ſeparationis elicitum, ſe diſponere ad recipiendum augmentum gratiæ in eſſe phyſico, meritis remiſſis ſeu remiſsè viuificatis debitum. Vnde immeritò quidam Recentior in ſua Theologia mẽtis & cordis, hanc communem Thomiſtarum doctrinam deridet ac ſugillat, vt commentum ac figmen-

figmentum nullibi reuelatum, & à D. Thoma ac Diſcipulis eius ignoratum.

CAPVT IV.

De Contritione.

EXplicatis effectibus Sacramenti pœnitentiæ, conſequens eſt, vt partes ex quibus conſtat declaremus, inter quas primum locum tenet contritio, quæ definitur à Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. *animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* In qua definitione tres recenſentur actus ad contritionem concurrentes, nimirùm dolor de peccato, eius odium ſeu deteſtatio, & propoſitum ampliùs non peccandi. Illa tamen non conſiſtit formaliter & eſſentialiter in illis tribus actibus, ſed in dolore de peccato, vt eſt offenſa Dei, & præſuppoſitiuè tantùm in odio ſiue deteſtatione ipſius, ex qua oritur dolor de peccato; ſicùt gaudium oritur ab amore; conſecutiuè verò in propoſito non peccandi de cætero, quia tale propoſitum eſt quid conſequens ad contritionem, & veluti proprietas illius.

Dices, per id eſſentialiter conſtitui debet contritio, quod primò ſeparat à peccato, illique primò opponitur: Sed odium primò ſeparat à peccato, illique primò opponitur: Ergo in odio, non verò in dolore, conſiſtit eſſentialiter contritio.

Reſpondeo diſtinguendo Maiorem: Quod pri-

primò ſeparat à peccato, tanquam ab offenſa contra Deum, punienda per ſatisfactionem, illique ſub hac ratione opponitur, concedo maiorem. Quod primùm ſeparat à peccato, tanquam à ſummo malo, eique ſub hac ratione opponitur, nego maiorem. Similiter diſtinguo minorem: Odium primò ſeparat peccatorem à peccato, tanquam à ſummo malo, concedo Minorem. Tanquam ab offenſa contra Deum, exhibendo illi ſatisfactionem, nego Minorem & conſequentiam. Solutio patet ex ſupradictis, cum enim pœnitentia ſit virtus iuſtitiæ annexa, & à charitate diſtincta, vt cap. 2. oſtenſum eſt, actus eius primarius & principalis, qui eſt contritio, non niſi præſuppoſitiuè aduerſatur peccato, vt eſt contra Deum ſummum bonum, quem charitas reſpicit; formaliter verò ſiue eſſentialiter opponitur peccato, vt eſt ſumma iniuria Deo illata, & punienda per ſatisfactionem. Vnde licet in beatis ſit verè & propriè odium peccati, non eſt tamen in eis propriè actus contritionis, eò quòd illi ſint omnis doloris expertes & incapaces.

Contritio ſic à Tridentino deſcripta, ab eodem diuiditur in perfectam, quæ ſimpliciter contritio dicitur, & imperfectam, quæ ab eadem ſacra Synodo, & à Theologis paſſim vocatur attritio. Prima eſt dolor ac deteſtatio peccati propter Deum ſummè dilectum, altera verò eſt deteſtatio peccati non propter Deum ſummè dilectum, ſed propter aliquod motiuum inferiùs, honeſtum tamen & aliquo modo ſupernaturale: v. g. propter metum gehennæ, deformitatem peccati, lumine fidei

dei propoſitam, & ſimilia. Vnde contritio eſt dolor perfectus de peccatis commiſſis, attritio verò eſt ſolùm imperfecta quædam de peccato diſplicentia, vt egregiè declarat D. Thomas in ſupplem. quæſt. 1. art. 2. ad 2. his verbis: *Attritio non dicit acceſſum ad perfectam contritionem, vnde in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo diminuta ſunt, ſed non adhuc perfectè ſunt comminuta; ſed contrita dicuntur, quando omnes partes tritæ ſunt ſimul per diviſionem ad minima. Et ideò attritio ſignificat in ſpiritualibus quandam diſplicentiam de peccatis commiſſis, ſed non perfectam; contritio aut perfectam.* Hinc Guillelmus Pariſienſis pœnitentiam, à qua oritur contritio, ſic deſcribit: *Pœnitentia eſt cordis confractio & comminutio, ac veteris hominis in pulverem redactio.*

Circa vtramque contritionem plures occurrunt celebres difficultates & controuerſiæ, paragraphis ſequentibus reſoluendæ.

§. I.

An contritio perfecta iuſtificet etiam extra Sacramentum?

Reſpondeo affirmatiuè contra aliquos Recentiores, & probo primò ex Tridentino citato, quod inter contritionem perfectam & imperfectam hoc ſtatuit diſcrimen, quòd prima hominem Deo conciliat, priuſquam Sacramentum pœnitentiæ actu ſuſcipiatur, etſi non ſine voto Sacramenti, in ipſa contritione incluſo; altera verò non poteſt ex ſe & ſine

ſine Sacramento perducere peccatorem ad iuſtificationem.

Probo ſecundò: Contritio perfecta in lege veteri ſemper & infallibiliter iuſtificabat, vtpote quæ tunc erat vnicùm & ordinarium peccati remedium: Ergo etiam in noua, cùm per inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ Deus non abſtulerit à contritione virtutem & efficaciam quam habebat in lege Moſaica fundatam in eius natura.

Probo tertiò: Contritio perfecta, cùm ſit dolor & deteſtatio peccati propter Deum ſummè dilectum, eſſentialiter includit charitatem: Sed charitas adiunctam habet infallibiliter remiſſionem omnium peccatorum, cùm ſit perfecta conuerſio ad Deum vt amicum, ſibindeque efficax auerſio ab omni peccato diuinæ amicitiæ deſtructiuo. Vnde 1. Petri 4. dicitur: *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Et Auguſtinus tractat. 5. in epiſt. Ioan. *Dilectio ſola diſcernit inter Filios Dei & filios Diaboli.* Item ibidem ait: *Si quis in corde ſuo inuenerit charitatem, ſecurus ſit, quia tranſijt de morte ad vitam*. Demum tract. 9. *Anima noſtra* (inquit) *fœda eſt per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur.* Ergo contritio perfecta ſtatim & infallibiliter ſecum affert remiſſionem omnium peccatorum. Quare Iſaiæ 30. iuxta verſionem Septuaginta dicitur: *Cum reuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris*. Vbi notanda eſt particula *tunc*, quæ ſignificat nullam interponi moram inter reuerſionem peccatoris, per contritionis gemitum, & ſalutem eiuſdem, per iuſtificationis gratiam collatam, vt interpretatur Leo Papa

epiſt.

epiſt. 91. ad Theodor. his verbis: *Miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere nec tempora definire: apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuerſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam, cùm ingemueris, tunc ſaluus eris.*

Dices primò: Chriſtus Lucæ 7. de Magdalena dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*: Ergo præceſſit tempore dilectio remiſſionem peccatorum, ſubindeque non eodem inſtanti quo eſt dilectio vel contritio, eſt peccatorum remiſſio.

Reſpondeo verba illa Chriſti vel poſſe intelligi per ampliationem ad tempus præteritum, ita vt ſenſus illorum ſit, remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Vel Chriſtum verbis illis confirmaſſe remiſſionem ante factam in inſtanti dilectionis & contritionis. Sicut cùm Marci 5. dixit mulieri, quam iam à fluxu ſanguinis ſanauerat: *Eſto ſana à plaga tua*, eo verbo eam non curauit, ſed curationem iam factam confirmauit.

Dices ſecundò: Si ſola contritio peccata delet, hominemque iuſtificat, cur Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7. ad Euchariſtiam dignè ſuſcipiendam, præter contritionem, requirit confeſſionem Sacramentalem, cùm ſatis ſit ad illam accedere in ſtatu gratiæ per contritionem obtentæ?

Reſpondeo Concilium ad dignam receptionem Euchariſtiæ, non eſſe contentum ſola contritione in eo qui conſcius eſt peccati mortalis, ſed requirere inſuper Sacramentalem confeſſionem, non quòd incertam putet effica-

caciam perfectæ contritionis ad remittenda peccata (alioquin etiam alijs Sacramentis viuorum, neceſſariò eſſet præmittenda confeſſio) ſed quia ob ſummam Euchariſtiæ dignitatem procurare voluit, vt peccatores ad eam non accederent, niſi priùs ſtatum gratiæ, per medium ſecuriſſimum, id eſt pœnitentiæ Sacramentum, aſſequerentur: licet enim perfecta contritio non minùs infallibiliter iuſtificet, quam hoc Sacramentum, ſemper tamen incertius eſt, vtrum reipſa habeatur perfecta, quam vtrum validè recipiatur Sacramentum pœnitentiæ, in quo minor dolor requiritur.

§. II.

De præcepto contritionis.

DAri non ſolùm diuinum & poſitiuum de pœnitentia & contritione præceptum, etiam naturale; ſeu iure ipſo naturali obligans, docet expreſsè S. Thomas ſupra qu. 84. art. 7. ad 1. vbi ſic ait: *De iure naturæ eſt, quod aliquis pœniteat de malis quæ facit, quantùm ad hoc quod doleat ea feciſſe, & remedium doloris quærat per aliquem modum.* Et in corp. articuli dixerat, quod *huius Sacramenti materia præexiſtit à natura: ex naturali enim ratione homo mouetur ad pœnitendum de malis quæ fecit.* Ratio etiam ſuffragatur, tum quia ſicut iure naturali tenemur ius diuinum illæſum ſeruare, ita & læſum, quoad fieri poteſt, per pœnitentiam reparare. Tum etiam, quia ſicut iure naturæ tenemur amare

Deum,

Deum, ita & eius amicitiam conſeruare, ac recuperare, quando illam per peccatum amiſimus. Tum denique, quia iure naturæ tenetur homo amare proprium bonum, & ſpiritualibus neceſſitatibus ſubuenire, ſubindeque à peccato, & ab æternæ damnationis periculo, per pœnitentiam & contritionem ſe liberare. Et certè, ſi ægroto corpori quiſque neceſſariam adhibere medicinam, naturali lege obligatur: ſi inſtigante natura hirundo pullos ſuos de ſucco oculat chelidoniæ, & dictamnum cerui appetunt vulnerati, vt ait Hieronymus in cap. 7. Eccleſ. ſi demum cuncta animantia bruta, cùm ægrotant, naturali inſtinctu quærunt remedia ſibi ab Authore naturæ deſtinata; planè relinquitur, non minus eſſe lumini naturali conſentaneum, vt medicinam contritionis & pœnitentiæ ægro animo adhibeamus. Quare in omni ſtatu naturæ humanæ, qui fuit ab initio mundi huc vſque, id eſt tam in lege naturæ, quam in lege moſaica, homines qui in peccatum mortale inciderunt, fuerunt obligati ad actum contritionis; quia obligatio quæ oritur ex iure naturali, ad omnem naturæ humanæ ſtatum ſe extendit. Vnde Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. ſic ait. *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.*

Obſeruandum eſt tamen, quod quia in lege noua, attritio cum Sacramento æquiualet contritioni, & reddit hominem de attrito contritum, vt infra oſtendemus, ſi ille qui eſt in peccato mortali, poſſit ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ, & iuſtificari ac reconciliari

Deo-

Deo, per attritionem cum Sacramento, non obligatur ad contritionem.

Aſſignari tamen ſolent à Theologi aliqui caſus in quibus præceptum contritionis obligat per ſe, & alij, in quibus obligat tantùm per accidens. In primis enim per ſe obligat in articulo mortis, verò vel præſumpto; quia tunc vnuſquiſque tenetùr, & ratione charitatis erga ſe, & ratione dilectionis erga Deum, perfectam agere pœnitentiam; Deoque perfectè reconciliari, cùm aliud tempus ad pœnitendum non ſuperſit. Vnde de Auguſtino narrat Poſſidius, quod ſolebat dicere, *neminem, etſi nullius ſceleris ſibi conſcius eſſet, committere debere vt ſine pœnitentia migraret è vita*. Secundò hoc præceptum per ſe obligat in morali periculo vitæ, non in quo vni aut alteri, ſed in quo pleriſque ſolet mors contingere, vt in bello, peſte, & periculoſa nauigatione, quia morale periculum vitæ, æquiualet ſupremo articulo mortis. Tertiò obligat per accidens in multis caſibus: Primus eſt, quando homo tenetur recipere aliquod Sacramentum viuorum; quia talia Sacramenta nequeunt recipi niſi à iuſtificatis, & conſequenter niſi à contritis, vel ab attritis & ſimul confeſſis. Secundus, quoties ſunt adminiſtranda Sacramenta, nam tunc tenetur miniſter ſe conformare Deo vt principali agenti, cui vt inſtrumentum coniùngitur ad productionem gratiæ, vt in Tractatu de Sacram. in communi cap. 6. declarauimus. Tertius, quando occurrit præceptum annuæ confeſſionis, & deeſt Confeſſarius; nam tunc tenetùr contritione ſupplere defectum Sacramenti, quia

præ-

præceptum confeſſionis in lege Euangelica eſt ſubrogatum præcepto contritionis. Quartus, cùm vrget grauis aliqua tentatio, quam ſine contritione homo moraliter non poteſt ſuperare; tunc enim obligatur per accidens ad contritionem, ex præcepto virtutis contra quam eſt tentatio. Demum præceptum contritionis obligat per accidens in caſu publicæ calamitatis, quando probabiliter timetur Deum punire populum ob peccata particularia; nam tunc vnuſquiſque tenetur per contritionem ſe diſponere ad placandam diuinam iuſtitiam, ne propter ſua peccata Deus totum populum puniat, ſicut propter ſolum peccatum Achan puniuit totum exercitum Iſrael, Ioſue 7.

Quæres, vtrum in mortis articulo teneatur homo elicere actum contritionis, quando habet copiam Confeſſoris, & poteſt ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ, per quod cum ſola attritione iuſtificari poteſt? Reſpondeo illum ad id non obligari, ex vi præcepti pœnitentiæ (cùm in lege noua homo ſatisfaciat præcepto pœnitentiæ, per actum attritionis, coniunctum cum Sacramento, vt conſtabit ex infra dicendis) bene tamen ex vi præcepti charitatis; quia homo, ex vi talis præcepti, tenetur tunc ſibi ſubuenire, meliori & tutiori modo quo poteſt, & ſequi prudens illud Auguſtini conſilium, *in his quæ ſalutis ſunt, tene certum, dimitte incertum*; vnde cùm non ſit omnino certum ac indubitatum, attritionem ſolam cum Sacramento iuſtificare, & plures Theologi non contemnendæ authoritatis id negent; tunc homo tenetur, in

eo articulo, in quo æternitatis iacitur aleá, recurrere ad contritionem, eaque tanquam medio certiſſimo & tutiſſimo vti, vt ſibi in periculo damnationis æternæ, meliori modo poſſibili ſubueniat.

§. III.

Vtrum contritio differat eſſentialiter ab attritione.

RΕſpondeo affirmatiuè contra aliquos Recentiores, & probo ratione fundamentali. Actus qui diuerſa obiecta formalia reſpiciunt, diſtinguuntur eſſentialiter: Sed contritio & attritio reſpiciunt diuerſa obiecta formalia, nam obiectum formale contritionis eſt peccatum, ſub ratione formali iniuriæ Deo illatæ, vt compenſabilis per ſatisfactionem; obiectum verò formale attritionis eſt idem peccatum, ſub ratione formali mali ipſius peccatoris, vt cùm aliquis dolet de peccato ob metum gehennæ, vel ſub ratione turpis & inhoneſti, ac rectæ rationi repugnantis, vt cùm aliquis dolet de peccato, ob eius turpitudinem & fœditatem: Ergo diſtinguuntur eſſentialiter.

Confirmatur: Illi actus ſpecie differunt, qui eliciuntur ab habitibus ſpecie diuerſis: Sed contritio perfecta & attritio procedunt à virtutibus ſpecie diuerſis; contritio enim elicitur à virtute pœnitentiæ, & eſt actus eius primarius & principalis; attritio verò ex metu gehennæ, vel ob amorem vitæ æternæ, procedit à timore ſeruili, vel à virtute ſpei; illa

verò

verò quæ eſt ex turpitudine peccati, elicitur à virtute illa morali, cui talis turpitudo opponitur; cùm eiuſdem virtutis ſit amare bonum quod reſpicit, & deteſtari malum oppoſitum: v. g. ad virtutem infuſam temperantiæ pertinet nedum amare honeſtatem temperantiæ, ſed etiam deteſtari peccatum intemperantiæ, vt opponitur tali honeſtati: Ergo contritio perfecta & attritio eſſentialiter & ſpecificè inter ſe differunt.

Ex hac differentia eſſentiali ſequuntur aliæ: Prima eſt, quod contritio neceſſariò cadit ſuper omnia peccata, cùm omnia peccata ſint offenſæ Dei, non autem attritio, quæ poteſt eſſe de peccato, vt continente ſpecialem deformitatem alicui virtuti oppoſitam. Ex quo oritur alia differentia, nimirum quod contritio ſemper excludit omnem affectum peccandi; quia cùm deteſtetur peccata ſub aliqua ratione communi, nequit retinere affectum ad aliquod particulare; ſecùs verò attritio, quæ cùm interdum procedat ex motiuo ſpeciali contra vnum peccatum, non ſemper opponitur cuilibet peccato. Vnde attritio ob deformitatem ſpecialem alicuius peccati, non ſufficit ad iuſtificationem peccatoris in Sacramento obtinendam, ſi peccator alia peccata ſpecie diuerſa commiſerit, ſed tot debent multiplicari attritiones, quot ſunt peccata ſpecie diuerſa; cùm tamen vna contritio ſemper ſufficiat pro omnibus peccatis, quia illa, vt diximus, eſt ex motiuo vniuerſali cadente ſuper omnia peccata. Ex hoc ſequitur aliud diſcrimen inter contritionem & attritionem, contritio enim, cùm ſemper habeat idem obie-

ctum formale omnino indiuiſibile, nimirum peccatum ſub ratione formali iniuriæ Deo illatæ &c. ſemper eſt eiuſdem ſpeciei; è contra verò attritio, cùm habeat plura motiua ſpecie diuerſa, diuiditur in multas ſpecies; alia enim eſt attritio quæ oritur ex metu gehennæ, alia quæ eſt ex amore vitæ æternæ, alia demum quæ eſt ex turpitudine peccati.

Ex his intelliges, falſum eſſe quod ait Author Theologiæ mentis & cordis pagina 61. nimirum obiectum formale attritionis eſſe peccatum, vt Dei offenſa eſt, per conpenſationem & ſatisfactionem emendabilis; ſi enim hoc eſſet verum, attritio neceſſariò caderet ſuper omnia peccata, & ſemper excluderet omnem affectum peccandi, ſicut contritio, ſubindeque quæcumque attritio ſufficeret ad iuſtificationem peccatoris in Sacramento obtinendam. Demum ſi contritio & attritio idem obiectum formale reſpicerent, ſicut contritio non poteſt diuidi in plures ſpecies, ita nec poſſet dari attritio diuerſæ ſpeciei; quæ omnia in Theologia paradoxa ſunt, & à communi Theologorum ſenſu penitùs aliena.

Non magis verum eſt quod ſubijcit idem Author, nempe attritionem ſemper eſſe actum elicitum à virtute pœnitentiæ: nam vt ſupra oſtendimus, attritio quæ eſt ex turpitudine peccati, elicitur à virtute illa morali, cui talis turpitudo opponitur. Nec obſtat quod talis attritio poſſit eſſe pars Sacramenti pœnitentiæ, & diſponere ad recipiendam gratiam huius Sacramenti, vt dicemus §. ſequenti. Nam ad hoc vt aliquis actus ſit pars huius Sa-

cramenti, non requiritur neceſſariò quod à virtute pœnitentiæ eliciatur, ſed ſufficit quod ab illa imperetur, vt conſtat in ſatisfactione; nam quando aliquis ex præſcripto confeſſarij ieiunat in ſatisfactionem peccatorum, tale ieiunium eſt actus elicitus à temperantia, & ſolùm imperatur à pœnitentia. Idem cum proportione de attritione dicendum eſt. Vnde quando S. Thomas ſupra qu. 86. art. 6. ad 3. ait quod *actus pœnitentiæ virtutis habet quod ſine eo non poſſit fieri remiſſio culpæ*, loquitur de remiſſione culpæ quæ fit extra Sacramentum; illa enim non poteſt fieri ſine contritione, quæ eſt actus virtutis pœnitentiæ. Vel ſi loquatur de remiſſione culpæ quæ fit in Sacramento pœnitentiæ, ſolùm vult illam non poſſe fieri ſine actu à pœnitentia elicito, vel imperato.

Colligitur etiam ex dictis, attritionem nunquam poſſe fieri contritionem, cùm attritio & contritio eſſentialiter & ſpecificè inter ſe differant, licet pœnitens poſſit fieri de attrito contritus per Sacramentum pœnitentiæ; quia nempe attritio, vt iuncta tali Sacramento, contritioni æquiualet; vel quia per hoc Sacramentum vna cum gratia ſanctificante recipit habitum infuſum pœnitentiæ, à quo habitualiter contritus denominatur.

Dices, Concilium Tridentinum vocat attritionem contritionem imperfectam: Sed quod imperfectum eſt, poteſt ſibi comparare perfectionem connaturalem, ſicut puer adoleſcit, & tandem vir perfectus euadit: Ergo attritio poteſt fieri contritio.

Huic inſtantiæ reſpondet P. Nicolai in

Scholijs ad quæſt. 9. ſupplem. art. 2. quod attritio non vocatur à Tridentino contritio imperfecta, Ianſeniano ſenſu, propter defectum gradus tantùm, ſicut puer vir imperfectus dicitur, quia totam perfectionem viri nondum habet; ſed imperfecta vocatur, propter defectum eſſentiæ contritionis, in qua charitas actu includitur; ſicut embrio eſt vir imperfectus, quia eſſentiam humanam nondum habet, ſed eſt diſpoſitio ad illam habendam.

§. IV.

Vtrum ad Sacramentum pœnitentiæ requiratur aliquis actus charitatis, vel ſufficiat ſola attritio ex motiuo aliquo ſupernaturali concepta?

RESpondeo ſufficere attritionem, ex metu gehennæ, aut conſideratione turpitudinis peccati, vel ex alio ſimili motiuo ſupernaturali conceptam. Ita docuere olim omnes ferè antiqui Theologi, vt teſtatur Gerſon tomo 2. in ſerm. de pœnit. in Cœna Domini, his verbis: *Dicit Dominus Guilielmus Pariſienſis, & alij communiter, quod attritio, quæ aliàs non eſt ſufficiens, fit ſufficiens virtute Sacramenti.* Ita quoque magis communiter tunc cenſent recentiores Scholaſtici, vt ait Alexander VII. in decreto, quo prohibet alterutram ſententiam aliqua cenſura notare, edito die 5. Maij anno 1667. Ita etiam expreſsè docet S. Thomas, Theologorum Scholaſticorum Princeps, in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 3. ad 5. vbi ſic habet: *Ad hoc vt homo ſe præparet ad gra-*

tiam in baptiſmo percipiendam (idem eſt de Sacramento pœnitentiæ) *præexigitur fides, ſed non charitas, quia ſufficit attritio præcedens, etſi non ſit contritio.* Quo nihil clarius & expreſſius in fauórem noſtræ ſententiæ dici poteſt. Ita demum ſentire videtur Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. vbi ſic dicitur: *Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat* (Sancta Synodus) *non ſolùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei eſſe & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat. Et quamuis ſine Sacramento pœnitentiæ, per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.*

Reſpondent nonnulli Recentiores, Concilium ibi non loqui de attritione ex puro metu concepta, cùm illa (inquiunt) non excludat voluntatem peccandi, ſed de ea quæ habet admixtum amorem quendam initialem & imperfectum, qui voluntatem peccandi excludit, & ad Deum, vt primum iuſtitiæ fontem, peccatorem conuertit. Quam interpretationem illuſtrant & confirmant alio Tridentini teſtimonio ſeſſ. 6. cap. 6. vbi agens de diſpoſitionibus quibus adulti ad recipiendum baptiſmum diſponuntur, ait eos diſponi ad ipſam iuſtitiam, dum *Deum vt omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt.*

Sed contra primò: Concilium loco relato aſſignat duplex tantùm motiuum attritionis de qua loquitur, nempe metum gehennæ, & horrorem turpitudinis peccati, nec meminit illius amoris imperfecti & initialis, quem haud dubiè reticere non debuiſſet, ſed potius illum recenſere & clarè exprimere, ſi ſola attritio ex illo concepta eſſet ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam, & ad excludendam peccandi voluntatem; alioquin omnino manca ac diminuta eſſet doctrina quam tradit de diſpoſitionibus ad valorem & effectum huius Sacramenti requiſitis, ſi eam quæ præcipua eſt, & (vt volunt aduerſarij) omnino neceſſaria, non declararet.

Contra ſecundò: De illa attritione loquitur Concilium, de qua ſtatim ibidem ait: non facere hominem hypocritam, ſicut docuit Lutherus: Sed attritio quam docuit Lutherus facere hominem hypocritam, non eſt illa quæ procedit ex amore Dei affectiuo, ſiue ex charitate imperfecta: ſed ea quæ ex ſolo metu pœnarum oritur: Ergo de iſta loquitur Concilium, non verò de illa.

Contra tertiò: Concilium de illa attritione ſeu contritione imperfecta ait, quod *quamuis ſine Sacramento pænitentiæ, per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento pænitentiæ obtinendam diſponit*: At nullus eſt dolor ex vera charitate, ſiue amore Dei ſuper omnia; quantumuis imperfecto & remiſſo, qui non poſſit, etiam extra Sacramentum, perducere peccatorem ad iuſtificationem; quia, vt infra oſten-

demus, quæcumque vera charitas, quantumuis parua & debilis, omne peccatum mortale excludit, & cum illo cohærere & ſociari nequit: Ergo non loquitur Tridentinum de attritione, quæ eſt ex amore Dei imperfecto & inchoato, ſed de illa quæ ex ſolo metu pœnarum, vel ex turpitudinis peccati conſideratione procedit.

Nec obeſt quod idem Concilium *ſeſſ.6.cap.6.* inter diſpoſitiones quibus peccatores paulatim diſponuntur ad iuſtificationem per baptiſmum recipiendam, recenſeat amorem, quo Deum tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt: Tripliciter enim poſſunt hæc Tridentini verba gloſſari & exponi. In primis aliqui non improbabiliter dicunt, ibi loqui Concilium de iuſtificatione quæ fit extra Sacramentum, per votum baptiſmi, vt indicant illa verba quæ ſubiungit: *Per eam pænitentiam quam ante baptiſmum agi oportet* Et iſta: *Dum proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare nouam vitam &c.* Secundò alij reſpondent, amorem de quo ibi Concilium loquitur, non eſſe amorem charitatis, tendentem in Deum ſummè diligendum ratione ſuæ bonitatis, abſolutè ſpectatæ (vt enim ait D. Thomas ſupra relatus: *Ad hoc vt homo ſe præparet ad gratiam in baptiſmo percipiendam, præexigitur fides, ſed non charitas*) ſed eſſe amorem ſpei, ſeu concupiſcentiæ, quo peccatores Deum vt ſibi bonum & placabilem diligere incipiunt, vt ex ipſo contextu liquet, in quo ſic habetur: *Peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore quo vtiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuer-*

tendo, in ſpem eriguntur; fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt. Tertiò dici poteſt, omnes actus quos ibi Concilium enumerat, non eſſe diſpoſitiones eſſentialiter aut indiſpenſabiliter requiſitas ad iuſtificationis gratiam in baptiſmo obtinendam, vt conſtat de timore diuinæ iuſtitiæ, quo dicit vtiliter peccatores concuti; non ait tamen illum neceſſariò ad iuſtificationem requiri, cùm plerumque peccatores magis incitentur ad conuerſionem, per ſpem gloriæ, quam per metum gehennæ, & per fiduciam de miſericordia Dei, quam per timorem iuſtitiæ eius vindicatiuæ & punitiuæ. Vnde quamuis Concilium ibidem recenſeat amorem illum initialem & imperfectum, quo peccatores Deum, vt omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt, propterea tamen non intendit, illum eſſe diſpoſitionem omnino neceſſariam ad iuſtificationem quæ fit in baptiſmo, ſed ſolùm declarare vult talem dilectionem frequenter & ordinariè reperiri in adultis, cùm ad Sacramentum Baptiſmi ſe diſponunt.

Ad illud verò quod addunt Aduerſarij, nempe attritionem ex puro metu conceptam, voluntatem peccandi non excludere; fusè reſpondebimus §. 6. vbi præcipuum illud Aduerſariorum fundamentum conuellemus.

§. V.

§. V.

Præcipuum noſtræ ſententiæ fundamentum exponitur.

Ratio fundamentalis noſtræ ſententiæ, ſumitur ex natura & inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ : Illud enim fuit inſtitutum à Chriſto ad remittenda peccata, ſubindeque ad conferendam primam gratiam iuſtificantem, per quam peccata immediatè & formaliter expelluntur : At ſi exigat neceſſariò ſubiectum per charitatem diſpoſitum, nunquam conferet primam gratiam iuſtificantem, nec de facto peccata remittet, ſed præſupponet hanc gratiam collatam, & de facto peccata remiſſa, virtute diſpoſitionis præcedentis; ſubindeque ſacerdos abſoluens à peccatis, ea non remittet, ſed ea eſſe iam remiſſa solùm declarabit, quod eſſe erroneum infra oſtendemus : Ergo ad Sacramentum pœnitentiæ non requiritur actus charitatis, ſed ſufficit attritio ex metu gehennæ, vel ex conſideratione turpitudinis peccati, aut ex alio motiuo ſupernaturali concepta. Maior conſtat, tum quia baptiſmus & pœnitentia ſunt Sacramenta mortuorum : Sacramenta verò mortuorum, per ſe primò inſtituta ſunt ad conferendam primam gratiam iuſtificantem, quæ eſt prima vita animæ. Tum etiam, quia baptiſmus & pœnitentia non ſignificant augmentum gratiæ, ſed duntaxat primam gratiam, de facto peccatorum expulſiuam : Ergo illam per ſe primò efficiunt. Quod decla-

rant verba illa Florentini in decreto vnionis? *Per baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur, per confirmationem augemur in gratia, renati & roborati nutrimur Euchariſtia, per pœnitentiam ab ægritudine ſanamur.* Vbi diſtinguit Concilium Euchariſtiam ſimul & confirmationem à baptiſmo & pœnitentia, quod illa dant incrementum gratiæ, iſta autem dant per ſe primam gratiam; renaſci enim ſpiritualiter, non eſt augeri in gratia, ſed primam vitam ſpiritualem accipere: pariter ſanari ab ægritudine, aliud non eſt quam gratiam recipere, qua ægritudo exiſtens in anima expellatur. Sanè ſi nunquam baptiſmus & pœnitentia dent primam gratiam, non magis dici poſſunt regenerare & ſanare, ex ſuo effectu principali & primario, quam alia Sacramenta. Quod verò ſi exigant ſubiectum per charitatem diſpoſitum, nunquam primam gratiam conferant, vt aſſeritur in Minori, manifeſtum videtur, ex eo quod charitas extra Sacramentum delet omne peccatum, & impetrat gratiam iuſtificantem, vt §. 1. oſtendimus, & patet ex eo quod charitas eſt perfecta conuerſio ad Deum vt amicum, ſubindeque efficax auerſio ab omni peccato, diuinæ amicitiæ deſtructiuo.

Reſpondent Aduerſarij, amorem ad Sacramentum pœnitentiæ requiſitum, eſſe valde remiſſum, & imperfectum, ſubindeque non expellere peccatum ab anima pœnitentis, nec primam gratiam iuſtificantem conferre, ſed relinquere illam conferendam Sacramento pœnitentiæ.

Sed contra: Vel talis amor imperfectus eſt in ſpecie charitatis, & verus amor amicitiæ

erga

erga Deum, vel in ſpecie alterius virtutis, puta ſpei, quæ eſt amor concupiſcentiæ, quo Deum vt nobis bonum ac delectabilem diligimus & concupiſcimus? Si hoc ſecundum dicatur, habemus intentum, nempe ad Sacramentum Pœnitentiæ actum charitatis non requiri. Si primum affirmetur, negari non poteſt, talem amorem, quamuis remiſſum & imperfectum, peccatum expellere ab anima, ſubindeque primam gratiam iuſtificantem illi conferre; cùm omnis charitas, quantumcumque debilis ac remiſſa, ſit (vt ſupra dicebamus) conuerſio in Deum vt amicum, ſubindeque efficax auerſio ab omni peccato mortali, diuinæ amicitiæ deſtructiuo. Vnde D. Thomas 3. p. qu. 70. art. 4. in corp. ſic ait: *Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis: minima etiam charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti.*

Confirmatur: De eſſentia charitatis eſt, quod ſit inclinatio in Deum tanquam in vltimum finem, vnde nulla poteſt dari charitas, quantumuis parua, debilis, ac remiſſa, quæ hunc non præſtet effectum, & quæ hominem non inclinet in Deum tanquam in finem vltimum; ſubindeque quæ non excludat omne peccatum mortale, per quod homo à Deo tanquam vltimo fine auertitur; alioquin idem homo ſimul poſſet eſſe conuerſus ad Deum vt vltimum finem, & ab illo vt ab vltimo fine auerſus. Item poſſet idem homo ſimul habere plures fines vltimos; nempe Deum, in quo per charitatem ſuum vlti-

mum finem conſtitueret, & creaturam in qua per peccatum mortale homo ponit rationem vltimi finis, vt in tractu de peccatis contra Adrianum oſtendimus: At hæc manifeſtam contradictionem inuoluunt: Ergo implicat dari aliquam charitatem, quantumuis paruam & remiſſam, quæ omne peccatum mortale non excludat.

Reſpondent Aduerſarij, hæc quidem argumenta efficaciter oſtendere, nullam charitatem habitualem poſſe cum peccato mortali ſociari & cohærere, ſubindeque illud ab anima excludere; id tamen non probare de charitate actuali, qualis eſt illa quam requiri exiſtimant ad Sacramentum pœnitentiæ, ac proinde illam non excludere peccatum mortale, ſed relinquere illud expellendum per tale Sacramentum.

Sed hæc reſponſio facilè poteſt confutari: ſicut enim per habitum charitatis homo in Deum vt vltimum finem manet conuerſus habitualiter, ita & per actum charitatis, quantumuis debilem & remiſſum, actualiter in illum conuertitur; quod enim facit habitus habitualiter, hoc præſtat actus actualiter: Sed non ſolùm repugnat hominem habere plures vltimos fines habitualiter, ſed etiam implicat illum habere plures vltimos fines, quorum vnus ſit habitualis, alter actualis, vt docent communiter noſtri Thomiſtæ, & demonſtrant Salmanticenſes in tractatu de vltimo fine diſput. 4. dubio 2. §. 4. Ergo non ſolùm repugnat charitatem habitualem, ſed etiam actualem, cum peccato mortali cohærere; & per conſequens per quemcumque

actum

actum veræ charitatis, illud ab anima expellitur.

Confirmatur: Ille qui elicit actum charitatis, actu diligit Deum, ſubindeque ab eo diligitur, iuxta illud Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo*: Qui verò eſt in ſtatu peccati mortalis, odio habetur à Deo, ſecundùm illud Sapient. 14. *Odio ſunt Deo impius & impietas eius*: Sed implicat eundem hominem ſimul à Deo amari & odio haberi: Ergo & in illo actum charitatis cum peccato mortali ſociari.

Confirmatur ampliùs: Ille qui actu diligit Deum ſuper omnia, ipſum præfert omnibus creaturis; qui verò peccat mortaliter, illi præfert aliquam creaturam, in qua conſtituit rationem vltimi finis: At implicat manifeſtam contradictionem, quod homo ſimul præferat Deum omnibus ceaturis, & quod nihilominus illi præferat aliquam creaturam, vt de ſe patet: Ergo & quod actus charitatis ſimul cum peccato mortali in eodem homine exiſtat.

Ex his intelliges, Aduerſarios in Scillam vel in Charibdim, hoc eſt in vnum ex duobus abſurdis neceſſariò incidere: Nam vel coguntur concedere, Sacramentum Pœnitentiæ nunquam primò expellere peccatum, nec primam gratiam iuſtificantem conferre, ſubindeque non eſſe in numero Sacramentorum pro mortuis animabus à Christo inſtitutorum. Quod ſi id velint tueri, in aliud incidere coguntur abſurdum, nempe charitatem non expellere peccatum mortale ab anima, ſed poſſe cum illo ſociari: Primum repugnat naturæ

& in-

& inſtitutioni Sacramenti Pœnitentiæ, vt ſupra oſtendimus: alterum deſtruit naturam charitatis, quæ cum ſit inclinatio & conuerſio in Deum tanquam in vltimum finem; & perfecta cum illo amicitia, non poteſt ſtare cum peccato mortali, quod auertit hominem à Deo tanquam ab vltimo fine, & ipſum reddit Deo infenſum & inimicum. Vnde Maldonatus in cap. 8. Lucæ ait, *eorum opinionem qui exiſtimant poſſe charitatem cum peccato mortali cohærere, ne audiendam quidem arbitror*.

§. VI.

Soluuntur obiectiones.

OBijciunt primò Aduerſarij, & eſt præcipuum illorum fundamentum: Diſpoſitio ſufficiens ad iuſtificationem cum Sacramento, omnem peccandi voluntatem excludere debet: Atqui attritio ex ſolo metu pœnarum, non excludit omnem affectum peccandi: Ergo non eſt diſpoſitio ſufficiens ad iuſtificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. Maior conſtat, Minorem verò probant primò ex D. Auguſtino, qui varijs in locis aſſerit, inimicum eſſe iuſtitiæ, qui pœnæ timore non peccat; vnde illum comparat vxori, quæ timens virum abſtinet ab adulterio, ne damnetur à viro; & leoni aut lupo, non rapientibus prædam, quia latratu canum, & clamore paſtorum, & terrore circundantium, reuocantur à præda. Ita ſer. 15. & 19. de verbis Apoſtoli, vbi ſic ait: *Leo*

venit, leo redit; prædam non rapuit, malitiam non poſuit. Nunquid quia ouem non tulit, ideò lupus venit, & ouis rediit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens, lupus tamen eſt fremens & tremens.

Secundò ex D. Thoma 2. 2. qu. 19. art. 9. vbi ex mente Auguſtini ait quod timor ſeruilis poteſt habere annexam voluntatem peccandi, & ideò non numeratur inter dona Spiritus Sancti.

Tertiò probant ex doctrina communi D. Thomæ & Theologorum, docentium ea quæ fiunt ex metu eſſe mixta ex voluntario & inuoluntario, ſubindeque metum cauſare inuoluntarium ſecundùm quid & conditionatè ſaltem, vt conſtat in mercatore, qui metu naufragij imminentis, proijcit ſuas merces in mare, ille enim habet voluntatem conditionatam eas conſeruandi, ſi non immineret vitæ periculum. Similiter (inquiunt) qui ex metu gehennæ non peccat, virtualiter habet hunc actum: *Vellem peccare, ſi abeſſet pœna.*

Quartò ſic arguunt: Non excluditur omnis peccandi voluntas, quandiu peccatum ſecundùm ſe, & in ſe, ſeu præciſum à circunſtantijs placet: Sed illi qui ex metu gehennæ abſtinet à peccato, peccatum ſecundùm ſe & in ſe placet; ſicut illi qui ex metu naufragij proijcit merces in mare, placet conſeruatio mercium ſecundùm ſe & in ſe conſiderata, ſeu vt præciſa à circunſtantijs, & periculo naufragij imminentis: Ergo ille qui ex metu gehennæ non peccat, retinet voluntatem peccandi. Vnde Auguſtinus ep. 144. *Times ardere, noli peccare; non agitur foris ne-*

negotium cupiditatis; ipſi tamen cupiditas in-tus eſt hoſtis.

Demum Aduerſarij ſic diſcurrunt: Sine amore Dei, ſeu caſto amore iuſtitiæ, excludi nequit omnis peccandi voluntas, vt docet Auguſtinus lib. 2. contra aduerſ. legis cap. 7. his verbis: *Deſiderium peccandi non extinguitur, niſi contrario deſiderio rectè faciendi, vbi fides per dilectionem operatur*. Et epiſt. 144. *Tantùm quiſque* (inquit) *peccatum odit, quantùm iuſtitiam diligit. Inimicus ergo iuſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit, ſi eius amore non peccat. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere: ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit. Tunc enim verè timebit peccare*: Ergo attritio ex metu gehennæ concepta, non excludit voluntatem peccandi.

Antequam huic obiectioni reſpondeamus obſeruandum eſt, illam militare ſolùm contra attritionem ex metu gehennæ conceptam, non verò contra illam quæ oritur ex conſideratione turpitudinis peccati; iſta enim excludit voluntatem peccandi, vt conſtat in eo qui dolet ſe fornicaſſe, & proponit impoſterum à tali peccato abſtinere, ob illius deformitatem & turpitudinem, & propter honeſtatem virtutis caſtitatis. Vnde hoc argumentum, quod apud Aduerſarios palmarium reputatur, & veluti Achylleum, mancum & diminitum eſt, cùm non probet abſolutè & vniuerſaliter neceſſitatem contritionis, in Sacramento Pœnitentiæ, ſed duntaxat inſufficientiam alicuius attritionis particularis, nempe illius quæ ori-

oritur ex metu gehennæ & pœnarum inferni. Hoc præmiſſo.

Reſpondeo ad obiectionem, conceſſa Maiori, negando Minorem. Tridentinum enim ſupra citatum, manifeſtè ſupponit aliquem eſſe timorem pœnarum & gehennæ, qui voluntatem peccandi excludit; docet enim attritionem conceptam ex metu gehennæ, ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam diſponere, *ſi voluntatem peccandi excludat*. Quæ conditionalis eſſet nugatoria, & (vt loquuntur Dialectici) de ſubiecto non ſupponente, ſi nulla prorſus daretur nec dabilis eſſet attritio ex metu gehennæ concepta, quæ voluntate peccandi excluderet. Vnde idem Concilium ſeſſ. 6. can. 8. ſic habet: *Qui dixerit gehennæ metum, per quem à peccato abſtinemus, peccatum eſſe, anathema ſit.* Ille verò qui retinet voluntatem peccandi, non abſtinet à peccato, cùm talis volitio peccatum ſit: Ergo Tridentinum cenſet metum gehennæ poſſe excludere voluntatem peccandi. Idem docet Auguſtinus in Pſalm. 127. his verbis: *Alius non in hac terra pati timet, ſed gehennam timet; vnde terruit etiam Dominus, vbi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audi nt hæc homines, & quia verè futura ſunt impÿs, timent; & continent ſe à peccato: Habent timorem, & per timorem continent ſe à peccato. Timent quidem, ſed non amant iuſtitiam: cùm autem per timorem continent ſe à peccato, fit conſuetudo iuſtitiæ.* Item idem Sanctus Pater varÿs in locis docet, timorem ex metu gehennæ conceptum, bonum, honeſtum,

vtilem ad ſalutem, labiſque purum eſſe; imò illum diſponere ac viam ſternere ad charitatem: At ſi voluntatem peccandi non excluderet, has dotes & prærogatiuas non haberet; cùm voluntas peccandi ſit mala, turpis, impedimentum ſalutis, & præcludat aditum charitati, quæ nedum cum peccato, ſed etiam cum voluntate peccandi, incompoſſibilis eſt: Ergo iuxta doctrinam Auguſtini, timor ex metu gehennæ conceptus excludit, vel ſaltem excludere poteſt, voluntatem peccandi. Minor conſtat, Maior verò ſuadetur varijs Auguſtini teſtimonijs. In primis enim S. Doctor in Pſal. 127. hunc timorem commendans ait: *Time ne mittaris in gehennam: bonus eſt & vtilis iſte timor*. Et ſerm. 18. de verbis Apoſtoli loquens de timore gehennæ: *Nihil* (ait) *me iuxtimes: nihil eſt quod magis timere debeas*. Et tract. 9. in epiſt. Ioan. explicans quo pacto iſte timor diſponat, & viam aperiat charitati, comparat illum ſetæ, qua introducitur linum: *Si nullus timor* (inquit) *non eſt qua intret charitas: ſicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur. Seta prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor, primo occupat mentem; non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem*. Demum in Pſal. 149. *Niſi timore homo incipiat Deum colere: non perueniet ad amorem: initium ſapientiæ timor Domini: incipit ergo à vinclis ferreis, & finitur ad torquem auream*.

Ex his patet manifeſtè Auguſtino ad verſari Ianſenium tomo 3. lib. 5. cap. 27. columna 560. vbi ſic habet: *Impoſſibile eſt vt ille*

qui in peccandi propoſito conſtitutus eſt, ſola pœnæ formidine ita mutet voluntatem, peccatumque deteſtetur, vt non peccet. Et cap. 33 col. 586. *Propoſitum bene viuendi ex timore pœnarum concipi, principijs Auguſtini ſolidiſſimis, ex quibus pelagiana hæreſis expugnata eſt, directè refragatur.* Et col. 578. *Qui ex illo timore* (gehennæ) *operatur, non eſt amicus rectitudinis, nec Dei, ſed potiùs hoſtiles erga eum animos gerit.*

Nec ſolùm Auguſtino, ſed etiam rationi, contrariatur hæc doctrina Ianſenij: Nam efficax metus gehennæ, id eſt vi cuius homo malum gehennæ ita refugit, vt efficaciter velit omnia media ad illud vitandum abſolutè neceſſaria, includit neceſſariò voluntatem efficacem cauendi omne id quod eſt inductiuum gehennæ, cùm hoc ſit medium abſolutè neceſſarium ad vitandum iſtud malum: Ergo neceſſariò excludit omnem peccandi affectum, mortaliter peccaminoſum, quandoquidem talis affectus eſt gehennæ inductiuus. Vnde.

Ad primam probationem in contrarium, dicendum eſt, Auguſtinum locis illis quæ citant Aduerſarij, loqui de timore propter pœnas, quarum fugam ſibi proponit metuens tanquam finem vltimum, qualis tamen non eſt ille quem importat vera attritio; fugam enim pœnarum inferni non ſibi proponit pœnitens in illo actu tanquam vltimum finem, ſed ſolùm tanquam finem proximum; quia non excludit poſitiuè relationem ipſius ad Deum, ſed merè negatiuè, ſiue præciſiuè, quoad hoc ſe habet.

Ad

Ad ſecundam probationem ex authoritate D. Thomæ, ſimiliter dico illum loco citato loqui de primo timore ſeruili, non de ſecundo. Quod verò hæc interpretatio legitima ſit, conſtat ex verbis S. Doctoris, ait enim quod *timor ſeruilis poteſt habere annexam voluntatem peccandi*. Cenſet ergo timorem ſeruilem non habere ſemper ac neceſſariò annexam peccandi voluntatem, ſed aliquando poſſe illam excludere; quando nimirum metuens non ſibi proponit fugam mali quod timet, tanquam vltimum finem, vt contingit in propoſito.

Ad tertiam reſpondetur; quod licet ſæpe contingat ea quæ fiunt ex metu, habere adiunctam voluntatem conditionatam contrariam, vt conſtat exemplo adducto mercatoris, metu naufragij merces in mare proijcientis; hoc tamen non eſt vniuerſaliter verum, ſed ſolùm quando affectus conditionatus non impedit aſſecutionem finis ad quem medius ex metu eligitur, vt in caſu iacturæ mercium, ſecùs verò quando illam impedit, vt impediret in noſtro caſu; cùm fuga & deteſtatio peccati ex metu gehennæ, non poſſit ad eam euadendam eſſe vtilis, niſi excludat omnem affectum etiam conditionatum erga peccatum; quia nempe hic affectus eſt lethaliter peccaminoſus, & conſequenter impeditiuus euaſionis gehennæ. Ex quo liquet falſum eſſe quod dicunt Aduerſarij nempe eum qui non peccat ex metu gehennæ, implicitè & virtualiter habere hunc actum: *vellem peccare, ſi abeſſet pœna.*

Ex hoc etiam patet non eſſe verum quod

dicitur in quarta probatione, nempe peccatum, ſecundùm ſe, & in ſe, placere illi qui ex metu gehennæ abſtinet à peccato; ſicut conſeruatio mercium ſecundùm ſe conſiderata, & vt præciſa à circunſtantijs naufragij imminentis, placet mercatori. Ratio verò diſcriminis iam inſinuata eſt quia nimium amor mercium ſecundùm ſe non impedit aſſecutionem finis ad quem medium ex metu eligitur, nempe conſeruationem vitæ, & vitationem naufragij: affectus verò ſeu complacentia in peccato, ſecundùm ſe & in ſe conſiderato, cùm ſit lethaliter peccaminoſa, impedit euaſionem gehennæ, quæ eſt finis proximus, ob quem medium nempe fuga peccati, ex metu eligitur.

Ad quintam dicendum, quod quando Auguſtinus aſſerit per timorem gehennæ voluntatem peccandi non excludi, ſed ſolùm per amorem iuſtitiæ, loquitur de timore gehennæ ſecundùm ſe ſpectato, non verò de illo, vt coniuncto Sacramento pœnitentiæ, de quo loquimur in præſenti; attritio enim ex tali metu concepta, ſi coniungatur huic Sacramento, æquiualet contritioni & charitati, ſubindeque non minùs excludit voluntatem peccandi, quàm actus contritionis & charitatis extra Sacramentum Pœnitentiæ.

Obijcies ſecundò cum Ianſenio: Ille qui de peccatis tantùm propter pœnas inferni dolet, in tali timore, ſiue in puro ſui amore, vltimò quieſcit? Ergo peccat, & inordinatè agit, cùm peccatum & inordinatio ſit, in amore ſui vltimò quieſcere.

Reſpondeo eum qui dolet de peccatis propter

pter pœnas inferni, dupliciter in amore ſui, ex quo dolor ille naſcitur, poſſe vltimò quieſcere: primò poſitiuè & contrariè, excludendo nimirum relationem talis amoris & ſui ipſius in Deum: ſecundò negatiuè tantùm, ſiuè præciſiuè, non referendo illum amorem, & actum doloris de peccatis ex eo prouenientem, in Deum. Qui primo modo dolet de peccatis, fateor quod illum actum de ſe bonum vitiat, apponendo ei malam circunſtantiam. Sed nego quod dolens de peccatis ſecundo modo, qualis eſt qui veram attritionem de illis habet, propter ſolùm gehennæ metum, ſic ſe habeat, atque adeò inordinatè agat. Quod poteſt hoc exemplo illuſtrari & explicari: Ille qui elicit aliquem actum virtutis moralis, puta temperantiæ, vel iuſtitiæ, ob ſolam honeſtatem quæ reperitur in obiecto illarum virtutum, non referendo ipſam per charitatem in Deum vt vltimum finem, non peccat, nec inordinatè agit, vt docent communiter Theologi contra Michaelem Baium; quia nimirum talem honeſtatem & bonitatem moralem non reſpicit tanquam finem vltimum, ſed duntaxat tanquam finem proximum, nec excludit poſitiuè relationem ipſius ad Deum, ad quem vt ad omnis honeſtatis & bonitatis fontem ex natura ſua tendit, ſed ad id merè præciſiuè & negatiuè ſe habet. Idem cum proportione dicendum eſt de timore gehennæ, ſeu de attritione ex tali metu concepta.

Obijciunt inſuper Aduerſarij aliqua SS. Patrum teſtimonia, quibus aſſeritur, hominem nunquam ſine charitate iuſtificari. Sed

fa-

facilè reſpondetur, hæc intelligi debere de charitate antecedente, vel conſequente; ſemper enim charitas vel antecedit iuſtificationem peccatoris, vt quando iuſtificatur extra Sacramentum per actus contritionis vel charitatis, qui vltimò ad gratiam iuſtificantem diſponunt: vel illam comitatur aut ſubſequitur, vt quando per actum attritionis in Sacramento Baptiſmi vel pœnitentiæ iuſtificatur; tunc enim charitas ex ipſa virtute ſacramenti conſequitur in fine verborum.

§. VIII.

Quas conditiones habere debeat attritio, vt diſponat ad iuſtificationes gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam?

RESpondeo illam debere habere has quatuor conditiones, nempe quod ſit vera, ſupernaturalis, vniuerſalis, & efficax, ſeu voluntatem pecccandi excludens. In primis enim quod debeat eſſe vera, & non ſufficiat apparens ſeu exiſtimata, manifeſtum eſt, quia attritio eſt materia ſacramenti pœnitentiæ, ſicut aqua eſt materia Baptiſmi: Sed ad materiam Baptiſmi requiritur vera aqua, & non ſufficit apparens ſeu exiſtimata. Ergo pariter ad valorem & effectum ſacramenti pœnitentiæ, neceſſaria eſt vera attritio, & non ſufficit apparens ſeu exiſtimata. Secundò quod debeat eſſe ſupernaturalis, ſubindeque non ſufficiat attritio naturalis, exiſtimata ſupernaturalis, conſtat: tum quia Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. aſſerit attritionem quæ peccatorem

rem diſponit ad gratiam in hoc ſacramento obtinendam; eſſe donum Dei,& Spiritus Sancti impulſum, quæ non conueniunt attritioni naturali. Tum etiam, quia diſpoſitio debet eſſe eiuſdem ordinis cum forma ad quam diſponit. Tum denique,quia cùm peccatum auertat à Deo vt à fine ſupernaturali, illius retractatio debet eſſe aliquo modo conuerſio ad Deum vt finem ſupernaturalem, ſubindeque ſupernaturalis. Ex quo intelliges, motiuum attritionis quæ ad recipiendum huius ſacramenti effectum diſponit, debere eſſe aliquo modo ſupernaturale; vnde quando Tridentinum loco ſuprà citato ait attritionem quæ vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, ad Dei gratiam in pœnitentiæ ſacramento impetrandam diſponere, hoc debet intelligi de turpitudine oppoſita alicui honeſtati & virtuti ſupernaturali, & de metu gehennæ, & pœnarum, quæ nobis per fidem reuelantur, & à Deo vt Authore ſupernaturali infliguntur. Tertiò, quod debeat eſſe vniuerſalis, ſeu ſe extendens ad omnia peccata mortalia nondum confeſſa, liquet ex eò quòd in ſacramento pœnitentiæ, vnum peccatum mortale non poteſt remitti ſine alio; vnde vel tot debent multiplicari attritiones, quot ſunt peccata ſpecie diuerſa, vel dari aliqua, quæ habeat motiuum aliquod vniuerſale quod ad omnia peccata mortalia ſe extendat. Demum, quod debeat eſſe efficax, ſeu voluntatem peccandi excludens, expreſsè traditur à Tridentino citato, vbi loquens de attritione, ex turpitudinis peccati conſideratione, vel

ex gehennæ & pœnarum metu concepta, ſubdit quod ſi illa *voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ*, ad Dei gratiam in ſacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.

CAPVT V.

De confeſſione Sacramentali.

CONfeſſio ſacramentalis eſt *legitima accuſatio pœnitentis de peccatis proprijs, facta Sacerdoti, ad eorum abſolutionem virtute clauium obtinendam.* Circa illam quinque præcipuè conſiderari poſſunt, nimirum eius præceptum ſeu obligatio, miniſter, qualitas, integritas, & ſigillum, de quibus breuiter hic agendum eſt.

§. I.

Præceptum confeſſionis Sacramentalis.

COnfeſſionem ſacramentalem fuiſſe à Chriſto inſtitutam oſtendimus ſupra cap. 1. §. 2. ex quo ſequitur illam eſſe neceſſariam & præceptam iure diuino, vt definit Tridentinum ſeſſ. 14. can. 7. & 8. & probat cap. 5. ex verbis illis Chriſti Ioan. 21. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.* Sacerdotes enim non haberent poteſtatem remittẽdi peccata fidelium, ſi ipſi fideles præceptum à Chriſto non haberent ſua peccata deferendi ad illos. Id etiam probari poteſt ex eo quod

præceptum confeſſionis in lege Euangelica, ſucceſſit præcepto contritionis: iſtud verò ante legem Euangelicam iure diuino obligabat peccatores, vt cap. præcedenti §. 2. oſtenſum eſt: Ergo pariter in lege Euangelica confeſſio ſacramentalis eſt iure diuino præcepta. Et certè res ita difficilis & humanę ſuperbię adeò repugnans, qualis eſt confeſſio omnium peccatorum, etiam occultorum maximè pudendorum, nunquam in totam Eccleſiam induci potuiſſet, niſi de ea Chriſti præceptum per ipſos Apoſtolos traditum accepiſſet. Neque obſtat quod dicunt hæretici, nempe Nectarium Patriarcham Conſtantinopolitanum abrogaſſe vſum confeſſionis in ſua Eccleſia; illumque improbaſſe Chryſoſtomum eius ſucceſſorem.

Ad hoc enim reſpondimus ſupra cap. 2. §. 2. Nectarium non abrogaſſe confeſſionem priuatam, & auricularem, ſed publicam tantùm, occaſione ſcandali orti ex publica confeſſione, cuiuſdam mulieris, quæ vlteriùs quam par erat in confitendo progreſſa, palam ſe accuſauerat occulti flagitij cum Diacono in templo admiſſi. Item Chryſoſtomum eandem ſolùm confeſſionem publicam improbare, dum homil. 5. de pœnit. & confeſſ. laudans factum Nectarij addit. *Cogitatione fiat delictorum exquiſitio; abſque teſte ſit hoc iudicium, ſolus Deus confitentem videat.* Vnde homil. 4. de Lazaro ſic ait: *Non cogo te in medium prodire theatrum, non teſtes requiro.* Quibus verbis manifeſtè confeſſionem ſolùm publicam excludit. Quod ſi interdum etiam Sacerdotem Dei Vicarium excludere videatur, vt homil. 30. in epiſt. ad Hebræos, vbi ait:

Delicta tua prenunciа, non lingua ſed conſcientiæ tuæ memoria, & homil. 8. de pœnit. *Intus in conſcientia tua, adſtante nemine*: Loquitur de confeſſione quotidiana, coram ſolo Deo, per examen conſcientiæ, & veram contritionem, ad quam vt valde vtilem, & per ſe ſufficientem ad remiſſionem peccatorum (licet non abſque onere ea ſuo tempore ſacerdotali iudicio ſubijciendi) fideles hortatur. Eodem ſenſu intelligendum eſt illud Ambroſij in cap. 22. Lucæ: *Lauant lacrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri.*

Confeſſio ſacramentalis eſt etiam neceſſaria iure Eccleſiaſtico, vt conſtat ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, de pœnit. & remiſſ. deſumpto ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. in quo expreſsè præcipitur confeſſio annua his verbis: *Omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio ſacerdoti &c.* Hoc præceptum eſt determinatio præcepti diuini, quantùm ad tempus confitendi, quare obligat ſub mortali, & eſt diſtinctum à præcepto communicandi in paſchate, ſubindeque obligat per ſe, & independenter ab illo. Vnde qui per annum eſſet legitime impeditus à ſuſceptione Euchariſtiæ, teneretur nihilominus ad confeſſionem ſacramentalem; & è contra qui in Paſchate non haberet conſcientiam peccati mortalis, non teneretur confiteri, bene tamen communicare. Qui verò tunc conſcientiam mortalis habent, tenentur quidem priùs confiteri quam communicare, ad id tamen non obligantur, ex vi præcepti annuæ

confeſſionis (ſuppoſito quod in Natali Domini, aut alio quouis anni tempore confeſſi fuerint) ſed ex vi præcepti diuini, prohibentis ne quis indignè ad Euchariſtiam præſumat accedere.

Huic precepto non ſatisfit per confeſſionem inualidam, cùm illa non præcipiatur, ſed prohibeatúr ab Eccleſia, benè tamen per confeſſionem validam, ſed informem (quam eſſe poſſibilem infra oſtendemus) tunc enim impletur præceptum alicuius rei, quando omnia ad eſſentiam rei præceptæ requiſita adhibentur: Sed per confeſſionem validam, quamuis informem, adhibentur omnia pertinentia ad eſſentiam confeſſionis ſacramentalis, alioquin non eſſet valida: Ergo per illam impletur preceptum Eccleſiaſticum de annua confeſſione. Confirmatur: Finis præcepti non cadit ſub præcepto. Sed gratia per ſacramentum recipienda, cuius priuatio reddit ſacramentum informe, eſt finis præcepti confeſſionis ſacramentalis: Ergo non cadit ſub præcepto.

§. II.

Miniſter confeſſionis ſacramentalis.

De fide certum eſt, ſolum Sacerdotem eſſe miniſtrum confeſſionis ſacramentalis. Hoc enim definitum eſt in Concilio Conſtantienſi contra Vvicleph, in Florentino in decreto vnionis, & in Tridentino ſeſſ. 14. can. 10. vbi dicitur hæc verba Chriſti Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*, ſolis ſacerdotibus eſſe dicta, atque illis ſolis poteſtatem remitten-

tendi peccata fuiſſe conceſſam. Ratio etiam id ſuadet: tum quia conueniens fuit, vt illi ſoli haberent poteſtatem in corpus Chriſti myſticum, qui poteſtatem habent in corpus Chriſti verum, quales ſunt ſoli Sacerdotes. Tum etiam, quia ſacramentum pœnitentiæ ſe habet per modum iudicij, vnde abſolutio à peccatis eſt actus iudicialis: Sed non eſt conueniens quod in republica bene ordinata omnes ſint iudices; cùm multa requirat actus iudicialis, quæ non facilè poſſunt in quolibet reperiri, vt ſcientiam, prudentiam, iuſtitiæ zelum &c. Ergo nec quod omnes ſint confeſſionis ſacramentalis miniſtri.

Ex hoc intelliges, in miniſtro confeſſionis iuriſdictionem eſſe planè neceſſariam, non ſolùm vt licitè, ſed etiam vt validè à peccatis abſoluat; natura enim & ratio iudicij poſtulat, vt ſententia non niſi in ſubditos feratur. Vnde Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. *Quoniam natura & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos tantum feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe hæc Synodus confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe quam Sacerdos in eum profert in quem non habet ordinariam aut ſubdelegatam poteſtatem.*

Dices, quilibet Sacerdos, ex vi ſuæ ordinationis, & illorum verborum, quæ Epiſcopus in perſona Chriſti profert: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, &c.* recipit poteſtatem abſoluendi à peccatis: Ergo vt poſſit ab illis abſoluere, non requiritur iuriſdictio.

Reſpondeo tunc quemlibet Sacerdotem re-

ſacramentalis habeat omnia ad valorem Sacramenti requiſita, & nihilominus per accidens non producat gratiam, ob aliquem defectum vel indiſpoſitionem pœnitentis: v.g. ſi quis habens quatuor peccata mortalia, tria declaret in confeſſione, & de eis attritione habeat ſupernaturalem quidem, ſed ex motiuo particularis deformitatis eorum; aliud verò ex inaduertentia inculpabili non declaret, nec conſequenter de illo doleat, talis confeſſio erit valida, & tamen informis. In primis enim quod valida ſit, ex eo patet quod omiſſio alicuius peccati ex ignorantia vel inaduertentia inculpabibi, non reddit confeſſionem inualidam; quia licet tunc illa non ſit integra materialiter, bene tamen formaliter, vt conſtabit ex infra dicendis. Quod verò ſit informis, ſeu careat ſuo effectu, qui eſt remiſſio peccatorum, non minùs certum videtur, quia in confeſſione vnum peccatum non remittitur ſine alio: Sed in caſu poſito non remittitur pœnitenti illud peccatum quod ex inaduertentia inculpabili non declarat. Ergo nec alia quæ in confeſſione aperit remittuntur. Maior patet, minor probatur. Nunquam remittitur peccatum, niſi habenti dolorem formalem aut virtualem de ipſo: Sed in caſu poſito pœnitens neque habet dolorem formalem neque virtualem de peccato omiſſo: non quidem formalem & explicitum, vt conſtat, cùm non cogitet de illo; neque etiam virtualem & implicitum, quia dolor de peccato, ex motiuo ipſi ſpeciali, v.g. de adulterio, ex ſpeciali turpitudine ipſius, non eſt dolor virtualis de peccatis diuerſæ rationis, puta de furto, vel ho-

homicidio: pœnitens autem in caſu poſito non dolet de tribus peccatis, niſi ex particulari motiuo, & ex ſpeciali ipſorum turpitudine: Ergo non habet dolorem virtualem & implicitum de quarto.

Dices, peccata inculpabiliter oblita remittuntur in Sacramento pœnitentiæ, quamuis confeſſio ad ea non ſe extendat: Ergo illa pariter remittentur, quamuis attritio ad ea non extendatur, ſubindeque in caſu poſito, confeſſio non ſolùm erit valida, ſed etiam formata. Præſertim, quia tunc pœnitens nullum ponit obicem gratiæ ſacramentali, alioquin peccaret, quandoquidem obligatur ex præcepto diuino non impedire effectum Sacramenti, atque adeò non apponere illi obicem.

Reſpondeo, conceſſo Antecedente, negando conſequentiam & paritatem; notabile enim inter integritatem confeſſionis, & integritatem attritionis reperitur diſcrimen; nam integritas confeſſionis ſolùm eſt de præcepto, non de neceſſitate medij, vnde quomodocumque ſatisfiat illi præcepto, confeſſio manet integra formaliter: pœnitentia verò interior eſt medium per ſe requiſitum ad remiſſionem peccati, vnde ſi ea ad aliquod peccatum non ſe extendat, illud non manet remiſſum, quia non applicatur ei medium per ſe neceſſarium. Ad illud quod ſubiungitur dico, quod licet in caſu poſito pœnitens non ponat gratiæ ſacramentali obicem poſitiuum, ideoque non peccet; ei tamen apponit obicem negatiuum, videlicet negationem extenſionis attritionis ad illud peccatum ad quod inculpabiliter non aduertit, & propterea gratiam

ſacramentalem non recipit, ſubindeque eius confeſſio in illo caſu valida eſt, & tamen informis.

§. IV.

Integritas confeſſionis Sacramentalis.

QVod attinet ad integritatem confeſſionis, duo ſunt certa & indubitata apud Theologos, & cotidem incerta, ac in controuerſiam reuocata. In primis certum eſt, formalem integritatem ſemper eſſe neceſſariam ad valorem confeſſionis, ſubindeque teneri pœnitentem declarare in confeſſione omnia & ſingula peccata & quantùm ad ſpeciem, & quantùm ad numerum, & quoad circumſtantias ſpeciem mutantes, niſi aliqua cauſa grauiſſima & vrgens excuſet. Ita enim definitur in Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. Ratio etiam id ſuadet, primò quia in hoc Sacramento peccata remittuntur per modum iudicij, media accuſatione pœnitentis, & ſententia iudicis: At ſententia iudicis præſupponit integram peccatorum confeſſionem: Ergo & ſacramentalis confeſſio. Secundò, Confeſſarius in hoc Sacramento non ſolùm habet rationem iudicis, ſed etiam medici: At medicus non poteſt ſapienter medicinam præſcribere, niſi omnes morbos infirmi perſpectos habeat: Ergo nec Sacerdos poteſt ſalutarem pœnitentiam præſcribere pœnitenti niſi omnia & ſingula eius peccata cognoſcat. Tertiò, præceptum confeſſionis, ex Chriſti inſtitutione, ſubrogatum eſt præcepto contritionis: Sed contritio non de-

delet peccata, niſi omnia deteſtentur: Ergo nec confeſſio, niſi omnia declarentur, & Eccleſiæ clauibus ſubijciantur.

Secundò certum eſt, materialem integritatem non ſemper eſſe neceſſariam ad valorem confeſſionis, vel ad fructum ſacramentalem percipiendum, ſed multas eſſe cauſas excuſantes ab illa. Prima eſt obliuio, quando ſcilicet quis, adhibita ſufficienti diligentia, non meminit alicuius peccati. Secunda eſt impotentia phyſica, vt ſi pœnitens amiſſa loquela, vel in phreneſim verſus, nequeat confeſſionem perficere, tunc enim vno peccato audito abſoluendus eſt. Tertia eſt impoſſibilitas moralis, vt in caſu quo pœnitens propter ſuum, vel confeſſarij, vel alicuius tertij graue damnum, non poteſt diſtinctè omnia peccata confiteri.

Dices, in nullo prorſus caſu licitum eſt dimidiare Sacramentum Euchariſtiæ, conſecrando vnam materiam ſine alia, v. g. panem ſine vino: Ergo nec confeſſionem ſacramentalem. Sed nego conſequentiam & paritatem: Ratio diſcriminis eſt, quia cùm ſacramentalis confeſſio ſit actus quidam moralis & humanus, præceptum de eius integritate metiendum eſt iuxta poſſibilitatem moralem, & regulas prudentiæ. At verò Sacramentum Euchariſtiæ non habet pro materia vel forma actum aliquem humanum, ac proinde præceptum de illius integritate, abſolutè intelligi debet, & abſque limitatione.

Hæc duo ſunt certa & indubitata apud Theologos, ſed dubitatur primò, vtrum ad integritatem confeſſionis neceſſarium ſit de-

clarare circumſtantias, intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantes? Reſpondeo affirmatiuè, contra plures Receñtiores, oppoſitum ſentientes. Ratio fundamentalis eſt, quia cùm ſacramentum pœnitentiæ ſit inſtitutum per modum iudicij, confeſſio ſacramentalis debet eſſe talis quod ex illa Sacerdos rectè de criminum grauitate iudicare poſſit, & ſeruare æquitatem in pœnitentijs iniungendis, vt docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. At neutrum poteſt præſtare Sacerdos niſi circumſtantiæ notabiliter aggrauantes, ipſi in confeſſione declarentur: Ergo illæ in confeſſione declarari debent. Maior conſtat, minor probatur. Inceſtus cum propria ſorore vel matre, eſt incomparabiliter grauior, quam inceſtus cum propria nepte, vel conſobrina, & tamen non diſtinguitur ſpecie ab illo, ſed ſolùm notabiliter aggrauat intra eandem ſpeciem, quia ex communi ſententia, quam inſinuat S. Thomas 2. 2. qu. 154. artic. 9. ad 2. omnia peccata inceſtus ſunt eiuſdem rationis & ſpeciei. Similiter furtum mille aureorum ſine comparatione grauius eſt, quam furtum vnius aurei, & tamen quantitas furti non eſt circunſtantia mutans ſpeciem, ſed duntaxat aggrauans intra eandem ſpeciem, vt docet D. Thomas 1. 2. qu. 7. artic. 3. ad 3. Quonam igitur pacto Sacerdos poterit rectè iudicare quam grauiter aliquis peccauerit, ſi ignoret an pœnitens inceſtum commiſerit cum propria matre vel ſorore, vel ſolùm cum nepte aut conſobrina, & neſciat an furatus fuerit mille aureos, vel vnum tantùm; & quomodo poterit pœnitentiam condignam ei iniungere,

re, ſi non declaret circumſtantias illas intrà eandem ſpeciem notabiliter aggrauantes? Præſertim cùm illæ circumſtantiæ maiorem interdum malitiam addant, quam illæ quæ ſpeciem mutant, furtum enim v g. centum mille aureorum, vel occiſio centum mille hominum, abſolutè continet in ſe ma orem malitiam, quam furtum vnius aurei, vel occiſio vnius hominis in Eccleſia. Addo quod, ſi liberum eſſet pœnitenti tales circumſtantias declarare vel non declarare in confeſſione, non poſſet Epiſcopus, nec Summus Pontifex, peccatum intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauans, v.g. inceſtum cum matre vel cum ſorore, ſibi reſeruare (vt ſæpe faciunt) non reſeruando ſibi inceſtum cum nepte vel conſobrina. Sequela probatur: Eccleſia nunquam ſibi reſeruat nec reſeruare poteſt venialia aut mortalia aliàs ritè confeſſa, quia huiuſmodi peccata non ſunt materia neceſſaria ſed libera confeſſionis: Ergo ſi pariter circumſtantiæ intra eandem ſpecie notabiliter aggrauantes, eſſent materia libera confeſſionis, non poſſet Eccleſia ſibi reſeruare aliquod peccatum, ratione alicuius circumſtantiæ illud intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantis.

Dices, Homo non obligatur ad id de quo nullum extat præceptum: Sed nullum extat præceptum diuinum vel Eccleſiaſticum de confitendis circumſtantijs intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantibus: Ergo fideles ad id non tenentur. Vnde Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. doctrinaliter definiens quæ circumſtantiæ in confeſſione explicandæ

ſint,

ſint, meminit ſolùm earum quæ ſpeciem mutant, & D. Thomas in 4 diſt. 16. qu. 3. art. 2. quæſtiunc. ſic ait: *Alij verò dicunt quod non ſunt neceſſariò confitendæ niſi circumſtantiæ quæ ad aliud genus & ſpeciem peccati mortalis trahunt, & hoc probabilius eſt.*

Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, extat enim præceptum diuinum de confiterdis illis circumſtantijs, ex inſtitutione huius ſacramenti ſequens; cum enim ſit inſtitutum à Chriſto per modum iudicij, quidquid requiritur ad hoc vt Sacerdos rectè de criminum grauitate iudicare poſſit, cadit ſub præcepto diuino; vnde cùm explicatio circumſtantiarum intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantium, neceſſaria ſit, ad hoc vt confeſſarius rectum de grauitate criminum efformet iudicium, vt iam oſtenſum eſt, ſub præcepto diuino cadit. Ad Tridentinum verò dicendum eſt, illud ideò explicitè non meminiſſe niſi earum circumſtantiarum, quæ mutant ſpeciem, quia controuerſiam inter Theologos, de alijs quæ non variant ſpeciem, noluit definire. Cæterùm ratio quam tradit ob quam explicari debent illæ quæ variant ſpeciem, oſtendit implicitè neceſſariò declarandas eſſe alias quæ intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauant, vt ex ſupra dictis conſtat. Addo quod Concilium docet confitenda eſſe peccata, non ſolùm quantùm ad ſpeciem, ſed etiam quantùm ad numerum; peccatum autem habens circumſtantiam notabiliter aggrauantem, nonnunquam eſt virtualiter multiplex, vt patet in furto mille aureorum quod æquiualet mille furtis vnius

au-

alteri, & in odio per integrum annum durante, quod æquiualet & continet virtualiter plures actus odij, quia continuatio peccati eſt virtualis quædam diſtinctio & multiplicatio peccatorum. Vnde Catechiſmus eiuſdem Concilij de Sacram. pœnit. §. *Sed quoniam*, docet non modò peccata omnia, ſed etiam circumſtantias quæ peccati grauitatem valde augent vel minuunt, in confeſſione explicandas eſſe.

Ad D. Thomam dicendum eſt, illum ſolùm excludere velle loco citato ab obligatione confitendi, illas circumſtantias quæ non valde notabiliter aggrauant intra eandem ſpeciem, vt circumſtantia diei feſti; vel dignitatis perſonæ, puta ſi ille qui peccatum commiſit ſit Epiſcopus, Abbas, vel Generalis Ordinis, non verò circumſtantias intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantes, vt conſtat ex ratione quam adducit; ait enim ideò non eſſe neceſſariò confitendas niſi circumſtantias quæ mutant ſpeciem, *quia venialia non ſunt de neceſſitate confeſſionis, ſed tantùm mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent.*

Secunda difficultas & controuerſia eſt, an pœnitens poſſit & debeat, propter integritatem ſuæ confeſſionis perſonam complicis reuelare, ſi aliter peccatum ſuum explicare non poſſit? Reſpondeo affirmatiuè, quia in Sacramento pœnitentiæ, pœnitens habet ius ſeſe integrè accuſandi: Ergo & manifeſtandi complicem, ſi aliter non poſſit ſeipſum integrè accuſare, ſeu facere ſuam confeſſionem integram. Nec valet ſi dicas, pœnitentem,

ob

recipere poteſtatem phyſicam, ſiue ordinis, ad abſoluendum à peccatis, non verò poteſtatem moralem, ſiue iuriſdictionis.

Inſtabis: Poteſtas phyſica, ſiue ordinis, ad abſoluendum à peccatis, conſiſtit in charactere ſacerdotali: Sed antequam Epiſcopus prædicta verba proferat, Sacerdos charactere ſacerdotali inſignitus eſt; cùm ille imprimatur in contactu calicis, & prolatione illorum verborum, *Accipite poteſtatem offerendi ſacrificium Deo*: Ergo antequam Epiſcopus proferat illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum*, Sacerdos habet poteſtatem phyſicam, ſiue ordinis, ad abſoluendum à peccatis, ſubindeque ex vi illorum verborum, non recipit poteſtatem phyſicam ad abſoluendum à peccatis, ſed moralem, quæ eſt ipſa poteſtas iuriſdictionis.

Reſpondeo poteſtatem phyſicam ad abſoluendum à peccatis, non conſiſtere in charactere Sacerdotali, ſed in quodam modo reali & intrinſeco maioris perfectionis, & extenſionis ipſius, ratione cuius character eſt potent a phyſica, non ſolùm ſupra corpus Chriſti verum, ad conſecrandum ipſum, ſed etiam ſupra corpus Chriſti myſticum, ſiue ſupra fideles pœnitentes, ad cauſandum in ipſis gratiam remiſſiuam peccatorum, per abſolutionem ſacramentalem. Licet autem Sacerdos recipiat characterem ſacerdotalem in contactu calicis, & prolatione illorum verborum: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo*, illum tamen modum extenſiuum, & maioris poteſtatis, recipit ſolùm in prolatione illorum verborum: *Accipite Spiritum Sanctum &c.*

Ex

Ex hoc intelliges notabile diſcrimen quod reperitur inter poteſtatem iuriſdictionis in foro pœnitentiæ ad abſoluendum à peccatis, & poteſtatem iuriſdictionis in foro externo, quam habet iudex ad actus iudiciales exercendos; iſta enim non præſupponit neceſſariò aliam poteſtatem phyſicam, quæ ſit fundamentum illius, bene tamen illa; nimirum characterem ſacerdotalem, cum modo reali & intrinſeco extenſionis ſupra corpus Chriſti myſticum, iam explicato. Vnde carentes charactere Sacerdotali, non poſſunt ab Eccleſia deputari ad exercendum officium Confeſſoris, & abſoluendum à peccatis, bene tamen ad actus iudiciales fori externi exercendos.

§. III.

Qualitas confeſſionis ſacramentalis.

CIrca qualitatem confeſſionis ſacramentalis difficultas eſt & controuerſia inter Theologos, an poſſit dari confeſſio ſacramentalis, quæ ſit valida, & tamen informis; id eſt quæ habeat omnia ad eſſentiam & valorem Sacramenti requiſita, & nihilominus careat ſuo effectu, videlicet gratia & remiſſione peccatorum?

Reſpondeo id aliquando poſſe contingere, quia cùm effectus ſit extra eſſentiam ſuæ cauſæ, poteſt interdum, ob aliquam ſubiecti indiſpoſitionem, ipſum non cauſare, vt patet in igne non ſemper producente de facto calorem, ob indiſpoſitionem ſubiecti: nulla ergo videtur eſſe repugnantia, quod confeſſio

ſacramentalis habeat omnia ad valorem Sacramenti requiſita, & nihilominus per accidens non producat gratiam, ob aliquem defectum vel indiſpoſitionem pœnitentis: v.g. ſi quis habens quatuor peccata mortalia, tria declaret in confeſſione, & de eis attritione habeat ſupernaturalem quidem, ſed ex motiuo particularis deformitatis eorum; aliud verò ex inaduertentia inculpabili non declaret, nec conſequenter de illo doleat, talis confeſſio erit valida, & tamen informis. In primis enim quod valida ſit, ex eo patet quod omiſſio alicuius peccati ex ignorantia vel inaduertentia inculpabibi, non reddit confeſſionem inualidam; quia licet tunc illa non ſit integra materialiter, bene tamen formaliter, vt conſtabit ex infra dicendis. Quod verò ſit informis, ſeu careat ſuo effectu, qui eſt remiſſio peccatorum, non minùs certum videtur, quia in confeſſione vnum peccatum non remittitur ſine alio: Sed in caſu poſito non remittitur pœnitenti illud peccatum quod ex inaduertentia inculpabili non declarat. Ergo nec alia quæ in confeſſione aperit remittuntur. Maior patet, minor probatur. Nunquam remittitur peccatum, niſi habenti dolorem formalem aut virtualem de ipſo: Sed in caſu poſito pœnitens neque habet dolorem formalem neque virtualem de peccato omiſſo: non quidem formalem & explicitum, vt conſtat, cùm non cogitet de illo; neque etiam virtualem & implicitum, quia dolor de peccato, ex motiuo ipſi ſpeciali, v.g. de adulterio, ex ſpeciali turpitudine ipſius, non eſt dolor virtualis de peccatis diuerſæ rationis, puta de furto, vel ho-

homicidio: pœnitens autem in caſu poſito non dolet de tribus peccatis, niſi ex particulari motiuo, & ex ſpeciali ipſorum turpitudine: Ergo non habet dolorem virtualem & implicitum de quarto.

Dices, peccata inculpabiliter oblita remittuntur in Sacramento pœnitentiæ, quamuis confeſſio ad ea non ſe extendat: Ergo illa pariter remittentur, quamuis attritio ad ea non extendatur, ſubindeque in caſu poſito, confeſſio non ſolùm erit valida, ſed etiam formata. Præſertim, quia tunc pœnitens nullum ponit obicem gratiæ ſacramentali, alioquin peccaret, quandoquidem obligatur ex præcepto diuino non impedire effectum Sacramenti, atque adeò non apponere illi obicem.

Reſpondeo, conceſſo Antecedente, negando conſequentiam & paritatem; notabile enim inter integritatem confeſſionis, & integritatem attritionis reperitur diſcrimen; nam integritas confeſſionis ſolùm eſt de præcepto, non de neceſſitate medij, vnde quomodocumque ſatisfiat illi præcepto, confeſſio manet integra formaliter: pœnitentia verò interior eſt medium per ſe requiſitum ad remiſſionem peccati, vnde ſi ea ad aliquod peccatum non ſe extendat, illud non manet remiſſum, quia non applicatur ei medium per ſe neceſſarium. Ad illud quod ſubiungitur dico, quod licet in caſu poſito pœnitens non ponat gratiæ ſacramentali obicem poſitiuum, ideoque non peccet; ei tamen apponit obicem negatiuum, videlicet negationem extenſionis attritionis ad illud peccatum ad quod inculpabiliter non aduertit, & propterea gratiam

ſacramentalem non recipit, ſubindeque eius confeſſio in illo caſu valida eſt, & tamen informis.

§. IV.

Integritas confeſſionis Sacramentalis.

QVod attinet ad integritatem confeſſionis, duo ſunt certa & indubitata apud Theologos, & totidem incerta, ac in controuerſiam reuocata. In primis certum eſt, formalem integritatem ſemper eſſe neceſſariam ad valorem confeſſionis, ſubindeque teneri pœnitentem declarare in confeſſione omnia & ſingula peccata & quantùm ad ſpeciem, & quantùm ad numerum, & quoad circumſtantias ſpeciem mutantes, niſi aliqua cauſa grauiſſima & vrgens excuſet. Ita enim definitur in Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. Ratio etiam id ſuadet, primò quia in hoc Sacramento peccata remittuntur per modum iudicij, media accuſatione pœnitentis, & ſententia iudicis: At ſententia iudicis præſupponit integram peccatorum confeſſionem: Ergo & ſacramentalis confeſſio. Secundò, Confeſſarius in hoc Sacramento non ſolùm habet rationem iudicis, ſed etiam medici: At medicus non poteſt ſapienter medicinam præſcribere, niſi omnes morbos infirmi perſpectos habeat: Ergo nec Sacerdos poteſt ſalutarem pœnitentiam præſcribere pœnitenti niſi omnia & ſingula eius peccata cognoſcat. Tertiò, præceptum confeſſionis, ex Chriſti inſtitutione, ſubrogatum eſt præcepto contritionis: Sed contritio non de-

delet peccata ; niſi omnia deteſtentur : Ergò nec confeſſio , niſi omnia declarentur , & Eccleſiæ clauibus ſubijciantur .

Secundò certum eſt , materialem integritatem non ſemper eſſe neceſſariam ad valorem confeſſionis , vel ad fructum ſacramentalem percipiendum , ſed multas eſſe cauſas excuſantes ab illa . Prima eſt obliuio , quando ſcilicet quis, adhibita ſufficienti diligentia, non meminit alicuius peccati . Secunda eſt impotentia phyſica , vt ſi pœnitens amiſſa loquela , vel in phrenesim verſus , nequeat confeſſionem perficere , tunc enim vno peccato audito abſoluendus eſt . Tertia eſt impoſſibilitas moralis , vt in caſu quo pœnitens propter ſuum , vel confeſſarij , vel alicuius tertij graue damnum , non poteſt diſtinctè omnia peccata confiteri .

Dices, in nullo prorſus caſu licitum eſt dimidiare Sacramentum Euchariſtiæ,conſecrando vnam materiam ſine alia , v. g. panem ſine vino : Ergo nec confeſſionem ſacramentalem. Sed nego conſequentiam & paritatem : Ratio diſcriminis eſt , quia cùm ſacramentalis confeſſio ſit actus quidam moralis & humanus, præceptum de eius integritate metiendum eſt iuxta poſſibilitatem moralem, & regulas prudentiæ . At verò Sacramentum Euchariſtiæ non habet pro materia vel forma actum aliquem humanum , ac proinde præceptum de illius integritate , abſolutè intelligi debet, & abſque limitatione .

Hæc duo ſunt certa & indubitata apud Theologos , ſed dubitatur primò , vtrum ad integritatem confeſſionis neceſſarium ſit de-

clarare circumſtantias, intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantes? Reſpondeo affirmatiuè, contra plures Recentiores, oppoſitum ſentientes. Ratio fundamentalis eſt, quia cùm ſacramentum pœnitentiæ ſit inſtitutum per modum iudicij, confeſſio ſacramentalis debet eſſe talis quod ex illa Sacerdos rectè de criminum grauitate iudicare poſſit, & ſeruare æquitatem in pœnitentijs iniungendis, vt docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. At neutrum poteſt præſtare Sacerdos niſi circumſtantiæ notabiliter aggrauantes, ipſi in confeſſione declarentur: Ergo illæ in confeſſione declarari debent. Maior conſtat, minor probatur. Inceſtus cum propria ſorore vel matre, eſt incomparabiliter grauior, quam inceſtus cum propria nepte, vel conſobrina, & tamen non diſtinguitur ſpecie ab illo, ſed ſolùm notabiliter aggrauat intra eandem ſpeciem, quia ex communi ſententia, quam inſinuat S. Thomas 2. 2. qu. 154. artic. 9. ad 2. omnia peccata inceſtus ſunt eiuſdem rationis & ſpeciei. Similiter furtum mille aureorum ſine comparatione grauius eſt, quam furtum vnius aurei, & tamen quantitas furti non eſt circunſtantia mutans ſpeciem, ſed duntaxat aggrauans intra eandem ſpeciem, vt docet D. Thomas 1. 2. qu. 7. artic. 3. ad 3. Quonam igitur pacto Sacerdos poterit rectè iudicare quam grauiter aliquis peccauerit, ſi ignoret an pœnitens inceſtum commiſerit cum propria matre vel ſorore, vel ſolùm cum nepte aut conſobrina; & neſciat an furatus fuerit mille aureos, vel vnum tantùm; & quomodo poterit pœnitentiam condignam ei iniunge-

rē, ſi non declaret circumſtantias illas intrā eandem ſpeciem notabiliter aggrauantes? Præſertim cùm illæ circumſtantiæ maiorem interdum malitiam addant, quam illæ quæ ſpeciem mutant, furtum enim v g. centum mille aureorum, vel occiſio centum mille hominum, abſolutè continet in ſe ma orem malitiam, quam furtum vnius aurei, vel occiſio vnius hominis in Eccleſia. Addo quod, ſi liberum eſſet pœnitenti tales circumſtantias declarare vel non declarare in confeſſione, non poſſet Epiſcopus, nec Summus Pontifex, peccatum intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauans, v.g. inceſtum cum matre vel cum ſorore, ſibi reſeruare (vt ſæpe faciunt) non reſeruando ſibi inceſtum cum nepte vel conſobrina. Sequela probatur: Eccleſia nunquam ſibi reſeruat nec reſeruare poteſt venialia aut mortalia aliàs ritè confeſſa, quia huiuſmodi peccata non ſunt materia neceſſaria ſed libera confeſſionis: Ergo ſi pariter circumſtantiæ intra eandem ſpecie notabiliter aggrauantes, eſſent materia libera confeſſionis, non poſſet Eccleſia ſibi reſeruare aliquod peccatum, ratione alicuius circumſtantiæ illud intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantis.

Dices, Homo non obligatur ad id de quo nullum extat præceptum: Sed nullum extat præceptum diuinum vel Eccleſiaſticum de confitendis circumſtantijs intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantibus: Ergo fideles ad id non tenentur. Vnde Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. doctrinaliter definiens quæ circumſtantiæ in confeſſione explicandæ

ſint,

ſint, meminit ſolùm earum quæ ſpeciem mutant, & D. Thomas in 4 diſt. 16. qu. 3. art. 2. quæſtiunc. ſic ait: *Alij verò dicunt quod non ſunt neceſſariò confitendæ niſi circumſtantiæ quæ ad aliud genus & ſpeciem peccati mortalis trahunt, & hoc probabilius eſt.*

Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, extat enim præceptum diuinum de confiterdis illis circumſtantijs, ex inſtitutione huius ſacramenti ſequens; cum enim ſit inſtitutum à Chriſto per modum iudicij, quidquid requiritur ad hoc vt Sacerdos rectè de criminum grauitate iudicare poſſit, cadit ſub præcepto diuino; vnde cùm explicatio circumſtantiarum intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantium, neceſſaria ſit, ad hoc vt confeſſarius rectum de grauitate criminum efformet iudicium, vt iam oſtenſum eſt, ſub præcepto diuino cadit. Ad Tridentinum verò dicendum eſt, illud ideò explicitè non meminiſſe niſi earum circumſtantiarum, quæ mutant ſpeciem, quia controuerſiam inter Theologos, de alijs quæ non variant ſpeciem, noluit definire. Cœterùm ratio quam tradit ob quam explicari debent illæ quæ variant ſpeciem, oſtendit implicitè neceſſariò declarandas eſſe alias quæ intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauant, vt ex ſupra dictis conſtat. Addo quod Concilium docet confitenda eſſe peccata, non ſolùm quantùm ad ſpeciem, ſed etiam quàntùm ad numerum; peccatum autem habens circumſtantiam notabiliter aggrauantem, nonnunquam eſt virtualiter multiplex, vt patet in furto mille aureorum quod æquiualet mille furtis vnius

au-

alterei, & in odio per integrum annum durante, quod æquiualet & continet virtualiter plures actus odij, quia continuatio peccati eſt virtualis quædam diſtinctio & multiplicatio peccatorum. Vide Catechiſmus eiuſdem Concilij de Sacram. pœnit. §. *Sed quoniam*, docet non modò peccata omnia, ſed etiam circumſtantias quæ peccati grauitatem valde augent vel minuunt, in confeſſione explicandas eſſe.

Ad D. Thomam dicendum eſt, illum ſolùm excludere velle loco citato ab obligatione confitendi, illas circumſtantias quæ non valde notabiliter aggrauant intra eandem ſpeciem, vt circumſtantia diei feſti; vel dignitatis perſonæ, puta ſi ille qui peccatum commiſit ſit Epiſcopus, Abbas, vel Generalis Ordinis, non verò circumſtantias intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantes, vt conſtat ex ratione quam adducit; ait enim ideò non eſſe neceſſariò confitendas niſi circumſtantias quæ mutant ſpeciem, *quia venialia non ſunt de neceſſitate confeſſionis, ſed tantùm mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent.*

Secunda difficultas & controuerſia eſt, an pœnitens poſſit & debeat, propter integritatem ſuæ confeſſionis perſonam complicis reuelare, ſi aliter peccatum ſuum explicare non poſſit? Reſpondeo affirmatiuè, quia in Sacramento pœnitentiæ, pœnitens habet ius ſeſe integrè accuſandi: Ergo & manifeſtandi complicem, ſi aliter non poſſit ſeipſum integrè accuſare, ſeu facere ſuam confeſſionem integram. Nec valet ſi dicas, pœnitentem,

ob

ob integritatem ſuæ confeſſionis, non poſſe infamare proximum, apud Confeſſarium: Tum quia reuelatio complicis in confeſſione, non eſt diffamatio eius, niſi materialiter, ſicut non diffamatur, quando peccatum eius reuelatur, ob ipſius vtilitatem & correctionem, vt docet S. Thomas 2. 2. qu. 73. art. 2. Tum etiam quia complex, voluntariè ſe faciendo ſocium pœnitentis in crimine, voluntariè etiam ſe ſubdidit, quantùm in ipſo eſt, cognitioni iudicis de tali crimine, quia voluntariè ſe fecit circumſtantiam talis delicti. Ex quo intelliges quod ſi frater commiſit inceſtum cum ſorore, ipſa volente & conſentiente, poteſt & tenetur in confeſſione circumſtantiam illam explicare, & ſororis perſonam & crimen confeſſario detegere. Secùs verò ſi ſorori non conſentienti ſtuprum intulerit, quia in primo caſu ſoror eſt complex criminis, & ſocia flagitij, non verò in ſecundo. Vnde tunc ſufficit quod frater, qui vim ſorori intulit, dicat ſe commiſiſſe inceſtum cum conſanguinea, eique vim intuliſſe, non explicando circumſtantiam perſonæ.

§. V.

Sigillum confeſſionis.

TRiplici præcepto Confeſſor obligatur ad ſeruandum ſigillum confeſſionis, naturali, diuino, & humano: naturali, quia de iure naturæ eſt ſeruare ſecretum ſibi commiſſum; diuino, quia confeſſio quæ eſt iuris diuini, ſine ſecreto eſſet nimis odioſa, ſubindeque

quę moraliter impoſſibilis; humano denique ſeu Eccleſiaſtico, quia Eccleſia ſtrictiſſimè præcipit ſigillum confeſſionis ſeruari, & pœnis grauiſſimis eius violatores punit, vt patet ex Canone *Sacerdos* de pœnitentia diſt. 1. Ex quo ſequitur, Sacerdotem violantem ſigillum confeſſionis, triplex peccatum committere; primum detractionis, infamando proximum; ſecundum infidelitatis, non ſeruando ſecretum; tertium ſacrilegij, faciendo contra reuerentiam & ſignificationem huius Sacramenti.

Adeò verò ſtricta eſt ſigilli confeſſionis obligatio, vt nequidem in periculo boni communis, aut in quacumque neceſſitate, vel ad vitandum quodcumque ſcandalum, liceat illud violare, vt dicitur in prædicto Canone. Ratio eſt primò, quia reuelatio ſecreti confeſſionis, non eſt medium ordinatum ad ſuccurrendum neceſſitatibus & periculis hominum. Secundò, quia quod eſt intrinſecè malum, nunquam poteſt aſſumi vt medium ad procurandum aliquod bonum, vel ad vitandum aliud malum; non enim ſunt facienda mala, vt eueniant bona, vel vt vitentur alia mala: violare autem ſigillum confeſſionis, eſt intrinſecè malum, tum quia eſt violatio iuris naturalis, præcipientis ſeruare ſecretum; tum etiam, quia eſt contra ſignificationem Sacramenti pœnitentiæ, hoc enim Sacramentum ſignificat remiſſionem peccatorum, quæ eſt tectio quædam & occultatio quam facit Deus de peccatis, iuxta illud Pſalmi 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Ergo violatio ſigil-

ſigilli confeſſionis nunquam poteſt eſſe licita, ſub prætextu alicuius boni procurandi, aut alicuius mali vel ſcandali vitandi. Tertiò quia ſi aliquando liceret ſigillum confeſſionis violare, totaliter deſtrueretur pœnitentiæ ſacramentum, quod eſt maximum bonum reipublicæ Chriſtianæ, quia illud redderetur odioſum, vt ſupra dicebamus.

Dices, Præceptum de integritate confeſſiónis non minus eſt de iure diuino, quam præceptum ſeruandi eius ſecretum, & tamen licitum eſt in pluribus caſibus facere confeſſionem non integram, vt conſtat ex dictis §. præcedenti: Ergo pariter licitum erit in aliquibus caſibus extraordinarijs reuelare ſecretum confeſſionis.

Reſpondeo non omnem integritatem confeſſionis eſſe de iure diuino, ſed illam duntaxat quæ eſt in potentia pœnitentis, vnde iſta ſemper obligat, nulluſq; poteſt aſſignari caſus in quo liceat pœnitenti non facere confeſſionem formaliter integram, licet plures adduci poſſint, in quibus non tenetur facere confeſſionem materialiter integram. Addo hoc eſſe diſcrimen inter præceptum confeſſionis, & præceptum non reuelandi ſecretum confeſſionis, quod primum eſt affirmatiuum, atque adeò licet obliget ſemper, nōn tamen pro ſemper, ſed poſſunt contingere caſus, in quibus ceſſat eius obligatio; ſecundum verò eſt negatiuum, ſubindeque obligat ſemper, & pro ſemper, ac in omni caſu, nullo prorſus excepto, cùm ea ſit natura præceptorum negatiuorum. Ex his.

Colligitur primò, non poſſe confeſſorem

ad

ad explicandum peccatum proprium in confeſſione, reuelare peccatum alterius in confeſſione auditum; quia præceptum ſigilli eſt arctius, quam præceptum de integritate confeſſionis; cùm ne quidem ad mortem vitandam liceat ſigillum confeſſionis violare, & à præcepto integritatis confeſſionis, multò minora damna & pericula excuſent.

Colligitur ſecundò, non licere ſacerdoti facere actionem aliquam, quæ ex natura ſua ſit expreſſiua peccati in confeſſione audici, quia hoc eſſet reuelare confeſſionem, non verbo, ſed facto: ei tamen licitum eſſe exercere omnes illas actiones, quæ de ſe ſunt indifferentes ad ſignificandum peccatum confeſſum aut non confeſſum, & poſſunt, etiam conſideratis omnibus circumſtantijs, fieri ex alijs motiuis. Vnde ſi Sacerdos ſciret per confeſſionem, paratum ſibi eſſe vinum toxicatum ad miſſam celebrandam, poſſet à celebratione abſtinere fingendo aliquam infirmitatem repentinam. Non poſſunt tamen Prælati vti cognitione per confeſſionem habita, ad externam gubernationem, hoc enim ſtrictiſſimè prohibuit Clemens VIII. decreto anno 1593. die 26. Maij edito.

Colligitur tertiò, illum qui reperit chartam, in qua ſcripta ſunt peccata pœnitentis nondum confeſſa, non obligari ad ſigillum, ſed duntaxat ad ſecretum naturale; quia talia peccata nondum Eccleſiæ clauibus ſubiecta ſunt. Quò fit vt ſi in ea charta contineatur aliquod facinus vergens in damnum reipublicæ, tenetur illud reuelare, cùm ſecretum naturale non obliget cum damno boni publi-

bli-

blici. Si tamen charta iam tradita fuiſſet confeſſario, & caſu è manibus eius dilapſa, tunc qui illam reperiret, ad ſigillum confeſſionis teneretur; quia in tali caſu peccata in ea contenta, fuiſſent confeſſario manifeſtata, ſubindeque ſubdita clauibus Eccleſiæ.

CAPVT VI.

De abſolutione Sacramentali.

CIrca abſolutionem Sacramentalem quatuor ſunt difficultates breuiter hic expediendæ. Prima eſt, vtrum omnia iſta verba: *Ego abſoluo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quæ à Florentino & Tridentino aſſignantur pro forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſint de eius eſſentia, an verò hæc ſola verba *abſoluo te*, ſint eſſentialia abſolutioni Sacramentali?

Reſpondeo hæc ſola verba *abſoluo te* ad eſſentiam & valorem abſolutionis Sacramentalis ſufficere. In primis enim ad illam non requiritur neceſſariò inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed illa relinquitur arbitrio Sacerdotis, vt ait D. Thomas ſupra qu. 84. art. 3. Vnde non eſt eadem ratio de forma huius Sacramenti, ac de forma Baptiſmi & Confirmationis, in qua neceſſaria eſt expreſſio Sanctiſſimæ Trinitatis, quia Baptiſmus inducit hominem ad fidem, cuius præcipuum myſterium eſt Trinitas, & Confirmatio roborat ad eius confeſſionem. Secundò quod non debeat neceſſa-

ceſſariò poni particula *omnibus* conſtat, tum quia non apponitur in Rituali Romano iuſſu Pauli V. edito, tum etiam quia pœnitens non poteſt abſolui ab vno peccato mortali, quin abſoluatur ab omnibus, & de venialibus ſæpè non fit abſolutio, cùm pœnitens de illis non pœniteat, nec pœnitere teneatur. Tertiò quod *ly à peccatis*, non ſit de eſſentia abſolutionis probatur, quia licet hæc verba *abſoluo te*, ex ſe indifferentia ſint ad ſignificandum abſolutionem à peccatis vel à cenſuris, cùm tamen in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ proferantur ſupra pœnitentem confitentem peccata ſua, habent ex illa circunſtantia quòd potiùs ſignificent abſolutionem à peccatis, quam à cenſuris. Demum quod per ſolum verbum *Abſoluo*, non exprimatur ſufficienter forma abſolutioni, ſed debeat addi particula *te*, ex eo conſtat quod in ea ſignificari & exprimi debeat, abſolutionem cadere ſupra talem pſonam deliquentem, accuſatam, conuictam, pœnitentem, & confeſſam talia ſingularia peccata. Vnde particula *te*, non minùs eſt de eſſentia in forma Sacramenti Pœnitentiæ, quam in forma Sacramenti Baptiſmi & Confirmationis. Relinquitur ergo quod forma abſolutionis eſſentialiter ſaluetur in illis verbis, *Abſoluo te*, ſuppreſſo pronomine *ego*, quòd in verbo primæ perſonæ, *abſoluo*, ſubintelligitur; illa enim ſufficienter ſignificant principalem effectum huius Sacramenti, qui eſt ſolutio à vinculis peccatorum.

Dices, Florentinum & Tridentinum, aſſignando formam huius Sacramenti, dicunt illam

Iam conſiſtere in his verbis: *Ego abſoluo te, &c.* Ergo cenſet aliqua ex verbis conſequentibus pertinere eſſentialiter ad formam abſolutionis ſacramentalis. Sed nego conſequentiam, ideò enim particulam &c. addiderunt, vel vt abſtraherent à controuerſijs Theologorum, qui putant alia etiam verba pertinere ad eſſentiam huius formæ; vel vt ſignificarent ſequentia non eſſe omittenda, quamuis non ſint eſſentialia. Et certè ſi exiſtimaſſent illa eſſe eſſentialia non omiſiſſent pauca hæc verba, *à peccatis tuis*, cùm integram formam Baptiſmi, etſi longiorem, expreſſerint.

Ex his intelliges, gratiam ſacramentalem remiſſiuam peccatorum produci in inſtanti extrinſecè terminatiuo horum verborum *abſoluo te*, cùm tunc completa ſit ſignificatio eſſentialis abſolutionis ſacramentalis, & ſacramenta tunc cauſent gratiam, quando eſt completa ſignificatio eſſentialis illorum. Sicut in ſententia illorum qui exiſtimant, hæc ſolùm verba, *hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe de eſſentia conſecrationis calicis, ſanguis Chriſti ponitur ſub ſpeciebus vini, in inſtanti extrinſecè terminatiuo illorum, & antequam verba ſequentia, *qui pro vobis & pro multis effundetur, &c.* à ſacerdote prolata fuerint.

Secunda difficultas eſt, an forma abſolutionis, deprecatoriè prolata, valida ſit? Reſpondeo negatiuè, contra Morinum & Launoyum; quia vt ait Tridentinum ſeſſ. 14. c. 6. abſolutio ſacramentalis eſt ad modum actus iudicialis quem ſacerdos exercet: Atqui ſententia iudicis deprecatoriè exprimi

non

non debet, ſed indicatiuè, vel imperatiuè, vt conſtat in iudicijs humanis: Ergo nec abſolutio ſacramentalis.

Confirmatur: Abſolutio eſt actus authoritatem habentis, deprecatio è contra eſt actus ſupplicantis, vnde qui ſupplicat oſtendit ſe poteſtatem abſoluendi non habere, ſed ab alio gratiam abſolutionis expetere: igitur forma deprecatiua pugnat cùm abſolutiua. Addo quod ſi foma abſolutionis deprecatoriè prolata, valida eſſet, pœnitens abſolueretur à peccatis, cùm ſacerdos verba iſta profert: *Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus*, cùm in illis fiat expreſſa deprecatio pro abſolutione & remiſſione peccatorum; & ſic Sacerdos per hæc verba, *Ego te abſoluo*, pœnitentem à peccatis verè non abſolueret, ſed ſolùm illum iam eſſe ab eis abſolutum declararet, quod apertè repugnat Tridentino ſeſſ. 14. can. 9. vbi ſic ait: *Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem ſacerdotis* (quam in illis verbis, *abſoluo te*, poſitam eſſe ibidem cap. 3. docet) *non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata, anathema ſit.*

Obiectiones Aduerſariorum leuiſſimæ ſunt: in primis enim verum non eſt quod opponunt, nimirum Græcos non niſi deprecatiuè abſoluere; hoc enim falſum eſſe conſtat ex Arcudio qui de formis abſoluendi Græcorum, accuratè & fusè diſputat lib. 4. de Sacramentis capit. 3. vbi nullam refert in qua non ſit aliqua propoſitio, quæ authoritatem ſen-

ſententiæ iudicialis præ ſe ferat, licet ante, & poſt orationes aliquas habeat adiunctas, quemadmodum habet forma conſueta Latinæ Eccleſiæ.

Non obeſt etiam id quod dicitur canone *Multiplex* de pœnit. diſt. 1. nempe *indulgentiam Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum obtineri non poſſe.* Hoc enim intelligendum eſt de precatione quæ præmittitur abſolutioni ſacramentali, vt interpretatur D. Thomas ſupra quæſt. 84. art. 3 ad 2. Pontifex enim Sacramentum pœnitentiæ *ſupplicationes* appellat, ab oratione deprecatiua quæ abſolutioni præmittitur. Neque enim nouum eſt, vt Sacramenta à ritibus accidentalibus nomina ſortiantur, vt patet in ipſo pœnitentiæ Sacramento, quod *manuum impoſitio* dicitur, quamuis hæc non ſit de neceſſitate huius Sacramenti.

Non valet etiam exemplum quod adducitur de Sacramento Extremæ-vnctionis, cuius forma eſt per modum deprecationis. Nam vt diſcurrit D. Thomas opuſc. 22. cap. 1. in hoc Sacramento, præter ſalutem animæ, petitur ſalus corporis; & quia non ſemper expedit, vt hæc conferatur, precatio adhibetur. In Sacramento verò pœnitentiæ & alijs confertur aliquid ſpirituale, quod ſemper expedit conferri; vnde non debet forma Sacramenti pœnitentiæ, nec aliorum ſacramentorum, excepta forma Extremæ-vnctionis, ad modum precationis exprimi.

Tertia difficultas affinis præcedenti eſt, an Sacerdos per hæc verba, *Ego te abſoluo*, verè pœnitentem abſoluat à culpa & reatu pœ-

nę

næ æternæ, vel ſolùm à peccatis abſolutum declaret? Reſpondeo illum verè abſoluere, & non ſolùm abſolutum declarare. Hoc enim expreſsè docet Tridentinum ſeſſ. 14. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti &c. anathema ſit.* Idem aſſerit D. Thomas opuſc. 22. cap. 1. & varijs Scripturæ teſtimonijs probat. Item Richardus à S. Victore lib. de poteſtate ligandi & ſoluendi cap. 21 hæc ſcribit: *Extat quorundam ſententia tam friuola, vt ridenda potiùs quam refellenda videatur; putant enim Sacerdotem non habere poteſtatem ſoluendi, ſed oſtendendi ſolutos. Sed nunquid Dominus dixit, quod ſolutum oſtenderitis, erit ſolutum? Dicunt ſacerdotes non habere poteſtatem remittendi peccata, cùm Dominus hoc dicat & dicunt habere poteſtatem oſtendendi remiſſa, cùm Dominus hoc non dicat.*

Ratio etiam ſuffragatur, ſacramenta enim nouæ legis efficiunt quod ſignificant: Atqui Sacramentum pœnitentiæ habet præcipuè ratione ſuæ formæ, quod ſignificet remiſſionem peccatorum: Ergo præcipuè ratione ſuæ formæ illam confert; ſubindeque Sacerdos per hæc verba, *Ego abſoluo te,* verè pœnitentem abſoluit à peccatis, & non ſolùm ab illis eſſe ſolutum declarat.

Confirmatur: Ideò Baptiſmus cauſat gratiam ablutiuam à ſordibus peccatorum, quia hæc verba, *Ego te baptizo*, illam ſignificant: Sed verba iſta, *Ego te abſoluo*, non minùs clarè gratiam remiſſiuam peccatorum deſignant.

Ergo pariter illam ſufficienter diſpoſitis conferunt.

Addo quod, ſi Sacerdotes nouæ legis non verè abſoluerent à peccatis, ſed ſolùm pœnitentem abſolutum declararent, non differrent à legalibus Sacerdotibus; iſti enim habebant poteſtatem diſcernendi lepram à non lepra, & declarandi utrùm verè eſſent vel non eſſent leproſi. Vnde Chryſoſtomus de ſacerdotio cap. 6. *Corporis lepram purgare, vel vt veriùs dicam, ne purgare quidem, ſed purgatam oſtendere, Iudæorum Sacerdotibus licebat. At verò noſtris Sacerdotibus, non corporis lepram, ſed animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.*

Nec obeſt quod D. Hieronymus ſuper illud Matth. *Tibi dabo claues regni cælorum*, Sacerdotes Euangelicos legalibus æquiparare videatur, in hoc quod ſicut illi non mundabant leproſos, ſed eos mundos eſſe iudicabant; ita Sacerdotes Euangelici non iuſtificant peccatores, nec eos mundant, ſed eos mundos eſſe oſtendunt. Ibi enim comparat Sacerdotes Euangelicos cum legalibus, in eo ſolùm quod ſicùt legales non poterant ſuo arbitrio diſcernere inter lepram & lepram, ſed ſolùm iuxta merita cauſæ; ita neque Sacerdotes Euangelici iudicare debent aut poſſunt de peccatis, iùxta ſuum beneplacitum, ita vt poſſint damnare innoxium, vel abſoluere prauum, ſed iuxta vniuſcuiuſque diſpoſitionem.

Non obeſt etiam quod Auguſtinus, Gregorius, & alij SS. Patres dicunt, Sacerdotes non ſoluere, niſi priùs à Deo viuificatum, ſicut nec ſoluerunt Apoſtoli Lazarum, niſi

priùs

priùs à Chriſto reſuſcitatum. Hoc enim, vt ait D. Thomas opuſculo citato cap. 2. intelligendum eſt non de perfecta viuificatione per gratiam ſanctificantem, ſed de imperfecta per gratiam excitantem, quæ inchoat vitam animæ per actum aliquem ſupernaturalem, ad quem mouet & excitat peccatorem, qui exit foras, ſicut Lazarus è ſepulchro; id eſt recedit à peccato per dolorem & deteſtationem quandam, & accedit ad Sacerdotem, vt ſe prodat per confeſſionem. Hanc interpretationem approbat D. Auguſtinus tract. 49. in Ioan. & alijs in locis.

Ex dictis colligitur, verum ſenſum horum verborum, *Ego abſoluo te à peccatis tuis*, hunc eſſe: Ego tibi confero gratiam, quantùm eſt de ſe, remiſſiuam peccati, ſeu ſolutiuam à vinculis peccatorum. Hæc enim forma ſic intellecta verificatur, non ſolùm quando pœnitens cum ſola attritione, & in ſtatu peccati mortalis, ad ſacramentum pœnitentiæ accedit; ſed etiam quando contritus & iuſtificatus illud ſuſcipit, vel quando de peccatis validè confeſſis & remiſſis abſoluitur; nam in his caſibus recipit gratiam, quantùm eſt de ſe remiſſiuam peccati, licet actu peccata non remittat; ſicut qui accipit per accidens primam gratiam in Euchariſtia, accipit illam per modum nutritiuæ, licet per accidens tunc primam vitam ſpiritualem animæ conferat.

Quarta difficultas eſt, an abſolutio dari poſſit ſcripto, vel abſenti? Reſpondeo negatiuè quoad vtramque partem. In primis enim quod abſolutio non poſſit dari ſcripto, videtur manifeſtum, tum quia ex Florentino &

Tridentino verba ſunt forma cuiuſlibet ſacramenti nouæ legis; à qua lege excipiunt ſolum ſacramentum matrimonij, in quo nutus & ſigna poſſunt ſupplere vicem verborum. Tum etiam quia cùm ſacramentum pœnitentiæ ſit inſtitutum per modum iudicij, debet ſententia abſolutionis ſicut in alijs iudicijs ſolemnibus, voce humana proferri.

Quod verò abſolutio non poſſit dari abſenti, conſtat ex verbis illis formæ, *Abſoluo te*, nam particula *te*, expreſsè ad perſonam præſentem dirigitur, iuxta Chriſti inſtitutionem; ſicut in Euchariſtia hæc verba, *hoc eſt corpus meum*, ad materiam præſentem diriguntur, vnde ſicut Sacerdos non poteſt conſecrare panem abſentem, ita nec pœnitentem abſentem abſoluere.

Sed quæres, an ſaltem confeſſio fieri poſſit Sacerdoti abſenti, per litteras, aut per internuntium? Reſpondeo negatiuè: dicitur enim in can. *Quem pœnitet* de pœnit. diſt. 1. ex libro de vera & falſa pœnitentia: *Præcepit Dominus mundandis, vt oſtenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata, non per nuntium non per ſe ſcriptum manifeſtanda*. Id etiam determinauit Clemens VIII. die 20. Iunij anno 1602. damnans hanc propoſitionem: *Licet per litteras aut per internuntium confeſſario abſenti confiteri ſacramentaliter & ab eodem abſente abſolutionem obtinere.* Quam damnationem, cùm duntaxat in ſenſu copulatiuo intelligendam eſſe; non diuiſiuè & ſeorſim, ac proinde de ſola abſolutione, non confeſſione, reſpondiſſet Suarez, Paulus V. anno 1605. die 14. Iulij

X de-

declarauit hanc interpretationem non poſſe ſubſiſtere, iuſſitque eam ex libris Suarez expungi, quod & duplici alio decreto poſtea confirmauit.

3 Nec valet quod aliqui dicunt, prædictam confeſſionem factam confeſſario abſenti damnari ab vtroque Pontifice, vt illicitam quidem, ſed non vt inualidam. Si enim confeſſio facta abſenti per epiſtolam aut internuntium valida eſſet, eſſet etiam licita in aliquo caſu vrgente, nimirum extrema neceſſitate ſalutis, quo tempore omnia media valida, ſunt licita, id exigente ſupremo periculo æternæ damnationis: vt ſi aliter moribundus ſalutem conſequi non valeat, quia nec Sacerdotem præſentem habere poteſt, nec probabiliter ſperet ſe contritionem habiturum. Vnde ſi validè quis poſſet confiteri abſenti, hoc non humana poteſtate, etiam Pontificia, prohiberi poſſet in tali caſu, cum diſpendio ſalutis æternæ. Cùm ergo Clemens VIII. ſtrictiſſimè, & ſub pœna excommunicationis ſibi reſeruatæ, opinionem illam quæ aſſerit licere abſenti per epiſtolam vel internuntium confiteri, quouis modo, aut in quocumque caſu, ad praxim deducere prohibeat, manifeſtum eſt illum cenſere, talem confeſſionem eſſe inualidam, & non ſolùm illicitam.

Obijcitur tamen difficilè argumentum, nam ſi moribundus mittat ad Sacerdotem, vel coram teſtibus dicat ſe optare confeſſarium, aut etiam ſolummodo det ſigna contritionis, poſtmodum ſi morbo oppreſſus, nec loqui ampliùs poſſit, nec vlla contritionis ſigna dare, Sacerdos ad eum accedens, poteſt

& debet eum abſoluere, vt habetur in rituali Pauli V. & hæc eſt praxis communis Eccleſiæ, & tamen tunc pœnitens non confitetur in præſentia Sacerdotis, ſed in eius abſentia antea confeſſus eſt: Ergo confeſſio fieri poteſt Sacerdoti abſenti.

Huic obiectioni dupliciter reſpondent Auctores: plures volunt requiri omnino, quod dum Sacerdos ad moribundum acceſſit, ſaltem adſtantes in præſentia vtriuſque teſtentur, pœnitentem aut voce aut nutibus confeſſarium petijſſe, & ſigna contritionis dediſſe: tunc enim (inquiunt) pœnitens confitetur coram Sacerdote, per illos adſtantes, quaſi per interpretes. Si verò Sacerdos ſolùm dum eſt in via, & abſens per internuntium audiat moribundum petijſſe confeſſarium, & nulli ſint præſentes qui hoc teſtari poſſint, non poteſt illum ſacramentaliter abſoluere. Id probant non ſolùm ex prædicto Clementis VIII. decreto, ſed etiam ex epiſtola 91. Leonis magni ad Theodorum, & ex Concilio Carthaginenſi 4. cap. 67 vbi dicitur, teſtimonium circumſtantium poſſe prodeſſe moribundo, vt abſoluatur à Sacerdote.

Alij exiſtimant, quod etſi Sacerdos aduenniens nullum habeat teſtimonium circunſtantium, ſi tamen audiuerit à nuntio, moribundum petijſſe confeſſarium, & ſigna contritionis dediſſe, poſſe & debere illum abſoluere. Sic enim (inquiunt) habetur in rituali Pauli V. vbi præſcribit Pontifex, vt pœnitens qui ante mortem confitendi deſiderium oſtenderit, ſiue per ſe, ſiue per alios, à Sacerdote adueniente abſoluatur. Ad decretum verò Clemen-

mentis VIII. reſpondent Pontificem in tali decreto non comprehendere caſum ſummæ neceſſitatis, ſed loqui de confeſſione quæ regulariter fit ab eo qui poteſt coram Sacerdote confiteri. Sicut enim per accidens valet confeſſio non integra, licet per ſe loquendo iure diuino integra eſſe debeat: ita per ſe loquendo, iure diuino debet fieri confeſſio coram ſacerdote; per accidens tamen, quando pœnitens loqui non poteſt, nec adeſt Sacerdos, ſufficit confeſſio coram teſtibus facta, nondum præſente Sacerdote.

Vtraque ſolutio probabilis eſt, prima tamen videtur probabilior, & conformior prædicto Clementis decreto, nec non Concilio Carthaginenſi citato quod requirit teſtimonium præſentium, vt moribundus à ſacerdote abſoluatur. Nec vrget id quod refertur ex rituali Pauli V. nam cùm præſcribit Pontifex, abſoluendum eſſe moribundum, qui ante mortem confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit: per ly *alios*, intelligi debent circunſtantes, non verò nuntij, qui hoc ſolùm Sacerdoti referunt, nec ſunt præſentes, quando ille peruenit ad infirmum; illi enim non poſſunt ſe habere tanquam infirmi interpretes, ſicut circunſtantes.

Cæterùm omni probabilitate caret ſententia Iacobi Baij, Baunij, Tamburini, Caramuelis, Theophili Reynaudi, & aliorum recentiorum Caſuiſtarum, qui docent poſſe abſolui moribundum, quamuis nullum exhibeat ſignum contritionis & deſiderij abſolutionis, & ſi vixerit piè, ſuæque ſalutis immemor non fuerit. Cùm enim ſacramentum pœnitentiæ

per modum iudicij inſtitutum ſit, non poteſt perfici ſine aliqua ſui accuſatione, quæ eſt pars eſſentialis illius, & ſine qua Sacerdos in foro pœnitentiæ iuridicè ſententiam ferre nequit.

Confirmatur ex decretis Conciliorum & Pontificum ſupra citatis, qui dum ſtatuunt dandam eſſe abſolutionem moribundo, ſemper expreſsè addunt, ſi per ſe vel per alios ſigna pœnitentiæ dederit. Imò Paulus V. in ſuo rituali ſic habet: *Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus, conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio, nec abſoluat eos, qui talis beneficij ſunt incapaces, quales ſunt qui nulla dant ſigna doloris.*

Quod verò aliqui obijciunt, Clementem VIII. dediſſe abſolutionem ſub conditione cuidam cadenti è fornice templi D. Petri, nullum danti ſignum doloris: Cardinalis Delugo, re bene examinata, dicit eſſe fabuloſum.

Non obeſt etiam quod Auguſtinus lib. de adulterinis coniugijs cap. 26. videatur fauere prædictæ ſententiæ, dicit enim: *Catechumenis ergo in huius vitæ vltimo conſtitutis, ſi morbo ſeu caſu aliquo ſic oppreſſi ſint, vt quamuis adhuc viuant, peterētamen ſibi baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint, proſit eis quorum in fide Chriſtiana iam nota voluntas eſt.* Et cap. 28 *Quæ autem baptiſmatis eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præocupauerit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet Mater Eccleſia.* Ad hoc enim reſpondetur, Auguſtinum ibi agere de adultero, qui fecit confeſſionem, & petit abſolu-

ſolutionem, cui dilata fuit. Sicut certum eſt ibi agere de Catechumeno adultero, qui petijt baptiſmum, cui fuit dilatum, Ait enim ibidem: *Ego non ſolùm alios Cathecumenos, verùm etiam ipſos, qui viuentium coniungijs copulati, retinent adulterina conſortia, cùm ſaluos corpore in his permanentes non admittamus ad baptiſmum, tamen ſi deſperati & intra ſe pænitentes iacuerint: nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto.*

CAPVT VII.

De ſatisfactione Sacramentali.

DVplex debetur Deo ſatisfactio pro peccato commiſſo, vna pro culpa, vt eſt offenſa Dei; reparatur enim iniuria perſonæ illata, per ſatisfactionem, non per reſtitutionem: altera pro pœna, non æterna, quæ ſimul cum culpa remittitur, ſed temporali, in quam pœna ęterna veluti commutatur à Deo, cùm culpa remittitur. Prima ſatisfactio fit per actum contritionis, altera autem fit per actus iniunctos à Sacerdote in ſacramento pœnitentiæ, vnde *ſacramentalis* appellatur, & definitur à Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8. *Actio per quam in ſacramento pænitentiæ retribuimus Deo compenſationem aliquam pro peccato, iuxta ſententiam Sacerdotis.*

Illam eſſe partem ſacramenti pœnitentiæ conſtat ex Florentino in decreto vnionis, & ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. idque ratio ſua-

det hoc enim ſacramentum, vt ſæpe diximus, eſt inſtitutum per modum iudicij: Sed omne iudicium conſtat ex accuſatione rei, ſententia iudicis, & eiuſdem rei punitione: Ergo ſatisfactio, quæ eſt pœnitentis punitio, eſt pars ſacramenti pœnitentiæ.

Non eſt tamen pars eius eſſentialis, ſed integralis, tum quia punitio rei non eſt de eſſentia, ſed tantùm de integritate iudicij, & veluti complementum eius extrinſecum. Tum etiam, quia ſatisfactio ſupponit ſacramentum iam perfectum & completum eſſentialiter, cùm ſupponat gratiam, quæ eſt effectus ſacramenti, productam. Addo quod, ſi ſatisfactio eſſet pars eſſentialis huius ſacramenti, ſequeretur quod moribundus, omni ſenſu deſtitutus, eſſet incapax ſacramenti pœnitentiæ, cùm nullam ſatisfactionem implere poſſit.

Illa triplicem habet effectum, nempe remiſſionem pœnæ temporalis, ex peccatis iam condonatis relictæ, auxilia quædam ſupernaturalia ad faciliùs præcauendum peccata in futurum, & augmentum gratiæ habitualis.

Duo primi effectus patent ex eo quod ſacramenta nouæ legis id efficiunt ex opere operato quod ſignificant: At ſatisfactio ſacramentalis ſignificat pœnæ ex peccatis condonatis relictæ remiſſionem, & maiorem in poſterum peccata præcauendi facilitatem, quæ ex auxilijs gratiæ prouenit: Ergo cauſat ex opere operato talem pœnæ remiſſionem, & auxilia illa ſupernaturalia ad faciliùs præcauenda peccata in futurum.

Tertius traditur expreſsè à D. Thoma 3. p. qu. 90. art. 2. ad 2. vbi ſic ait: *ſatisfactio con-*

fert

fert gratiam, prout eſt in propoſito, & auget eam, prout eſt in executione, ſicut baptiſmus in adultis. Ratio etiam id ſuadet, nam omnis pars ſacramenti concurrit ad ſignificandam gratiam ſanctificantem, ſubindeque ad eam cauſandam: Atqui ſatisfactio eſt pars ſacramenti pœnitentiæ: Ergo ſignificat & cauſat gratiam ſanctificantem, vnde cùm non poſſit producere primam gratiam, quia eam ſupponit per confeſſionem & abſolutionem productam, ſaltem eius augmentum ex opere operato cauſare debet. Neque obſtat quod ſatisfactio ſit tantùm pars integralis ſacramenti pœnitentiæ, ſicut enim confeſſio & abſolutio, ex eo quod ſint partes eſſentiales ſacramenti pœnitentiæ, producunt ex opere operato gratiam eſſentialem ſacramento pœnitentiæ; ſic ſatisfactio, ex eo quod ſit pars integralis, debet cauſare gradum perfectionis eiuſdem gratiæ quæ ipſam integret, ſubindeque augmentum illius.

Dices, ergo pœnitens qui in peccato mortali exequitur pœnitentiam iniunctam, peccat mortaliter, ponens obicem gratiæ ſanctificanti: Sed nego conſequentiam, quia licet ſatisfactio ſacramentalis nouum gradum gratiæ ex opere operato conferat, eo tamen ipſo quod talis gradus non ſit gratia eſſentialis ſacramenti pœnitentiæ, ſed tantùm eius complementum, & perfectio integralis, non peccat mortaliter qui tali gradui obicem ponit, ſed ſolùm qui ponit obicem gratiæ eſſentiali.

Ex his colligitur primò, teneri Sacerdotem, audita confeſſione, ſatisfactionem, quæ vulgò pœnitentia appellatur, pœnitenti iniungere,

gere, & pœnitentem illam acceptare & adimplere; quia tam confeſſarius, quam pœnitens, tenentur efficere ſacramentum pœnitentiæ integrum. Vnde falſum eſt quod aliqui dicunt poſſe confeſſorem & pœnitententem remittere ſolutionem pœnæ in aliam vitam; licet enim hoc abſolutè, & ſpectata lege naturæ, verùm ſit, non tamen in noua lege, & ſuppoſita inſtitutione ſacramenti pœnitentiæ, in quo datum eſt Sacerdotibus iudicium de peccatis, & pœnis pro illis ſubeundis, & præceptum pœnitentibus pœnas pro illis iniunctas ſubire.

Colligitur ſecundò, Sacerdotem teneri iniungere pœnitentiam aliquo modo proportionatam grauitati criminum & eorum multitudini, niſi rationabilis cauſa excuſet: quia ille in tribunali pœnitentiæ tria agit munera ſeu officia, non ſolùm enim eſt miniſter huius ſacramenti, ſed præterea iudicem & medicum agit. Inquantum miniſter, debet efficere ſacramentum integrum, ſubindeque aliquam iniungere pœnitenti ſatisfactionem, cùm ſatisfactio ſit pars integralis huius ſacramenti. Inquantum medicus, debet vulnera pœnitentis curare, ſubindeque ſalutarem, ac morbis animæ ſuæ ſanandis conuenientem pœnitentiam iniungere. Vt iudex, debet ſeruare æquitatem, ac proinde condignam & proportionatam grauitati & multitudini criminum iniungere pœnitentiam. Dixi *niſi rationabilis cauſa excuſet*, quia ex rationabili cauſa poteſt interdum confeſſarius leuiorem pœnitentiam iniungere, vt ſi pœnitens graui morbo ſit oppreſſus, ſi lucretur indulgentiam

ple-

plenariam, vel ſi ſit periculum quod à confeſſione deterreatur, aut pœnitentiam iniunctam non adimpleat. Vnde Gerſon in regul. moral. cap. de pœnitentia, dicit tutius eſſe cum parua pœnitentia, quæ ſponte ſuſcipitur, & veriſimiliùs adimplebitur, ducere confeſſos in purgatorium, quam cum magna, non implenda, præcipitare in infernum. Et Caietanus in ſumma, verbo, *ſatisfactio*, ait debiliter diſpoſito pœnitenti, dandam eſſe ſatisfactionem paruulam, vt paruulus ignis foueatur, appoſita palea, nec ſuffocetur, appoſitis lignis deſuper.

Colligitur tertiò, non poſſe vnum pro altero ſatisfacere, prout ſatisfactio eſt pars ſacramenti, bene tamen, vt eſt compenſatio pro pœna peccato alterius debita.

Prima pars patet, quia Concilia definiunt, actus pœnitentis eſſe partes materiales ſacramenti pœnitentiæ. Ergo actus ſatisfactorij ab alio eliciti, non ſunt apta materia huius ſacramenti.

Secunda pariter non eſt minùs certa, quia poteſt vnus pœnam ſuſtinere pro alio, vt ipſe à ſimili pœna liberetur. Vt enim in corpore naturali membra ſe inuicem iuuant, vnum pro alio laborat, bona denique vnius toti corpori ſunt communia. Ita & membra corporis moralis, cuiuſmodi ſunt omnes fideles, præſertim iuſti, qui vinculo charitatis vniuntur, ſibi inuicem communicant bona ſua, vt colligitur ex illo Pſalmi 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te*, ex articulo Symboli Apoſtolorum, *communionem ſanctorum*: At inter illa bona, quæ inuicem communicari

cari poſſunt, ex ſ. mſu Eccleſiæ, ſunt ſatisfactiones iuſtorum: ſic ſatisfactiones Chriſti applicantur nobis per ſacrificium, & per ſacramenta, ſatisfactiones quoque ſanctorum, per indulgentias: vnus ergo iuſtus poteſt ordinare ſuas ſatisfactiones vt alteri proſint. In quo ſenſu intelligunt S. Chryſoſtomus, Anſelmus, Theophylactus, & D. Thomas verba illa Apoſtoli ad Coloſſ. 1. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in corpore meo, pro corpore eius quod eſt Eccleſia.*

Quærunt hic aliqui, quæ conditiones ad ſatisfaciendum requiruntur? Sed reſolutio huius quæſtionis facile haberi poteſt ex dictis in tractatu de gratia; eædem enim conditiones requiruntur ad ſatisfaciendum pro pœna peccato mortali debita, quæ exiguntur ad promerendum de condigno vitam æternam; nempe ex parte ſatisfacientis ſtatus gratiæ, & viæ; & ex parte ipſius operis ſatisfactorij, quod ſit liberum, & bonum, ac ſupernaturale. Requiritur inſuper quod opus ſatisfactorium ſit laborioſum, & pœnale, in quo præcipuè actus ſatisfactorius diſtinguitur à meritorio, in quo vis merendi ſumitur præcipuè ex bonitate actus, non verò ex labore ſeu pœnalitate operis. Denique vt opus ſit ſatisfactorium, requiritur ex parte Dei acceptatio, ſeu voluntas remittendi reatum pœnæ, intuitu talis operis. Cùm enim pœnæ aſſumptæ in ſatisfactionem pœnæ temporalis peccatis remiſſis debitæ, multò leniores ſint, & alterius rationis à pœnis Purgatorij, iuſtà lege debitis, non tenetur Deus ex iuſtitia illas acceptare; præſertim, quia vt abſolutus dominus, pluribus

alijs

alijs titulis, opera noſtra ſatisfactoria poſſet exigere: vnde vt illa nobis proſint ad ſatiſfaciendum pro pœnis Purgatorij, requiritur diuina acceptatio, ſeu voluntas remittendi illas pœnas, intuitu talium operum.

Licet autem omnia opera, quæ habent prædictas conditiones, ſint ſatisfactoria; tria tamen recenſeri ſolent, quæ maximè ſatisfactoria ſunt, & ad quæ cætera omnia quodammodo reducuntur; nimirùm oratio, ieiunium, & eleemoſyna; quia ſatisfactio ad duo potiſſimum ordinatur, nempe ad recompenſationem offenſæ, & ad medicinam peccatorum: ad vtrumque autem ſunt aptiſſima tria illa operum genera. Ad primum quidem, quia cùm ſint in nobis tria genera bonorum, ſcilicet bona animæ, corporis, & fortunæ, per orationem ſubijcimus Deo bona animæ, quæ non tam nobis ſubtrahere debemus, cùm nos reddant Deo acceptos, quam ipſi ſubmittere: alia autem duo bonorum genera, quia interdum nobis noxia ſunt, à nobis ſubtrahere debemus; per eleemoſynam quidem bona fortunæ, per ieiunium verò, aliaſue macerationes, quæ iunij nomine comprehenduntur, bona corporis. Ad ſecundum verò, quia illa tria bonorum operum genera, tres peccatorum radices in nobis extirpant; oratio quidem, qua nos & omnia noſtra Deo ſubijcimus, comprimit ſuperbiam; ieiunium, concupiſcentiam carnis, & eleemoſyna, oculorum concupiſcentiam, ſeu auaritiam.

CA-

CAPVT VIII.

De Sacramento Extremæ-vnctionis.

DE hoc Sacramento conuenienter agimus, in fine huius tractatus, quia ex Tridentino, Sacramentum Extremæ-vnctionis eſt veluti complementum & conſummatio ſacramenti pœnitentiæ; nam ſicut iſtud peccata, ita illud peccatorum reliquias abſtergit. Quinque verò de hoc ſacramento breuiter hic declaranda ſunt, nimirum eius exiſtentia, eſſentia, effectus, ſubiectum, & miniſter.

§. I.

Exiſtentia & inſtitutio huius ſacramenti.

EXtremam-vnctionem, quæ ſolet in Eccleſia adhiberi infirmis de vita periclitantibus, verum eſſe nouæ legis ſacramentum, apertè colligitur ex ſcriptura Iacobi 5. vbi ſic habetur: *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittuntur ei.* Quibus verbis Iacobus manifeſtè deſcribit ritum huius ſacramenti, deſignando eius materiam, nempe vnctionem; formam, nempe orationem; miniſtrum, nempe Presbyterum; ſubiectum, nempe infirmum; & effectum, ſcilicet alleuiationem, id eſt confortatio-

tionem aduersùs difficultates tunc occurrentes, & remiſſionem peccatorum. Vnde ex hoc loco ſic licet arguere: ſignum ſenſibile, permanenter inſtitutum, cum promiſſione gratiæ per illud conferendæ, eſt verum ſacramentum: Sed Extrema-vnctio, prout vſurpatur in Eccleſia, tres illas conditiones habet: Ergo eſt verum ſacramentum. Maior patet, minor probatur ex prædictis verbis Iacobi, quibus primò declaratur, Extremam-vnctionem eſſe ſignum externum & ſenſibile, cùm dicitur, *Vngentes eum oleo in nomine Domini*. Secundò eius inſtitutio conſtans & permanens, quando abſolutè dicitur, *Infirmatur quis ex vobis?* quæ verba ſine temporis limitatione, Chriſtianis omnibus cuiuſcumque ſexus dicta eſſe, patet ex antecedentibus & conſequentibus, quæ non minùs ad nos ſpectant, quam ad eos qui tunc viuebant, neque vllum eſt indicium reſtrictionis ad ſolos præſentes. Tertiò promiſſio gratiæ, mediante illo ritu, ac ſigno ſenſibili & externo conferendæ, ibidem habetur, cùm ſubditur: *Si in peccatis eſt, remittentur ei*, peccata enim non remittuntur, niſi per infuſionem gratiæ. Vnde Innocentius I. epiſt. 1. ad Decentium expreſsè docet hanc vnctionem eſſe ſacramentum. Illius etiam meminere Origenes, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & ante illos Tertullianus lib. 1. contra Marcione, his verbis: *Nec aquam* (Chriſtus) *reprobauit, qua ſuos abluit; nec oleum, quo ſuos vnxit; nec mellis & lactis ſocietatem, qua ſuos infantat; nec panem, quo ipſum ſuum corpus repræſentat*, Quibus verbis Baptiſmi, Extræ vnctionis,

nis, & Euchariſtiæ mentionem facit.

Hoc ſacramentum fuit inſtitutum à Chriſto, & à D. Iacobo ſolùm promulgatum, vt declarat Tridentinum ſeſſ. 14 can. 1. Sed quandonam ab illo fuerit inſtitutum, certum non eſt, & circa illud varia ſunt Authorum placita. Quidam exiſtimant, Chriſtum illud inſtituiſſe Marci 6. quando Apoſtolos ad prædicandum miſit, cum poteſtate ſanandi infirmos per ſacram olei vnctionem. Alij dicunt, à Chriſto inſtitutum fuiſſe in nocte cœnæ, quando ordinauit Apoſtolos in Sacerdotes, qui ſoli ſunt huius ſacramenti miniſtri. Sed multò probabilius eſt, non fuiſſe hoc ſacramentum à Chriſto inſtitutum, ante ſuam reſurrectionem: Tum quia hoc ſacramentum ſupponit in miniſtro poteſtatem remittendi peccata, quam Chriſtus non contulit Apoſtolis, niſi poſt ſuam reſurrectionem, cùm nempe illis dixit Io. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Tum etiam, quia cùm ſacramentum Extremæ vnctionis, ſit completiuum & conſumatiuum ſacramenti pœnitentiæ; non fuit conueniens, quod ante iſtud inſtitueretur. Vnde probabilius eſt, vna cum Sacramento pœnitentiæ, & conſequenter ad illud, Sacramentum Extremæ-vnctionis, fuiſſe à Chriſto inſtitutum.

§. II.

§. II.

Materia & forma huius ſacramenti.

MAteria remota huius ſacramenti eſt oleum oliuarum, vt conſtat ex verbis illis Iacobi, *vnguentes eum oleo*, quod Florentinum dicit debere eſſe oleum oliuarum; quia oleum propriè & ſimpliciter dictum, quale eſt illud quod præſcribit Apoſtolus, ex vi vocis, & in communi modo loquendi, ſignificat ſolum oleum quod ex oliuarum baccis exprimitur, ſicut nomine vini, ſolum vinum vitigineum intelligitur.

Tale oleum debet eſſe ab Epiſcopo benedictum, vt docet idem Florentinum, & Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. Si verò quæras, an talis benedictio ſit eſſentialis, vel ſolùm accidentalis? Reſpondeo eſſentiale quidem eſſe huic Sacramento, vt oleum ſit aliquo modo benedictum ab Epiſcopo, cùm hoc expreſsè aſſerant Florentinum & Tridentinum, non requiri tamen ad huius Sacramenti eſſentiam, quod ſit benedictum ab Epiſcopo immediatè, ſed ſufficere quod ſit ab illo benedictum mediatè, id eſt per Sacerdotem, ex ipſius commiſſione. Græci enim, ex antiquiſſimâ conſuetudine, miniſtrant Sacramentum Extremæ-vnctionis, in oleo à ſimplici ſacerdote ex commiſſione Epiſcopi benedicto, teſte Arcudio lib. 5. de Sacram. cap. 2. Quam conſuetudinem Clemens VIII. approbauit, monens in inſtructione de ritibus Græcorum, quæ habetur tomo 3. Bullarij folio 47. non eſſe co-

gendos eorum Presbyteros, recipere oleum ab Epiſcopo benedictum; quia ex antiquiſſima conſuetudine Orientalis Eccleſiæ, poſſunt Presbyteri, de licentia & commiſſione Epiſcopi, benedicere oleum infirmorum.

Ex his ſequitur, materiam proximam huius ſacramenti eſſe vnctionem ex oleo ſupradicto: *Vnctio enim* (inquit Tridentinum loco citato) *aptiſſimè Spiritus Sancti gratiam, quæ inuiſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat.* Addo quod, materia proxima ſacramenti, eſt vſus ſeu applicatio materiæ remotæ: Sed oleum non aliter applicatur infirmo, quam per vnctionem: Ergo illa eſt materia proxima huius ſacramenti, ſicut ablutio ſacramenti Baptiſmi. Non eſt autem neceſſe, neceſſitate ſacramenti, quod vnctio fiat in figura crucis, ſicut in Confirmatione; quia non vngimur in hoc ſacramento, ſicut in Confirmatione, tanquam militem Chriſti, ad portandam & confitendam eius crucem coram tyrannis; ſed ſolùm tanquam infirmi, ad recuperandam ſanitatem.

Quinque verò ſenſuum vnctiones ſunt neceſſariæ eſſentialiter, vt docet D. Thomas hic qu. 32. art. 6. & conſtat ex communi ſenſu & praxi Eccleſiæ, vnctiones quinque ſenſuum vbique & conſtanter adhibentis, ac diligenter procurantis, vt ſi Sacerdos deficiat, priuſquam eos abſoluerit, alius vnctiones omiſſas ſuppleat, vt ſic curentur quinque fontes & radices omnium peccatorum.

Forma huius ſacramenti, ex Florentino & Tridentino, in verbis iſtis conſiſtit: *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſeri-*

cor-

cordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti peruiſum, & ſic de cæteris ſenſibus.
Ex quibus conſtat, formam huius ſacramenti eſſe deprecatiuam; an verò hoc illi competat eſſentialiter; ita vt iudicatiua non ſufficiat, difficultas eſt & controuerſia inter Theologos, alijs affirmantibus, alijs negantibus, hoc illi eſſe eſſentiale. Sententia tamen affirmans, multò videtur probabilior, & docetur expreſſè à D. Thoma hic qu. 29. art. 8. poteſtque ſuaderi triplici ratione, ſeu congruentia, quam ibidem aſſignat. Prima eſt, quia hoc ſacramentum confertur moribundis, qui cùm ſint viribus proprijs deſtituti, indigent orationibus. Secunda, quia hoc ſacramentum datur tantùm ijs qui ex foro huius Eccleſiæ commigraturi ſunt in forum alterius vitæ, & in ſola Dei manu ac miſericordia requieſcunt, ſubindeque commendandi ſunt Deo, in cuius forum tranſeunt, & diuina miſericordia, oratione pro ipſis imploranda eſt. Tertia, quia per hoc ſacramentum precamur infirmo aliquem effectum, quem non ſemper expedit illi conferri, vt eſt ſanitas corporis, vnde debuit deprecatiuè per hoc ſacramentum à Deo peti.

Dices, Eccleſia Mediolanenſis, & Veneta, vtebantur olim forma iſta indicatiua: *Vngo te oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vt more militis vncti præparatus ad certamen, aereas poſſis ſuperare poteſtates*: Ergo forma deprecatiua non eſt eſſentialis huic ſacramento.

Reſpondeo formam illam eſſe non iudicatiuam, ſed deprecatiuam, cùm enim dicitur,

Vt more militis vncti (Dei ſcilicet ope & beneficio) *aereas poſſis ſuperare poteſtates* , hoc intelligi debet optatiuè, quaſi diceretur: Vngo te oleo ſanctificante, optando vt ope diuina, poſſis aereas ſuperare poteſtates .

§. III.

Subiectum & miniſter huius ſacramenti .

SOli baptizati, adulti, & infirmi, ſunt capaces huius ſacramenti .

Primum patet ex eo quod baptiſmus ſit ianua ad reliqua ſacramenta . Secundum verò, quia hoc ſacramentum inſtitutum eſt ad tollendas reliquias peccatorum actualium , quæ non ſunt in infantibus. Vnde D. Thomas hic qu. 32. art. 4. ad 2. ait quod hoc ſacramentum *non datur contra reliquias peccati originalis, niſi ſecundùm quod ſunt per actualia peccata quodammodo confortata, vnde principaliter contra peccata actualia datur (vt ex ipſa forma patet) quæ non ſunt in pueris* . Ex hoc ſequitur contra Suarez , quod ſi daretur aliquis adultus, qui nunquam actualiter peccaſſet, neque ante, neque poſt baptiſmum , ſicut B. Virgo , eſſet incapax huius ſacramenti; cùm illud inſtitutum ſit per modum medicinæ ſpiritualis ſupponentis morbum, & vulnus peccati , & in eius forma dicatur : *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum &c.* Addo quod , ſacramentum Extremæ vnctionis, ex Tridentino , eſt completiuum & conſummatiuum ſacramenti pœnitentiæ , ſubindeque ſupponit ſubiectum capax illius: At ſi da-

daretur adultus, qui ſicut B. Virgo nunquam actualiter peccaſſet, neque ante, neque poſt ſuſceptionem baptiſmi, ille eſſet incapax ſacramenti pœnitentiæ, vt de B. Virgine communiter docent Theologi: Ergo & ſacramenti Extremæ-vnctionis.

Dices, non habens peccatum originale eſt capax recipiendi ſacramentum baptiſmatis, vt conſtat in B. Virgine, quæ fuit baptizata à Chriſto, licet piè credatur non contraxiſſe peccatum originale: Ergo ſimiliter, licet aliquis non peccaſſet actualiter ante vel poſt receptionem baptiſmi, nihilominus eſſet capax recipiendi ſacramentum Extremæ-vnctionis.

Reſpondeo, conceſſo Antecedente, negando conſequentiam & paritatem: Ratio diſcriminis eſt, quia baptiſma non ſolùm inſtitutum eſt in remedium peccati originalis, ſed etiam vt ſit ianua ad omnia alia ſacramenta; vnde ſi quis non haberet peccatum originale, deberet tamen baptizari, vt fieret membrum Chriſti & Eccleſiæ, eique aditus pateret ad alia ſacramenta, vt docet D. Thomas in 4. diſt. 6. qu. 1. art. 1. quæſtiunc. 3 his verbis: *Sanctificatus in vtero debet baptizari propter acquirendum characterem, quo annumeretur in populo Dei, & quaſi deputetur ad percipiendi diuina ſacramenta*. Sacramentum verò Extremæ-vnctionis non eſt ianua ad alia ſacramenta, ſed duntaxat remedium & medicina ſpiritualis contra peccatorum reliquias, vnde qui nullum peccatum commiſiſſet, eſſet incapax huius ſacramenti.

Denium quod ſoli infirmi ſint capaces Extremæ vnctionis, conſtat ex verbis Iacobi; *In-*

Infirmatur quis ex vobis? & ex ſenſu ac praxi Eccleſiæ, nec non ratione D. Thomæ hic quæſt. 32. artic. 1. vbi ſic diſcurrit: *Hoc sacramentum eſt quædam ſpiritualis curatio, quæ per quendam corporalis curationis modum ſignificatur, & ideo illis quibus corporalis curatio non competit, ſcilicet ſanis, non debet hoc ſacramentum conferri*. Imò nec infirmis omnibus adminiſtrari debet, ſed ijs ſolùm, qui ſecundùm prudentum iudicium, in morali vitæ periculo verſantur, quia vt ait idem Sanctus Doctor articulo ſequenti: *Hoc ſacramentum eſt vltimum remedium quod Eccleſia poteſt conferre, quaſi immediatè diſponens ad gloriam*.

Et ſi verò hoc ſacramentum non imprimat characterem, ſitque de numero eorum qui iterari poſſunt, non eſt tamen iterandum, niſi in diuerſis infirmitatibus, vel ſi in eadem, poſt valetudinem omnino recuperatam, poſtea per reincidentiam incurratur iterum mortis periculum, vt docet Tridentinum ſeſſ. 14. c. 3. de Extrema-vnctione.

Huius ſacramenti miniſter eſt ſolus Sacerdos, vt conſtat ex eodem Tridentino ibidem, & ex praxi Eccleſiæ, quæ nunquam huius ſacramenti adminiſtrationem alteri quam Sacerdoti commiſit. Ratio verò congrua eſſe poteſt, quia cùm Extrema-vnctio ſit pœnitentiæ conſummatiua & completiua, docet vt non ab alijs adminiſtrari poſſit, quam ab ijſdem quorum eſt miniſtrari ſacramentum pœnitentiæ, nempe ſacerdotibus, ſolus tamen paſtor, aut alius ex eius commiſſione, illud licitè confert. Excipe caſum neceſſitatis, in

quo

quo quilibet Sacerdos ex charitate tenetur illud conferre petenti, aut probabiliter eo indigenti.

§. IV.

Effectus huius ſacramenti.

EFfectus proprius & magis principalis extremæ vnctionis, non eſt remiſſio peccatorum mortalium ex inaduertentia in confeſſione omiſſorum, aut poſt illam & communionem infirmi commiſſorum, vt Bellarminus, Amicus, & alij ex Recentioribus exiſtimant. Ratio eſt, quia Extrema-unctio eſt ſacramentum viuorum, vt docent communiter Theologi, duo tantùm ſacramenta pro mortuis morte peccati aſſignantes, videlicet baptiſmum & pœnitentiam: Sed ſacramenta viuorum non cauſant per ſe primò primam gratiam ſeu remiſſionem peccatorum, ſed conſequenter tantùm & per accidens vt conſtat in Euchariſtia & Confirmatione: Ergo & Extrema-unctio. Vnde S. Thomas hic qu.30.art. 1. poſtquam dixit, quod homo per hoc ſacramentum roboratur contra debilitatem ex peccato relictam ſubdit: *Sed quia hoc robur gratia facit, quæ ſecum non compatitur peccatum, ideò ex conſequenti, ſi inuenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipſum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis ſicut etiam de Euchariſtia & Confirmatione ſupra dictum eſt.*

Confirmatur: Sacramentum Extremæ-unctionis ſe habet per modum ſpiritualis medi-

camenti : Sed ſacramentum inſtitutum per modum medicinæ ſpiritualis, non eſt per ſe primò inſtitutum ad remiſſionem peccati mortalis, ſeu ad tollendum illum defectum quo ſpiritualis vita amittitur ; quia ſicut medicamentum corporale vitam corporalem ſupponit, ita ſpirituale ſpiritualem : Ergo ſacramentum Extremæ- unctionis non eſt inſtitutum per ſe primò ad remiſſionem peccati mortalis, ſed ſecundariò tantùm, & per accidens, vt indicare videtur D. Iacobus, hac forma loquendi conditionali : *Si in peccatis eſt, remittentur ei* .

Remiſſio quoque venialium non eſt proprius ac primarius ſeu principalis huius ſacramenti effectus, vt alij exiſtimant ; quia vt diſcurrit D. Thomas 3. p qu. 65. art. 1. ad 3. *Ad deletionem venialis peccati, non requiritur infuſio gratiæ, vnde cùm in quolibet ſacramento nouæ legis gratia infundatur, nullum ſacramentum nouæ legis inſtituitur directè contra venialia* .

Effectus ergo primarius & proprius huius ſacramenti eſt augmentum gratiæ habitualis, habentis ius ſpeciale ad auxilia gratiæ actualis, quibus infirmus confortetur & roboretur contra languorem ad operandum bonum, partim ex peccatis præcedentibus, partim ex infirmitate relictum, & ad vincendum Dæmonis tentationes, in vltimo illo agone occurrentes.

Colligitur ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 2. vbi ait quod res & effectus huius Sacramenti, *Gratia eſt Spiritus Sancti, cuius vnctio delicta ſi qua ſint adhuc expianda, ac peccati re-*

li-

liquias abſtergit, & ægroti animam alleuiat & confirmat, magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua Infirmus ſubleuatus, & morbi incommoda & labores leuius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis faci ius reſiſtit, &c. Materia huius Sacramenti, nimirum vnctio olei, id rectè ſignificat, cùm vnctione olei membra infirmitate languentia, & nerui conſolidentur & roborentur, athletæ oleo vngantur, vt ad luctam & certamen ſe præparent.

Ratio quoque id ſuadet: Effectus enim proprius huius Sacramenti eſt tollere reliquias peccatorum: Sed per reliquias peccatorum nihil aliud intelligi poteſt, quam prædictus languor & debilitas ad operandum bonum, & reſiſtendum tentationibus Dæmonis, in vltimo illo agone occurrentibus: Ergo proprius effectus huius Sacramenti erit gratia roborans & confortans contra talem languorem. Minor probatur: per reliquias peccatorum non poſſunt intelligi peccata ab infirmo poſt confeſſionem & Viaticum commiſſa, vt exiſtimant Aduerſarij: Ergo ſolùm per illas prædictus languor intelligi debet. Conſequentia patet, vix enim aliud excogitari poteſt quod peccatorum reliquia dici poſſit: Antecedens verò ſic oſtenditur. Vt aliquid dicatur reliquia alterius, non ſufficit quod illi ſuccedat, ſed requiritur inſuper quod ſit pars vel effectus illius; nox enim v. g. ſuccedit diei, & dies nocti, & tamen nec nox poteſt dici reliquia diei, nec dies noctis; è contra verò partes ciborum quæ ex prandio remanent, dicuntur reliquiæ prandij; oſſa,

caput, & aliæ partes corporis Sanctorum, eorum reliquiæ vocantur; item languor, debilitas, macies, & pallor, quæ ex ægritudine relinquuntur, morbi reliquiæ appellantur, quia ſunt effectus illius: Sed peccata ab infirmo poſt confeſſionem & viaticum commiſſa, non ſe habent ad alia per confeſſionem per ſe remiſſa, vel per viaticum per accidens, vt partes ad totum, vel vt effectus ad cauſam, cùm ſæpe nullam cum illis habeant affinitatem vel connexionem, ſed ſint omnino diſparata, & ab alijs independentia: Ergo præcedentium peccatorum reliquiæ dici nequeunt, ſed potiùs noua & diſtincta peccata appellari debent.

Dices primò, reliquiæ debent eſſe eiuſdem rationis & ſpeciei cum ijs quorum ſunt reliquiæ, alioquin non tam dicuntur reliquiæ, quam excrementa; furfures enim v. g. ex farina relicti, non dicuntur propriè farinæ reliquiæ, ſed excrementum: At debilitas ſeu languor ad bene operandum, & reſiſtendum in articulo mortis tentationibus Dæmonum partim ex peccatis præcedentibus, partim ex infirmitate relictus, non eſt eiuſdem rationis & ſpeciei cum peccatis præcedentibus: Ergo talis languor & debilitas non poſſunt dici reliquiæ præcedentium peccatorum.

Reſpondeo negando maiorem, falſum enim eſt quod reliquiæ ſemper debeant eſſe eiuſdem rationis & ſpeciei cum ijs quorum ſunt reliquiæ; nam, vt ſupra dicebamus, languor, debilitas, pallor, & macies, quæ ex ægritudine relinquuntur, morbi reliquiæ propriè appellantur, & tamen non ſunt morbus, ſed

tan-

tantùm morbi effectus. Similiter concupiſcentia ſeu fomes peccati, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum, dicuntur peccati originalis reliquiæ, licet non ſint peccata, ſed duntaxat peccati originalis effectus. Idem cum proportione dicendum eſt de languore & debilitate ad bene operandum, in infirmo ex peccatis præcedentibus relicta.

Dices ſecundò: Illud eſt effectus Sacramenti primarius & per ſe, quod directè & expreſſè verbis formæ ſignificatur: Sed verba iſta formæ huius Sacramenti: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*, non ſignificant per ſe & directè ſpecialia auxilia quibus infirmus contra prædictum languorem, & Dæmonis tentationes roboretur, ſed remiſſionem peccatorum: Ergo hæc eſt effectus primarius & per ſe huius Sacramenti, non verò confortatio & robur contra prædictum languorem. Vnde Tridentinum ſupra relatum illam ante hanc recenſet, & in Proœmio doctrinæ de Sacramento Extremæ-unctionis, illud appellat *conſummatiuum pœnitentiæ*.

Reſpondeo primò, ſimile argumentum eſſe ab Aduerſarijs ſoluendum, cùm in forma Eccleſiæ Mediolanenſis, & Venetæ, nulla fiat mentio remiſſionis peccatorum, ſed tantùm prædicti roboris & confortationis, ſic enim in ea habetur: *Vngo te oleo ſanctificante, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, vt more militis vncti præparatus ad certamen, aereas poſſis ſuperare poteſtates*.

Reſpondeo ſecundò, negando minorem, nomine enim cauſæ nonnunquam ſignificatur effectus, eò quòd virtualiter ipſum continet.

Vnde ſicut ad Roman. 7. Apoſtolus fomitem ex peccato originali relictum, appellat peccatum, ita in forma huius Sacramenti, cùm dicitur, *Quidquid deliquiſti*, nomine delicti ſignificantur reliquiæ præcedentium peccatorum, ſiue debilitas & languor animæ circa exercitium virtutis, cauſatum præſertim ex delictis præcedentibus; & verbum optatiuum *indulgeat*, poſtulat non ſolùm indulgentiam & remiſſionem peccatorum, ſed etiam robur & confortationem contra debilitatem & languorem ex illis relictum.

Ad Tridentinum dicendum illud priùs inter effectus huius Sacramenti recenſere remiſſionem peccatorum, quam prædictam confortationem, quia priùs voluit referre effectum communem huic & alijs Sacramentis viuorum, qui eſt remittere per accidens peccata oblita vel ignorata inuincibiliter; quàm effectum ſibi proprium & ſpecialem; & appellaſſe Sacramentum Extremæ-unctionis *conſummatiuum pœnitentiæ*, quia tollit reliquias peccatorum, quæ remanent remiſſa culpa & pœna, per Sacramentum pœnitentiæ.

Præter duos effectus huius Sacramenti iam explicatos, quorum vnus conuenit ei per ſe, alter verò per accidens, tertius eſt minùs principalis & ſecundarius nempe alleuiatio quædam ægritudinis corporalis, & quandoque perfecta ſanitatis recuperatio. Vnde vnctio illa qua Apoſtoli Marci 6. corporaliter ſanabant infirmos, fuit figura & præambulum huius ſacramenti. Hic tamen effectus non confertur infallibiliter à Deo, ſed ſolùm

cùm iudicat recuperationem ſanitatis corporeæ ſaluti animæ expedire.

§. V.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

EX dictis colligitur primò, proprium eſſe huius Sacramenti vltimò diſponere hominem ad introitum gloriæ, cùm per auxilia iam explicata illum iuuet ad reſiſtendum tentationibus Dæmonum, & ad perſeuerandum in bono, quando mors imminet, roboretque ſpem, magnamque (vt ait Tridentinum) diuinæ miſericordiæ fiduciam excitet. Vnde ſicut Baptiſmus dicitur Sacramentum fidei, Euchariſtia Sacramentum amoris, ita extrema vnctio ſacramentum ſpei meritò appellari poteſt.

Colligitur ſecundò, Extremam-unctionem eſſe vnum vnitate atoma Sacramentum: Vnitas enim Sacramenti deſumi debet ex vnitate finis ad quem ex Chriſti inſtitutione ordinatur: Sed licet in Extrema-unctione ſint plures vnctiones partiales, & plures formæ partiales, illæ tamen ordinantur ad vnum finem, & ad vnum effectum, nempe ad tollendum omnes reliquias peccatorum, quæ ex ſenſibus oriuntur, & animam deprimunt: Ergo eſt vnum ſpecie atoma Sacramentum. Sicut Euchariſtia, etſi conſtet duabus ſpeciebus & formis partialibus, eſt tamen vnum ſpecie Sacramentum, quia hæc ordinantur ad vnum finem, nimirum ad vnam refectionem integram ſpiritualem.

Colligitur tertiò, quod ſicut in alijs Sacra-

mentis tria diſtingui debent, vnum quod eſt res tantùm, alterum quod eſt Sacramentum tantùm, & aliud quod eſt res & Sacramentum ſimul, ita & in iſto. Vnde in hoc Sacramento res tantùm eſt gratia, Sacramentum tantùm eſt ipſa externa vnctio, ſeu potiùs compoſitum ex vnctionibus & verbis: res & Sacramentum ſimul, ſpiritualis animi hilaritas, nam hæc & ſignificatur ab externo ſymbolo, & ſimul ſignificat vlteriorem animi ſanitatem, ad quam cauſandam hæc ſpiritualis animi hilaritas ordinatur. Neque obeſt quod etiam Euchariſtia cauſet deuotionem & hilaritatem in anima, cùm enim habeat rationem conuiuij, illam cauſat per modum refectionis & inebriationis ſpiritualis; hoc verò Sacramentum, cùm per modum medicinæ ſpiritualis inſtitutum ſit, eam cauſat per modum vnctionis ſpiritualis, potentias animæ lætificantis & roborantis contra Dæmonis tentationes, & languorem ſpiritualem, ex peccatis præcedentibus & præſentia morbi cauſatum, vt ſupra declarauimus.

Colligitur quartò, hoc Sacramentum ſic poſſe definiri ſeu deſcribi: Extrema vnctio eſt *ſignum ſacrum & efficax gratiæ, in vnctione infirmorum, ſub præſcripta verborum forma, ad ſanitatem mentis & corporis à Chriſto inſtituta.* Quæ definitio ſufficienter manet explicata ex ſupra dictis.

TRACTATVS VI.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

COnſideratis illis Sacramentis quæ perficiunt hominem in ordine ad ſe, ſupereſt vt de illis agamus quæ ipſum in ordine ad communitatem perficiunt; & primò de Sacramento Ordinis, per quod illi confertur poteſtas exercendi actus publicos & hierarchichos in Eccleſia, deinde Sacramento matrimonij, quo diſponitur ad propagationem corporalem, ſecundùm legem Dei & Chriſti.

CAPVT I.

De Ordine in communi.

CErtum de fide eſt, Ordinem, ſiue ordinationem, qua miniſtri Eccleſiæ initiantur & conſecrantur, eſſe verè & propriè

Sacramentum. Sic enim definitur in Florentino & Tridentino ſeſſ. 23. can. 3 & manifeſtè colligitur ex illo 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Quibus verbis ſignificatur, Timotheum fuiſſe ordinatum certo quodam ritu ſenſibili nempe manuum impoſitione, gratiæ collatiuo, adeoque à Chriſto inſtituto, & in Eccleſia permanente: Sed ad rationem Sacramenti hæc tria ſufficiunt, nempe quod ſit cæremonia ſenſibilis, quod ſit permanenter inſtituta, & quod in eius vſu & exercitio gratia infallibiliter conferatur: Ergo Ordo ſiue ordinatio, qua miniſtri Eccleſiæ initiantur, veram habet rationem Sacramenti. Hoc adeò manifeſtum eſt, vt Caluinus prædicto Apoſtoli teſtimonio conuictus, tandem coactus fuerit fateri Presbyteratum eſſe verum Sacramentum. Nam lib. 4. inſtit. cap. 19. nu. 28 hæc ſcribit: *Quantùm ad verum Presbyterij munus attinet, quod ore Chriſti nobis eſt commendatum, libenter eo loco habeo. Illic enim cæremonia eſt, primum ex Scripturis ſumpta; deinde quam non eſſe inanem, nec ſuperuacuam, ſed fidele ſpiritualis gratiæ ſymbolum, teſtatur Paulus.* Et nu. 31. ſubdit, id quod dixit duo tantùm eſſe Sacramenta, Baptiſmum & Euchariſtiam, intelligendum eſſe de Sacramentis quæ fidelibus omnibus ſunt communia. Vnde Caluiniſtæ Galli, qui art. 35. Confeſſionis ſuæ negant ordinationem eſſe verum Sacramentum non ſolùm ab Eccleſia, ſed ab ipſo etiam Caluino, Duce ſuo, & Anteſignano, apertè diſſentiunt. Contradicunt etiam SS. Patribus, præſertim Auguſtino,

ſtino, qui ordinationem eſſe Sacramentum manifeſtè docet lib. 2. contra Parmenian. cap. 13. vbi de Baptiſmo & ordinatione loquens ait: *Vt umque Sacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur; illud cum baptizatur, illud cùm ordinatur.* Et infrà: *Ipſi* (Donatiſtæ) *explicent quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti. Si enim vtrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud amittitur? cur illud non amittitur? neutri Sacramento facienda iniuria eſt.*

Ratio etiam ſuffragatur, cùm enim per ordinationem hominis fiant ſacrorum myſteriorum executores & miniſtri, conueniens fuit vt in ea acciperent gratiam, per quam fierent idonei ad tantum munus exercendum; Deus enim quando ad aliquod munus creaturam deſtinat, non ſola extrinſeca ordinatione, ſed intrinſeca virtute efficit illam ad tale munus exercendum aptam; vt conſtat in ordine naturali, in quo Deus per intrinſecas virtutes & inclinationes, rerum naturas adaptat ad fines ad quos deſtinat conſequendos.

Obijciunt Hæretici: Sacramentum per ſe ordinatur ad ſanctificationem ſuſcipientium. Sed ordo per ſe non ordinatur ad ſanctificationem ſuſcipientium, ſed potiùs ad ſanctificationem aliorum, cùm hominem perficiat in ordine ad communitatem: Ergo non eſt ſacramentum.

Sed ad hoc facilè reſpondetur, quod licet ordo non ordinetur per ſe primò ad ſanctificationem ſuſcipientis, bene tamen per ſe ſecundò, cùm digna Sacramentorum admini-

ſtratio eſſe non poſſit abſque gratia ſanctificante ipſum miniſtrum. Vnde Ambroſius de dignitate ſacerdotali loquens ait: *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam.* Et Florentinum in decreto Eugenij dicit effectum huius ſacramenti eſſe *augmentum gratiæ, vt quis ſit idoneus miniſter.* Quare illud ſic poteſt definiri ſeu deſcribi: Ordo ſeu ordinatio eſt *ſacra cæremonia, qua traditur poteſtas ſpiritualе aliquod miniſterium exercendi, ſimulque gratia ſanctificans ad illud ritè, & conuenienter obeundum.*

Sicut in alijs ſacramentis tria diſtingui ſolent, nempe id quod eſt ſacramentum tantùm, id quod eſt res tantùm, & id quod eſt res & ſacramentum ſimul: ita & in iſto hæc tria reperiuntur. Sacramentum tantùm eſt res externa, & ſenſibilis cæremonia, quæ in ordinatione adhibetur. Res tantùm eſt gratia ſanctificans, quæ per illam confertur. Res & ſacramentum ſimul, eſt character, qui per rem externam & ſenſibilem ſignificatur, & ſimul gratiam ſanctificantem ſignificat.

CAPVT II.

De ſingulis Ordinibus in particulari.

DEcens & conueniens fuit, plures dari Ordines in Eccleſia: Nam vt diſcurrit S. Thomas hic qu. 37. art. 1. *Ordinum multitudo eſt inducta in Eccleſiam propter tria. Primo quidem propter Dei ſapientiam commendandam,*

dam, quæ in diſtinctione rerum ordinata maximè relucet, tam in naturalibus, quam in ſpiritualibus; quod ſignificatur in hoc quod Regina Saba, videns ordinem miniſtrantium Salomoni, non habebat vltra ſpiritum, deficiens in admiratione ſapientiæ illius. Secundò, ad ſubueniendum humanæ infirmitati, quia per vnum non poterant omnia quæ ad diuina myſteria pertinebant, expleri, ſine magno grauamine, & ideò diſtinguitur Ordines diuerſi ad diuerſa officia. Tertiò, vt via perficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diuerſis officijs diſtribuuntur, vt omnes ſint Dei cooperatores, quo nihil eſt diuinius, vt Dionyſius dicit.

Congruum etiam & conueniens fuit, vt multitudo Ordinum in Eccleſia, ad numerum ſeptenarium reduceretur, nam vt ratiocinatur idem S. Doctor ibidem art. 2. Tot debent eſſe Ordines in Eccleſia, quot ſunt ſpecialia miniſteria exercenda circa illud quod omnium auguſtiſſimum eſt in ea, nimirum ſacramentum Euchariſtiæ: illa autem ſunt ſeptem, videlicet miniſterium ad Euchariſtiam conſecrandam, & hoc eſt Sacerdotum; miniſterium ad Euchariſtiam diſpenſandam, eiuſque materiam ſacerdoti proximè tradendam, & hoc eſt Diaconorum; miniſterium ad parandam materiam in vaſis ſacris, & hoc eſt Subdiaconorum; vel in vaſis non ſacris, eamque præſtandam Subdiacono, & hoc eſt Acolytorum; miniſterium ad arcendum eos qui neque ſunt etiam remotè, neque fieri volunt capaces ſuſcipiendi Euchariſtiam, ſcilicet infideles, & hoc eſt miniſterium Oſtiariorum;

rium: miniſterium ad inſtruendum eos qui volunt fieri capaces, quales ſunt Cathecumeni, & hoc eſt miniſterium Lectoris; denique miniſterium ad remouendum impedimentum quod aliqui etiam ſufficienter inſtructi, habent ex Dæmonis poteſtate, quales ſunt energumeni, & hoc eſt miniſterium Exorciſtarum.

Ex his Ordinibus, tres priores, nempe Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum, dicuntur maiores quia conſtituunt hominem in altiori gradu poteſtatis, & antonomaſticè ſacri, quia annexum habent continentiæ votum, quo ijs initiati ſpecialiùs & firmiùs Deo conſecrantur. Quatuor alij dicuntur minores, & non ſacri ob rationem contrariam.

De fide certum eſt, Ordinem ſacerdotalem eſſe verè & propriè ſacramentum, id enim à Tridentino ſeſſ. 23. can. 2. & cap. 1. definitum eſt, & ſequitur neceſſariò ex dictis capite præcedenti; ſi enim aliqua ordinatio Eccleſiaſtica ſit verè & propriè ſacramentum, cùm Ordo ſacerdotalis ſit omnium potiſſimus, & finis ad quem omnes alij inferiores referuntur, certum eſſe debet illud eſſe propriè ſacramentum. Idem de Diaconatu ſentiunt ferè omnes, excepto Durando, & Caietano, & conſtat ex eo quod Actuum 6. ab Apoſtolis collatus eſt per impoſitionem manuum, ſicut Presbyteratus, & apud Latinos confertur per hanc formam, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* quæ verba manifeſtè declarant, in ordinatione Diaconi gratiam Spiritus Sancti conferri, vt ait Anaſtaſius 11. in epiſt.

epiſt. 2. ad Anaſtaſium Imperatorem. Vnde Hieronymus contra Vigilantium cap. 1. Diaconatum expreſsè vocat *Sacramentum Chriſti*. Idem communiſſimè docent Theologi, licet minori cum certitudine, de ſubdiaconatu, cùm ille pariter cauſet gratiam ſanctificantem, vt conſtat ex Florentino in decreto Eugenij, vbi poſt aſſignatas materias, & formas, ac ordinarium miniſtrum Diaconatus, & Subdiaconatus, ſubiungit effectum huius ſacramenti eſſe augmentum gratiæ: Ergo cenſet, non ſolùm Diaconatum, ſed etiam Subdiaconatum, conferre gratiam ſanctificantem, & per conſequens eſſe ſacramentum. Id etiam de minoribus ordinibus videtur probabilius, tum quia illi imprimunt characterem, cùm initerabiles ſint, vt docet D. Thomas hic qu. 35. art. 2. Vnde Eccleſia omni ſollicitudine curat, vt illi qui per ſaltum, non præmiſſis minoribus Ordinibus, ad Ordinem Subdiaconatus promoti ſunt, illos ſuſcipiant, quod certè non præſtaret, ſi illi ordines non eſſent vera ſacramenta, à Chriſto inſtituta, & imprimentia characterem, ſed ſolùm quædam miniſteria, ſeu officia ab illa introducta. Tum etiam quia Florentinum, poſtquam dixit Ordinem eſſe ſacramentum, & eius materiam eſſe rem quæ traditur ab Epiſcopo in ordinatione, & formam, verba quibus res illa traditur, nominatimque id declarauit in Ordine ſacerdotali, & in Diaconatu, ac Subdiaconatu, ſubiungit, ſic etiam debere intelligi in reliquis Ordinibus; ac proinde cenſet, in illis etiam reperiri materiam & formam ſacramenti, & per conſequens, illos veram &

propriam ſacramenti rationem habere, ſicut & alios. Similiter Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 2. ait. *Ab ipſo Eccleſiæ initio, horum Ordinum nomina, & uniuſcuiuſque propria miniſteria fuiſſe cognoſcuntur*: Ergo cenſet illos non ab Eccleſia ſed ab ipſo Chriſto immediatè fuiſſe inſtitutos, ſubindeque eſſe vera ſacramenta, ſicut Diaconatum, & Subdiaconatum.

Dices primò, ſi Subdiaconatus eſſet ſacramentum, & Ordo à Chriſto inſtitutus, non poſſet ante illum ad Maiores Ordines, & ad ſupremum, qui eſt Epiſcopatus, aſcendi: Sed multi fuerunt ad Epiſcopatum euecti, non præmiſſo Subdiaconatu, vt referunt Petrus Arcudius lib. 9. de ſacram. cap. 9. & Ioannes Morinus Congregationis oratorij Presbyter, in libro de ſacris Eccleſiæ ordinationibus p. 3. exercitatione 11. cap. 2. Ergo Subdiaconatus non eſt ſacramentum, & multò minùs Ordines minores, illi inferiores.

Reſpondeo hoc argumentum probare, non ſolùm Subdiaconatum, ſed nec etiam ipſum Diaconatum, eſſe ſacramentum; cùm idem Morinus loco citato plura ex antiquorum teſtimonijs referat ſanctorum exempla, qui omiſſo Diaconatu, ad Presbyteratum, & Epiſcopatum promoti fuere in primitiua Eccleſia. Vnde dicendum eſt, ſi vera ſint illa exempla, Chriſtum diſpenſaſſe in primitiua Eccleſia, vt non præmiſſis Ordinibus inferioribus, & Subdiaconatu, poſſet fieri aſcenſus ad Maiores Ordines, & ad ſupremum, qui eſt Epiſcopatus, ob varias cauſas & neceſſitates tunc occurrentes. Vel hoc debet intelligi, non de omiſſione Ordinum inferiorum, quantùm

tùm ad receptionem characteris, ſed ſolùm quoad exercitium & miniſterium: interdum enim in primitiua Eccleſia aliqui viri ſancti, ad Sacerdotium, vel Epiſcopatum promouebantur, antequam minorum Ordinum, & Diaconatus, ac Subdiaconatus miniſteria & officia exercere potuiſſent, quia tunc aliquarum Eccleſiarum neceſſitas id exigebat.

Dices ſecundò, neque Apoſtoli, neque Patres ipſorum temporibus proximi, vllam Acolytatus mentionem fecerunt, neq; à Græcis hic Ordo admittitur: Ergo omnes Ordines Minores non ſunt ſacramenta à Chriſto inſtituta.

Reſpondeo negando Antecedens, Cornelius enim Papa in epiſtola ad Fabium Antiochenum meminit quadraginta duorum Acolytorum, qui ſuo tempore in Eccleſia Catholica erant. Et Hieronymus in primam ad Theſſalonicenſes, dicit epiſtolam illam fuiſſe miſſam per Oneum Acolytum. Alij verò Patres rarò illius Ordinis mentionem fecerunt, quia in primitiua Eccleſia, propter perſonarum paucitatem & penuriam, Officium Acolyti, à Diaconis vel Subdiaconis, altari miniſtrantibus, ſuppleri ſolebat. Idem dicendum de Eccleſia Græca, vt enim refert Arcudius lib. 6. de ſacram. cap. 9. officium Exorciſtæ apud Græcos exercetur à Sacerdotibus, Acolyti à Subdiacono, vel à Lectore, & Oſtiarij à Subdiacono.

Dices tertiò, ſi non ſolùm ſacerdotium, ſed etiam Diaconatus, & Subdiaconatus, nec non quatuor Minores Ordines, ſint ſacramenta à Chriſto inſtituta, non erunt tantùm

ſeptem

ſeptem ſacramenta, ſed tredecim. Sed nego ſequelam, licet enim quilibet ex ſeptem Ordinibus ſit ſacramentum, nihilominus quia omnes Ordines inferiores Sacerdotio, tendunt ad ipſum, vt ad principale miniſterium, & ad ritè ac conuenienter peragendam corporis Chriſti conſecrationem, vt ad finem ordinatur, ratione vnitatis ordinis quam inter ſe habent, & finis ad quem tendunt, vnicum Ordinis ſacramentem dici poſſunt. Sicut Tractatu præcedēti cap. vltimo diximus, Extremam vnctionem eſſe vnum vnitate atoma ſacramentum, quia licet in ea ſint plures vnctiones & formæ partiales, illæ tamen ordinantur ad vnum finem, & ad vnum effectum, nempe ad tollendum omnes reliquias peccatorum.

Quæres, an prima tonſura ſit Ordo & ſacramentum? Reſpondeo negatiuè cum Sancto Thoma hic q.40.art.2. vbi hanc rationem aſſignat: In omni Ordine veram ſacramenti rationem participante, aliqua ſpecialis & ſpiritualis poteſtas traditur ordinato: in prima verò tonſura, nulla talis poteſtas traditur, non enim per eam Clerici deputantur ad aliqua diuini cultus officia, quæ à Laicis exerceri non poſſint; ſed ſolùm ad diuinas laudes decantandas, ad quod ſpecialis poteſtas non requiritur: Ergo tonſura Clericalis non eſt Ordo, ſed diſpoſitio quædam & præparatio congruentiſſima ad Ordines. Huius autem cæremoniæ plures ſolent aſſignari rationes, præcipua eſt illa quam affert Iſidorus lib. 2. de diuinis officijs cap. 4. vbi ait ideò tonderi Clericos, vt intelligant debere ſe curas

ſuperfluas reſecare, quæ per crines, qui ſunt ſuperflua quædam capitis excrementa, ſignificantur. Quam etiam rationem innuit Gregorius in moralibus dicens: *Caput tondere, nihil aliud eſt, quam ſuperfluas cogitationes à mente reſecare*. Hæc verò tonſura circularis eſt, & in modum coronæ, quia, vt inquit S. Doctor qu. citata art. 1. corona eſt ſignum regni, & figura circularis ſymbolum perfectionis: illi autem qui diuinis miniſterijs applicantur, adipiſcuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute eſſe debent. Cui conſonat præclarum illud S. Antonini effatum: *ſeruire Deo, regnare eſt*.

Porrò tonſurati vocantur Clerici à vocabulo Græco Κλῆρος quod ſortem vel portionem ſignificat; quia nimirùm illi Deum prò ſua ſorte, vel portione elegerunt. Vnde can. *Clericus* 12. qu. 1. ſic habetur, *Clericus qui Chriſti ſeruit Eccleſiæ interpretetur primo vocabulum ſuum & nominis definitione prolata nitatur eſſe quod dicitur ſi enim Κλῆρος græcè, ſors Latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ſors, id eſt, pars Clericorum eſt. Qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exibere debet, vt & ipſe poſſideat Dominum & poſſideatur à Domino*.

CAPVT III.

De materia & forma eſſentiali Sacerdotij & Diaconatus.

NOn agimus hic de materia & forma Subdiaconatus, & ordinum minorum, quia de illis vna ferè eſt controuerſia inter Theologos, ſed ſolum de materia & forma eſſentiali Sacerdotij & Diaconatus, circa quas grauis ac celebris difficultas eſt, an ſcilicet manus impoſitio eſſentialiter ad illam requiratur, vel ſola inſtrumentorum traditio, cum forma verborum ipſi correſpondente, totam ordinationis Sacerdotum & Diaconorum eſſentiam conſtituat? Pro cuius reſolutione.

Dico ſola inſtrumentorum traditio, cum forma verborum correſpondente, conſtituit totam eſſentiam ordinationis Sacerdotum, & Diaconorum: impoſitio tamen manuum, non eſt cæremonia aliqua omnino accidentalis ordinationi Sacerdotali; ſed ad eius integritatem pertinet.

Prima pars probatur primò ex Florentino in decreto Eugenij, vbi ſic dicitur: *Ordinis materia eſt illud per cuius traditionem confertur ordo ſicut Presbyteratus traditur, per calicis cum vino, & patenæ cum pane, porrectionem*. Quibus verbis pro materia Presbyteratus aſſignat tantùm porrectionem calicis cum vino, & patenæ cum pane. Et paulò poſt, formam eius tradēs, ait. *Forma Sacerdotij talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*: Ergo cenſet manuum impoſitionem; nec totalem,

nec

nec partialem eſſe Presbyteratus materiam, nec aliam eſſe ejus formam, quam hæc verba, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*.

Secundò probatur eadem pars ratione. Character Sacerdotalis imprimitur ante manuum impoſitionem: Ergo illa non eſt de eſſentia ordinationis Sacerdotalis. Conſequentia patet, Antecedens probatur primò ex D. Thoma hic qu. 37 art. 5. vbi ſic concludit: *Ideò in ipſa datione calicis, ſub forma verborum determinata, character Sacerdotalis imprimitur*. Secundo probatur ratione: Epiſcopus profert porrigendo calicem hæc verba: *Accipe poteſtatem offerrendi ſacrificium &c.* quæ poteſtas eſt ipſe character Sacerdotalis: Ergo cùm verba illa debeant ſtatim eſſe vera, & habere effectum quem ſignificant, ante impoſitionem manuum, in ipſa traditione calicis, character Sacerdotalis imprimitur.

Confirmatur: Neomyſtæ, ſeù Sacerdotes nouiter ordinati, antequam manus ipſis imponantur, cum illis verbis, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* ſimul cum Epiſcopo proferunt verba conſecrationis: Sed hoc non permitteretur niſi iam haberent poteſtatem ad conſecrandum corpus & ſanguinem Chriſti, ſubindeque characterem Sacerdotalem, qui nihil aliud eſt, quam talis poteſtas: Ergo ante impoſitionem manuum, cum illis verbis, *Accipe Spiritum Sanctum*, Sacerdotes recenter ordinati, habent characterem Sacerdotalem.

Secunda pars concluſionis, quæ aſſerit impoſitionem manuum non eſſe de eſſentia

ordinis Diaconatus, probatur primò ex Florentino in decreto Eugenij, vbi poſt verba illa ſupra relata: *Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem*, ſtatim ſubdit: *Diaconatus per libri Euangeliorum dationem*, nullam prorſus mentionem faciendo de manuum impoſitione: Ergo cenſet impoſitionem manuum non eſſe de eſſentia ordinis Diaconatus. Ratio etiam id ſuadet, nam ille tantùm ritus eſt de eſſentia ordinationis Diaconi, per quem miniſterium ipſi peculiare ſignificatur: Sed per manuum impoſitionem, & verba illa correſpondentia, nullum miniſterium Diacono peculiare ſignificatur; non quidem per manuum impoſitionem, vt conſtat, neque per verba illa ipſi correſpondentia: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo & tentationibus eius*, vtpote quæ ſunt generalia, & cuilibet ordinationi poſſunt conuenire: Ergo impoſitio manuum, & verba illi correſpondentia, non ſunt de eſſentia ordinationis Diaconi.

Tertia demum pars concluſionis, aſſerens impoſitionem manuum, non eſſe cæremoniam aliquam omnino accidentalem ordinationi ſacerdotali, ſed ad eius integritatem pertinere, ſic oſtenditur. Poſſe à peccatis abſoluere pertinet ad integritatem Sacerdotij: Sed per impoſitionem manuum quæ fit ab Epiſcopo in fine Miſſæ, hæc verba proferente: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis*, Sacerdos accipit poteſtatem remittendi peccata cùm talis poteſtas per hæc verba ſignificetur: Ergo talis

lis impoſitio manuum pertinet ad integritatem ordinationis ſacerdotalis. Minor conſtat, Maior etiam videtur certa; Sacerdotium enim ex diuerſis conſtat officijs, ſicut corpus integratur ex pluribus membris, videlicet ex officio ſacrificandi, & ex officio abſoluendi à peccatis; quorum primùm eſt præcipuum, ſubindeque cùm datur poteſtas illud exercendi, character Sacerdotalis imprimitur, vt in prima parte concluſionis oſtendimus; ſecundum verò eſt minùs principale; vnde cum datur Sacerdoti poteſtas abſoluendi à peccatis, non imprimitur character, ſed characteri iam impreſſo modus aliquis maioris perfectionis & extenſionis ſuperadditur, vt tractatus præcedenti capit. 5. §. 2. declarauimus.

Obijcies primò contra primam & ſecundam partem concluſionis. Materia Sacerdotij & Diaconatus, non eſt nunc diuerſa ab ea quæ fuit olim initio Eccleſiæ, & quæ modò eſt apud Græcos; alioquin tales Ordines nunc eſſent ſpecie diuerſi ab illis qui tempore Apoſtolorum conferebantur, & qui modò in Eccleſia Græca conferunt: Sed tempore Apoſtolorum, & initio Eccleſiæ, Sacerdotes & Diaconi ordinabantur per ſolam manuum impoſitionem, vt conſtat actuum 14. & 2. ad Timoth. 1. quem ritum Eccleſia Græca hucuſque ſeruauit, vt fusè declarat Arcudius lib. 6. de Sacram. cap. 2. ex nouis & veteribus Euchologijs: Ergo ſola manuum impoſitio eſt materia Sacerdotij & Diaconatus, non verò exhibitio inſtrumentorum, ſeu conctatus calicis, vel libri Euangeliorum.

Re-

Reſpondeo materiam Sacerdotij & Diaconatus apud Latinos eſſe quidem materialiter & entitatiuè diuerſam ab ea quæ modò eſt apud Græcos, & olim fuit initio Eccleſiæ, ſed non formaliter & ſignificatiuè; quia nimirum Chriſtus non determinauit in ſpecie materiam & formam ſacramenti Ordinis, ſed genericè tantùm inſtituit, vt loco materiæ adhiberetur ſignum aliquod ſenſibile ſignificatiuum poteſtatis quæ traditur, & loco formæ adhiberentur verba eandem poteſtatem ſufficienter exprimentia. Hoc autem reperitur in vtraque Eccleſia Latina & Græca, vnde vtraque ſeruat omnia eſſentialia à Chriſto inſtituta, quamuis determinatio ſigni ſenſibilis & materialis, prædictam poteſtatem ſignificantis, diuerſa ſit apud Græcos & Latinos, imò & in ipſa Eccleſia Latina, pro diuerſis temporibus, tempore ſcilicet Apoſtolorum, & nunc. Vnde Sacerdotium & Diaconatus, collati tempore Apoſtolorum, vel quæ modò conferuntur in Eccleſia Græca, non differunt eſſentialiter à noſtro, ſed tantùm accidentaliter; quia licet habeant diuerſas materias & formas, illa tamen diuerſitas non eſt formalis, ſed tantùm materialis, eò quòd illæ ordinentur ad eũdem effectum ſignificandum & cauſandum, & vnitas vel diuerſitas ſigni, ex vnitate vel diuerſitate ſpecifica rei ſignificatæ ſumatur.

Hæc ſolutio & doctrina duplici exemplo declarari & illuſtrari poteſt. Nam olim in Sacramento legis naturæ pro paruulis inſtituto, ad delendum peccatum originale, nulla ſuit certa materia in ſpecie à Deo determina-

ta,

ta, ſed tantùm in genere, ſub ratione ſigni ſenſibilis, diuini cultus & religionis proteſtatiui. Item in noua lege in matrimonij ſacramento, ſigna quidem determinata ſunt à Chriſto, ſecundùm ſuam rationem formalem, ſeu ſignificationem, quatenus voluit determinatè eſſe talia, quod rem certam, nimirum mutuum contrahentium conſenſum, ſignificarent, ſed non in particulari, & ſecundùm rationem materialem; ſub hac enim ratione reliquit ea communi vſui & voluntati contrahentium. Idem cum proportione dicendum eſt de Sacramento Ordinis, nempe Chriſtum inſtituiſſe & determinaſſe eius materiam, ſecundùm rationem formalem, qua ſcilicet determinatè ſignificetur hic & nunc ordinato tribui certam poteſtatem Eccleſiaſticam, non tamen ſecundùm rationem materialem, ſed reliquiſſe poteſtati Eccleſiæ, per traditionem huius vel illius rei, huius poteſtatis collationem ſignificare.

Obijcies ſecundò: Illud quod eſt ſenſibile & cauſatiuum gratiæ, pertinet eſſentialiter ad rationem ſacramenti: Sed manuum impoſitio in ordinatione Sacerdotum eſt ſignum ſenſibile & effectiuum alicuius gratiæ, vt docet D. Thomas hic quæſt 37. art. 5. & conſtat ex verbis illis D. Ambroſij quæ ſupra retulimus: *Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam*: Ergo impoſitio manuum in ordinatione Sacerdotum, pertinet eſſentialiter ad rationem Sacramenti.

Reſpondeo Maiorem non eſſe vniuerſaliter veram; ſatisfactio enim in Sacramento Pœnitentiæ eſt aliquid ſenſibile & cauſatiuum

ſeptem ſacramenta, ſed tredecim . Sed nego ſequelam, licet enim quilibet ex ſeptem Ordinibus ſit ſacramentum, nihilominus quia omnes Ordines inferiores Sacerdotio, tendunt ad ipſum, vt ad principale miniſterium, & ad ritè ac conuenienter peragendam corporis Chriſti conſecrationem, vt ad finem ordinatur, ratione vnitatis ordinis quam inter ſe habent, & finis ad quem tendunt, vnicum Ordinis ſacramentem dici poſſunt. Sicut Tractatu præcedēti cap. vltimo diximus, Extremam vnctionem eſſe vnum vnitate atoma ſacramentum, quia licet in ea ſint plures vnctiones & formæ partiales, illæ tamen ordinantur ad vnum finem, & ad vnum effectum, nempe ad tollendum omnes reliquias peccatorum.

Quæres, an prima tonſura ſit Ordo & ſacramentum? Reſpondeo negatiuè cum Sancto Thoma hic q.40.art.2. vbi hanc rationem aſſignat: In omni Ordine veram ſacramenti rationem participante, aliqua ſpecialis & ſpiritualis poteſtas traditur ordinato: in prima verò tonſura, nulla talis poteſtas traditur, non enim per eam Clerici deputantur ad aliqua diuini cultus officia, quæ à Laicis exerceri non poſſint, ſed ſolùm ad diuinas laudes decantandas, ad quod ſpecialis poteſtas non requiritur: Ergo tonſura Clericalis non eſt Ordo, ſed diſpoſitio quædam & præparatio congruentiſſima ad Ordines. Huius autem cæremoniæ plures ſolent aſſignari rationes, præcipua eſt illa quam affert Iſidorus lib. 2. de diuinis officijs cap 4. vbi ait ideò tonderi Clericos, vt intelligant debere ſe curas

ſuperfluas reſecare, quæ per crines, qui ſunt ſuperflua quædam capitis excrementa, ſignificantur. Quam etiam rationem innuit Gregorius in moralibus dicens: *Caput tondere, nihil aliud eſt, quam ſuperfluas cogitationes à mente reſecare*. Hæc vero tonſura circularis eſt, & in modum coronæ, quia, vt inquit S. Doctor qu. citata art. 1. corona eſt ſignum regni, & figura circularis ſymbolum perfectionis: illi autem qui diuinis miniſterijs applicantur, adipiſcuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute eſſe debent. Cui conſonat præclarum illud S. Antonini effatum: *ſeruire Deo, regnare eſt*.

Porrò tonſurati vocantur Clerici à vocabulo Græco Κλῆρος quod ſortem vel portionem ſignificat; quia nimirùm illi Deum prò ſua ſorte, vel portione elegerunt. Vnde can. *Clericus* 12. qu. 1. ſic habetur, *Clericus qui Chriſti ſeruit Eccleſiæ interpretetur primo vocabulum ſuum & nominis definitione prolata nitatur eſſe quod dicitur ſi enim* Κλῆρος *græcè, ſors Latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ſors, id eſt, pars Clericorum eſt. Qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exibere debet, vt & ipſe poſſideat Dominum & poſſideatur à Domino.*

CA-

CAPVT III.

De materia & forma eſſentiali Sacerdotij & Diaconatus.

NOn agimus hic de materia & forma Subdiaconatus, & ordinum minorum, quia de illis vna ferè eſt controuerſia inter Theologos, ſed ſolum de materia & forma eſſentiali Sacerdotij & Diaconatus, circa quas grauis ac celebris difficultas eſt, an ſcilicet manus impoſitio eſſentialiter ad illam requiratur, vel ſola inſtrumentorum traditio, cum forma verborum ipſi correſpondente, totam ordinationis Sacerdotum & Diaconorum eſſentiam conſtituat? Pro cuius reſolutione.

Dico ſola inſtrumentorum traditio, cum forma verborum correſpondente, conſtituit totam eſſentiam ordinationis Sacerdotum, & Diaconorum: impoſitio tamen manuum, non eſt cæremonia aliqua omnino accidentalis ordinationi Sacerdotali; ſed ad eius integritatem pertinet.

Prima pars probatur primò ex Florentino in decreto Eugenij, vbi ſic dicitur: *Ordinis materia eſt illud per cuius traditionem confertur ordo ſicut Presbyteratus traditur, per calicis cum vino, & patenæ cum pane, porrectionem.* Quibus verbis pro materia Presbyteratus aſſignat tantùm porrectionem calicis cum vino, & patenæ cum pane. Et paulò poſt, formam eius tradēs, ait. *Forma Sacerdotij talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium:* Ergo cenſet manuum impoſitionem; nec totalem, nec

nec partialem eſſe Presbyteratus materiam; nec aliam eſſe ejus formam, quam hæc verba, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*.

Secundò probatur eadem pars ratione. Character Sacerdotalis imprimitur ante manuum impoſitionem: Ergo illa non eſt de eſſentia ordinationis Sacerdotalis. Conſequentia patet, Antecedens probatur primò ex D. Thoma hic qu. 37 art. 5. vbi ſic concludit: *Ideò in ipſa datione calicis, ſub forma verborum determinata, character Sacerdotalis imprimitur*. Secundo probatur ratione: Epiſcopus profert porrigendo calicem hæc verba: *Accipe poteſtatem offerrendi ſacrificium &c.* quæ poteſtas eſt ipſe character Sacerdotalis: Ergo cùm verba illa debeant ſtatim eſſe vera, & habere effectum quem ſignificant, ante impoſitionem manuum, in ipſa traditione calicis, character Sacerdotalis imprimitur.

Confirmatur: Neomyſtæ, ſeu Sacerdotes nouiter ordinati, antequam manus ipſis imponantur, cum illis verbis, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* ſimul cum Epiſcopo proferunt verba conſecrationis: Sed hoc non permitteretur niſi iam haberent poteſtatem ad conſecrandum corpus & ſanguinem Chriſti, ſubindeque characterem Sacerdotalem, qui nihil aliud eſt, quam talis poteſtas: Ergo ante impoſitionem manuum, cum illis verbis, *Accipe Spiritum Sanctum*, Sacerdotes recenter ordinati, habent characterem Sacerdotalem.

Secunda pars concluſionis, quæ aſſerit impoſitionem manuum non eſſe de eſſentia

ordinis Diaconatus, probatur primò ex Florentino in decreto Eugenij, vbi poſt verba illa ſupra relata: *Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem*, ſtatim ſubdit: *Diaconatus per libri Euangeliorum dationem*, nullam prorſus mentionem faciendo de manuum impoſitione: Ergo cenſet impoſitionem manuum non eſſe de eſſentia ordinis Diaconatus. Ratio etiam id ſuadet, nam ille tantùm ritus eſt de eſſentia ordinationis Diaconi, per quem miniſterium ipſi peculiare ſignificatur: Sed per manuum impoſitionem, & verba illa correſpondentia, nullum miniſterium Diacono peculiare ſignificatur; non quidem per manuum impoſitionem, vt conſtat, neque per verba illa ipſi correſpondentia: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo & tentationibus eius*, vtpote quæ ſunt generalia, & cuilibet ordinationi poſſunt conuenire: Ergo impoſitio manuum, & verba illi correſpondentia, non ſunt de eſſentia ordinationis Diaconi.

Tertia demum pars concluſionis, aſſerens impoſitionem manuum, non eſſe cæremoniam aliquam omnino accidentalem ordinationi ſacerdotali, ſed ad eius integritatem pertinere, ſic oſtenditur. Poſſe à peccatis abſoluere pertinet ad integritatem Sacerdotij: Sed per impoſitionem manuum quæ fit ab Epiſcopo in fine Miſſæ, hæc verba proferente: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis*, Sacerdos accipit poteſtatem remittendi peccata cùm talis poteſtas per hæc verba ſignificetur: Ergo ta-

lis impoſitio manuum pertinet ad integritatem ordinationis ſacerdotalis. Minor conſtat, Maior etiam videtur certa; Sacerdotium enim ex diuerſis conſtat officijs, ſicut corpus integratur ex pluribus membris, videlicet ex officio ſacrificandi, & ex officio abſoluendi à peccatis; quorum primùm eſt præcipuum, ſubindeque cùm datur poteſtas illud exercendi, character Sacerdotalis imprimitur, vt in prima parte concluſionis oſtendimus; ſecundum verò eſt minùs principale; vnde cum datur Sacerdoti poteſtas abſoluendi à peccatis, non imprimitur character, ſed characteri iam impreſſo modus aliquis maioris perfectionis & extenſionis ſuperadditur, vt tractatus præcedenti capit. 5. §. 2. declarauimus.

Obijcies primò contra primam & ſecundam partem concluſionis. Materia Sacerdotij & Diaconatus, non eſt nunc diuerſa ab ea quæ fuit olim initio Eccleſiæ, & quæ modò eſt apud Græcos; alioquin tales Ordines nunc eſſent ſpecie diuerſi ab illis qui tempore Apoſtolorum conferebantur, & qui modò in Eccleſia Græca conferunt: Sed tempore Apoſtolorum, & initio Eccleſiæ, Sacerdotes & Diaconi ordinabantur per ſolam manuum impoſitionem, vt conſtat actuum 14. & 2. ad Timoth. 1. quem ritum Eccleſia Græca hucuſque ſeruauit, vt fusè declarat Arcudius lib. 6. de Sacram. cap. 2. ex nouis & veteribus Euchologijs: Ergo ſola manuum impoſitio eſt materia Sacerdotij & Diaconatus, non verò exhibitio inſtrumentorum, ſeu conctatus calicis, vel libri Euangeliorum.

Re-

ta, ſed tantùm in genere, ſub ratione ſigni ſenſibilis, diuini cultus & religionis proteſtatiui. Item in noua lege in matrimonij ſacramento, ſigna quidem determinata ſunt à Chriſto, ſecundùm ſuam rationem formalem, ſeu ſignificationem, quatenus voluit determinatè eſſe talia, quod rem certam, nimirum mutùum contrahentium conſenſum, ſignificarent, ſed non in particulari, & ſecundùm rationem materialem; ſub hac enim ratione reliquit ea communi vſui & voluntati contrahentium. Idem cum proportione dicendum eſt de Sacramento Ordinis, nempe Chriſtum inſtituiſſe & determinaſſe eius materiam, ſecundùm rationem formalem, qua ſcilicet determinatè ſignificetur hic & nunc ordinato tribui certam poteſtatem Eccleſiaſticam, non tamen ſecundùm rationem materialem, ſed reliquiſſe poteſtati Eccleſiæ, per traditionem huius vel illius rei, huius poteſtatis collationem ſignificare.

Obijcies ſecundò: Illud quod eſt ſenſibile & cauſatiuum gratiæ, pertinet eſſentialiter ad rationem ſacramenti: Sed manuum impoſitio in ordinatione Sacerdotum eſt ſignum ſenſibile & effectiuum alicuius gratiæ, vt docet D. Thomas hic quæſt 37. art. 5. & conſtat ex verbis illis D. Ambroſij quæ ſupra retulimus: *Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam*: Ergo impoſitio manuum in ordinatione Sacerdotum, pertinet eſſentialiter ad rationem Sacramenti.

Reſpondeo Maiorem non eſſe vniuerſaliter veram; ſatisfactio enim in Sacramento Pœnitentiæ eſt aliquid ſenſibile & cauſatiuum

alicuius gratiæ, & tamen non eſt de eſſentia, ſed tantùm de integritate illius ſacramenti. Idem dicendum de impoſitione manuum quæ fit in ordinatione Sacerdotum, quamuis enim illa ſit aliquod ſignum ſenſibile, cauſatiuum augmenti gratiæ, non ſequitur quod ſit pars eſſentialis talis ordinationis, ſed ſufficit quod ſit de eius integritate, vt in tertia parte noſtræ concluſionis docuimus.

CAPVT IV.

De miniſtro & ſubiecto Sacramenti Ordinis.

CErtum eſt, ſolùm Epiſcopum eſſe ordinarium miniſtrum Sacramenti Ordinis, hoc enim apertè definierunt Florentinum in litteris Eugenij, & Tridentinum ſeſſ. 13. can. 7. Ratio etiam id ſuadet, nam ſolus Epiſcopus eſt Chriſtianæ reipublicæ præfectus & hierarcha, ſiue Sacramentorum princeps: Sed ad ſolum principem & præfectum pertinet officia & miniſteria conferre & diſtribuere: Ergo & ad ſolum Epiſcopum Ordines conferre. Sed difficultas eſt & controuerſia inter Theologos, an ſimplex Sacerdos, ex commiſſione Summi Pontificis, poſſit eſſe miniſter extraordinarius huius Sacramenti, & Ordines ſiue Maiores, ſiue Minores validè conferre? Reſpondeo poſſe conferre Minores Ordines, & Subdiaconatum, non tamen Sacerdotium, nec Diaconatum; quia hi duo Ordines immediatam habent relationem ad

corpus Chriſti verum, cùm Sacerdotium ordinetur ad conficiendum corpus & ſanguinem Chriſti, Diaconatus verò ad diſtribuendum ſanguinem Chriſti, vt fieri ſolebat in primitiua Eccleſia, & ad portandum corpus Chriſti in pixide, vel in patena, vt nunc facere ſolent: Licet autem ſit maior poteſtas Summi Pontificis ſupra corpus Chriſti myſticum, quam aliorum Sacerdotum, non tamen ſupra corpus Chriſti naturale, & verum: qua ratione vtitur D. Thomas hic quæſt. 38. art. 1. ad 1.

Dices primò, Chorepiſcopi ſolebant olim conferre ordinem Diaconatus, & Presbyteratus, dummodo ab Epiſcopo ciuitatis licentiam accepiſſent, vt colligitur ex Concilio Antiocheno cap. 10. & Ancyrano cap. 13. Sed illi non erant niſi ſimplices Sacerdotes, vt docet Damaſus epiſt. 5. Ergo ſimplici Sacerdoti poteſt committi munus ordinandi Sacerdotes & Diaconos.

Reſpondeo cum Bellarmino, duo fuiſſe olim genera Chorepiſcoporum, aliqui enim erant veri Epiſcopi, & erant quales nunc ſunt ſuffraganei, qui ſunt Epiſcopi titulares aliorum, & de his loquuntur prædicta Concilia. Alij verò erant ſolùm Presbyteri, qui tanquam Vicarij Epiſcopi in oppidis maioribus & muratis morabuntur, licet haberent ab Epiſcopo aliquam commiſſionem ſuper reliquos Presbyteros qualem nunc habent Decani, & de his loquitur Damaſus epiſtola citata.

Dices ſecundò, Innocentius VIII. conceſſit Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis facultatem conferendi ſuis Monachis Ordinem Diacona-

aliciuus gratiæ, & tamen non eſt de eſſentia, ſed tantùm de integritate illius ſacramenti. Idem dicendum de impoſitione manuum quæ fit in ordinatione Sacerdotum, quamuis enim illa ſit aliquod ſignum ſenſibile, cauſatiuum augmenti gratiæ, non ſequitur quod ſit pars eſſentialis talis ordinationis, ſed ſufficit quod ſit de eius integritate, vt in tertia parte noſtræ concluſionis docuimus.

CAPVT IV.

De miniſtro & ſubiecto Sacramenti Ordinis.

CErtum eſt, ſolùm Epiſcopum eſſe ordinarium miniſtrum Sacramenti Ordinis, hoc enim apertè definierunt Florentinum in litteris Eugenij, & Tridentinum ſeſſ. 23. can. 7. Ratio etiam id ſuadet, nam ſolus Epiſcopus eſt Chriſtianæ reipublicæ præfectus & hierarcha, ſiue Sacramentorum princeps: Sed ad ſolum principem & præfectum pertinet officia & miniſteria conferre & diſtribuere: Ergo & ad ſolum Epiſcopum Ordines conferre. Sed difficultas eſt & controuerſia inter Theologos, an ſimplex Sacerdos, ex commiſſione Summi Pontificis, poſſit eſſe miniſter extraordinarius huius Sacramenti, & Ordines ſiue Maiores, ſiue Minores validè conferre? Reſpondeo poſſe conferre Minores Ordines, & Subdiaconatum, non tamen Sacerdotium, nec Diaconatum; quia hi duo Ordines immediatam habent relationem ad

cor-

corpus Chriſti verum, cùm Sacerdotium ordinetur ad conficiendum corpus & ſanguinem Chriſti, Diaconatus verò ad diſtribuendum ſanguinem Chriſti, vt fieri ſolebat in primitiua Eccleſia, & ad portandum corpus Chriſti in pixide, vel in patena, vt nunc facere ſolent: Licet autem ſit maior poteſtas Summi Pontificis ſupra corpus Chriſti myſticum, quam aliorum Sacerdotum, non tamen ſupra corpus Chriſti naturale, & verum: qua ratione vtitur D. Thomas hic quæſt. 38. art. 1. ad 1.

Dices primò, Chorepiſcopi ſolebant olim conferre ordinem Diaconatus, & Presbyteratus, dummodo ab Epiſcopo ciuitatis licentiam accepiſſent, vt colligitur ex Concilio Antiocheno cap. 10. & Ancyrano cap. 13. Sed illi non erant niſi ſimplices Sacerdotes, vt docet Damaſus epiſt. 5. Ergo ſimplici Sacerdoti poteſt committi munus ordinandi Sacerdotes & Diaconos.

Reſpondeo cum Bellarmino, duo fuiſſe olim genera Chorepiſcoporum, aliqui enim erant veri Epiſcopi, & erant quales nunc ſunt ſuffraganei, qui ſunt Epiſcopi titulares aliorum, & de his loquuntur prædicta Concilia. Alij verò erant ſolùm Presbyteri, qui tanquam Vicarij Epiſcopi in oppidis maioribus & muratis morabuntur, licet haberent ab Epiſcopo aliquam commiſſionem ſuper reliquos Presbyteros qualem nunc habent Decani, & de his loquitur Damaſus epiſtola citata.

Dices ſecundò, Innocentius VIII. conceſſit Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis facultatem conferendi ſuis Monachis Ordinem Diacona-

tus & Subdiaconatus, quod priuilegium ſe legiſſe ait Vaſquez in quodam vetuſto codice, qui inſcribitur, *Collecta Bullarum Ordinis Ciſtercienſis*: Ergo poteſt ſimplex Sacerdos, ex commiſſione Summi Pontificis, conferre ſaltem Ordinem Diaconatus.

Reſpondeo primò ex Nugnio hic quæſt. 38. art. 1. quod Magiſter Victoria dicit ſe vidiſſe tale diploma, & in eo nullam fieri mentionem ordinis Diaconatus, ſed tantùm Subdiaconatus. Sed quidquid ſit de hoc? Reſpondeo ſecundò, quod ſi tale priuilegium reuera à Sede Apoſtolica emanauerit, quod valde incertum eſt, vſum fuiſſe Pontificem opinione, quam probabiliorem exiſtimauit.

Quod attinet ad ſubiectum Sacramenti Ordinis, certum eſt fœminas non eſſe illius capaces, quia vt ait S. Thomas hic qu. 39. art. 1. ſacramentum Ordinis gradus eminentiam ſignificat: in ſexu autem fœmineo non poteſt eminentia aliqua gradus ſignificari, quia mulier ſtatum ſubiectionis habet. Nec obeſt quod in primitiua Eccleſia erant ſubdiaconiſſæ, Diaconiſſæ, Presbyteræ, & Epiſcopæ. Illæ enim ſic dicebantur, quæ ante ordinationem ſacram nupſerant viris qui Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, vel Epiſcopi facti erant, & ab eis iam ordinatis, ex mutuo conſenſu ſeparatæ erant, vt conſtat ex Concilio Altiſiodorenſi can. 21.

Conſtat etiam, ſolos baptizatos eſſe capaces Sacramenti Ordinis, cùm baptiſmus ſit ianua ad omnia alia ſacramenta, ſed difficultas eſſe poteſt, an pueri ante vſum rationis validè poſſint ordinari, hoc enim in dubium

reuo-

reuocat Durandus in 4. diſt. 25. qu. 2. Sed id communiter docent Theologi cum D. Thoma hic qu. 39. art. 2. vbi illud probat hoc diſcurſu: Sacramenta quæ non in actu, ſed in poteſtate conſiſtunt, conferri poſſunt ante vllum ſuſcipientis actum; ideò enim Baptiſmus & Confirmatio poſſunt conferri ſine actu paruuli baptizandi & confirmandi, quia conſiſtunt in poteſtate; è contra verò pœnitentia & matrimonium nequeunt ſine actu pœnitentis & contrahentis conferri, quia conſiſtunt in actu, ſeu quia de illorum eſſentia eſt actus, vt contritio & confeſſio in ſacramento pœnitentiæ, & conſenſus in matrimonio: Atqui Sacramentum Ordinis non in actu ſed in poteſtate conſiſtit, vt ex eius definitione conſtat: Ergo conferri poteſt ante vllum ſuſcipientis actum, ſubindeque paruulo, licet ſit incapax conſenſus. Non teneretur tamen talis paruulus, cùm ad annos diſcretionis perueniſſet, in Ordine ſibi in infantia collato perſeuerare, ſed poſſet illi renuntiare, & matrimonium contrahere, cùm non potuerit Eccleſia illum ad votum continentiæ obligare, independenter ab eius voluntate.

Demum certum eſt, bigamos eſſe Ordinum incapaces, vt conſtat ex Apoſtolo 1. Timoth. 3. & ad Titum 1. & ex canone 17. Apoſtolorum, vbi ſic habetur: *Si quis poſt baptiſma ſecundis fuerit nuptijs copulatus, non poteſt eſſe Epiſcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorſus ex numero eorum qui miniſterio ſacro deſeruiunt*. Ratio ſeu congruentia eſt, quia Clericus per ſacros Ordines deſponſatur Eccleſiæ, per quam deſponſatio-

nem exprimit coniunctionem Verbi Diuini cum natura humana, & Chriſti cum Eccleſia, quæ vna eſt : Hanc autem bigamus repræſentare nequit, quia bigamia tollit vnitatem vnius cum vna, diuidendo carnem in plures. Hæc verò incapacitas, ſeu irregularitas, non eſt iuris diuini, ſed Eccleſiaſtici, cùm Summus Pontifex in ea diſpenſare poſſit, nam Martinus 1. cum bigamo, vt ſubdiaconus fieret, diſpenſauit, & Lucius Papa alium bigamum Archiepiſcopum Panormitanum creauit.

Eodem iure Eccleſiaſtico votum ſolemne caſtitatis ſacris Ordinibus annexum eſt, idque conuenienter.; ad officium enim ſacrorum Miniſtrorum duo præcipuè pertinent, nempe ſacrificare, & orationi ſeu contemplationi vacare: At vſus matrimonij his duobus actibus non mediocriter obſtat; primò quidem, nam cùm ſacrificium altaris auguſtiſſimum & ſanctiſſimum ſit, decet vt qui illud offerunt, vel ei miniſtrant, inſigni quadam puritate atque ſanctitate mentis & corporis polleant; alteri verò, quia actus coniugalis mentis aciem hebetat, & ab oratione ac rerum diuinarum contemplatione, animum auertit ac diſtrahit. Vnde Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. ſuadet coniugibus continentiam ad tempus, vt meliùs vacent orationi. Addo quod, ſi illi qui in lege veteri manducabant panes propoſitionis, debebant eſſe mundi à mulieribus, vt habetur 1. Reg. 21. ſi illi qui comeſturi erant agnum paſchalem, iubebantur renes accingere, id eſt voluptates carnis edomare, vt exponit D. Gregorius homil. 22. in Euang.

Demum ſi Sacerdotes per vices Miniſtrantes in tabernaculo, toto tempore vicis ſuæ, à domo & ab vxoribus abeſſe debeant, vt colligitur ex 1. Paralip. 24. & ex Lucæ 1. Quantò magis Sacerdotes noſtri perpetuò vacantes ſacro Miniſterio, & Virginis filium, ac Virginum ſponſum, atque omnis puritatis fontem, quotidie manibus attrectantes, perpetuam debent ſeruare continentiam, vt rectè arguit Innocentius I. epiſt. 9. ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum.

Hæc lex de ſeruanda continentia à ſacris Miniſtris, fuit in Eccleſia Romana continuò ſeruata, licet ſubdiaconatui non ſemper fuerit annexum votum ſeruandæ caſtitatis, quia non fuit ſemper inter ordines ſacros connumeratus, vt conſtat ex canone, *Nullus in Epiſc.* diſt. 60. vbi Vrbanus II. ait, *ſacros Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum: hos ſiquidem ſolos* (intellige ſacros) *primitiua legitur habuiſſe Eccleſia* In Eccleſia tamen Græca talis lex fuit abrogata, & permiſſum eſt Miniſtris ſacris habere vxores, & cum illis cohabitare, vt conſtat ex ſexta Synodo can 13. in quo ſic dicitur: *Quoniam Romanæ Eccleſiæ pro canone traditum eſſe cognouimus, vt promouendi ad Diaconatum vel Presbyteratum, profiteantur ſe non amplius ſuis vxoribus coniungendos, nos antiquum canonem Apoſtolorum perfectionis ordiniſque ſeruantes, hominum qui ſunt in ſacris, legitima coniugia, deinceps quoque firma & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum vxoribus coniunctionem diſſoluentes, vel eos mutua tempore conuenienti conſuetudine priuantes. Quamobrem*

ſi quis dignus inuentus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gratiam aſſumi nequaquam prohibeatur, ſi cum legitima vxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo poſtuletur, vt profiteatur ſe à legitima cum vxore conſuetudine abſtenturum Quem morem vſque ad hæc tempora ſeruant Græci, Romana Eccleſia permittente, & nonniſi eo tempore quo ſacris altaribus ſunt aſſeſſuri, prohibentur vxoribus vti. Epiſcopi tamen Græci, cum vxoribus quas ante ſacram ordinationem duxerant, non cohabitant, vt conſtat ex canone 12. eiuſdem Synodi. Imò nunc Græci ordinariè non eligunt in Epiſcopum, niſi vel religionem profeſſum, vel qui perpetuam caſtitatem ſeruet, & vxorem non habeat.

CAPVT V.

De Epiſcopatu.

CErtum de fide eſt, Epiſcopos, iure diuino, dignitate, & poteſtate eſſe Presbyteris ſuperiores. Ita enim definitur in Concilio Conſtantienſi in Bulla Martini V. vbi omnes errores Ioannis Vviclef damnantur, & in Tridentino ſeſſ. 23. cap. 4. & can. 7. Id probat D. Thomas hic qu. 40. artic. 4. multipliciter. Sed ſufficit hæc ratio quam adducit in argumento *ſed contra*, vbi ſic diſcurrit: Diuina myſteria debent eſſe magis ordinata, quam humana; Sed humanorum officiorum ordo

exi-

exigit, vt in quolibet officio præponatur vnus qui ſit princeps illius officij ſicut præponitur militibus dux & inferioribus artificibus Architectus, qui princeps operis dicitur: Ergo ſimiliter Eccleſiaſticæ hierarchiæ Ordo expoſcit, vt Sacerdotibus præponatur aliquis qui ſit Sacerdotum Princeps, & hic eſt Epiſcopus. Vnde Dionyſius in lib. de Eccl. hierarc. cap. 5. ſic ait: *Pontificum Ordo primus, qui purgat, illuminat, & perficit. Sub illo autem Ordo Sacerdotum purgat, & illuminat, non verò perficit, Miniſtrorum vero tantum purgat.*

In contrarium obijcitur difficilis locus Hieronymi, quo ſignificare videntur Epiſcopos non eſſe iure diuino Sacerdotibus ſuperiores, ſed tantùm ex conſtitutione & conſuetudine Eccleſiæ; nam in cap. 1. Epiſtolæ ad Titum, circa illa verba, *Et conſtituas per ciuitates Presbyteros*, hæc ſcribit: *Idem eſt Presbyter qui Epiſcopus, & antequam Diaboli inſtinctu ſchiſmata in religione fierent & diceretur in populis, Ego Apollo, Ego verò Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò vnuſquiſque eos quos baptizauerat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, vt vnus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum nomina tollerentur.* Et infra, *Hæc adduximus, vt oſtenderemus apud veteres eoſdem fuiſſe Presbyteros & Epiſcopos. Sicut ergo Presbyteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei qui præpoſitus fuerit eſſe ſubiectos: Ita Epiſcopi nouerint, ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe maiores.*

Reſpondeo quod quando Hieronymus ait, Epiſcopos magis conſuetudine & ordinatione Eccleſiæ, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate, Presbyteris eſſe maiores, non loquitur de Epiſcopatu, quantùm ad poteſtatem ordinis (in ea enim Epiſcopos eſſe iure diuinò Presbyteris ſuperiores, manifeſtè agnoſcit in cap. 1. epiſtolæ ad Titum, vbi ſic ait: *Quid facit Epiſcopus, excepta ordinatione, quod non faciat etiam Presbyter*, id eſt facere poſſit) ſed de poteſtate iuriſdictionis, ſeu regiminis Eccleſiæ: Hanc enim præeminentiam iuriſdictionis non competere Epiſcopis iure diuino ſed tantùm Eccleſiaſtico, exiſtimauit Hieronymus; idque ex parte verum eſt: Epiſcopi enim poteſtatem iuriſdictionis non accipiunt immediatè à Chriſto (ſicut poteſtatem ordinis & characteris) ſed habent ab ipſo Summo Pontifice cuius eſt eos Eccleſijs præficere, & Diœceſes illis aſſignare ac diuidere, prout ad Eccleſiæ bonum expedire iudicauerit.

Circa Epiſcopatum celebris eſt difficultas & controuerſia, an ille ſit Ordo diſtinctus à Sacerdotio? Partem affirmatiuam tenent Durandus, & Caietanus, quos ſequuntur nonnulli ex Recentioribus. Negatiua verò, non ſolùm expreſsè docetur à S. Thoma, ſed etiam ab omnibus ferè antiquioribus Theologis, quos innumeri propemodum ex Recentioribus ſequuntur, vt demonſtrat Valerianus de Flauigni, Doctor & Socius Sorbonicus, in opuſculo ab ipſo edito ad defendendam Theſim Ludouici de Cleues, Bacalaurei Sorbonici, qua aſſerebat, Epiſcopatum, prout præſcindit à Presbyteratu, aut ab eo diſtinguitur, non

non habere rationem ſacramenti. Probabilius ergo videtur, Epiſcopatum non eſſe Ordinem diſtinctum à Sacerdotio, ſed ipſius Sacerdotij extenſionem, & excellentiſſimum eius complementum.

Probatur primò ratione quam inſinuat S. Thomas hic qu.40. art. 4. & in 4. ad Annib. diſt.24. qu.4. ad 4. Ordinum diſtinctio ſumitur penes habitudinem quam dicunt ad Euchariſtiam, ad quam vt ad finem ordinantur, vt conſtat in Sacerdotio, Diaconatu, & Subdiaconatu, & quatuor minoribus Ordinibus: Sed Epiſcopatus non aliam dicit habitudinem ad Euchariſtiam, præter eam quam importat Sacerdotium, non enim poteſt eam magis conſecrare Epiſcopus, quam ſimplex Sacerdos: Ergo Epiſcopatus non eſt Ordo diſtinctus à Sacerdotio. Nec valet ſi dicas, Epiſcopatum dicere habitudinem aliquam indirectam ad Euchariſtiam, quam non dicit Sacerdotium, ſiquidem præter poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, in qua conuenit cum Sacerdotio, habet virtutem illam transfundendi in alios, & ad conſecrandum ac ordinandum miniſtros Euchariſtiæ. Non valet inquam hæc reſponſio, ex illa enim ſequeretur, Epiſcopatum eſſe Ordinem inferiorem Sacerdotio, & ipſo ignobiliorem, cùm habito illa indirecta ad Euchariſtiam, ſeu poteſtas conſecrandi illius miniſtros, minùs perfecta ſit habitudine directa ad illam, ſiue poteſtate illam conſecrandi, qua nihil datur præſtantius & diuinius in ordine ſupernaturali.

Probatur ſecundò: Si Epiſcopatus eſſet ordo ſpecie diſtinctus à Sacerdotio, vel illi eſſet

par & æqualis, vel ſuperior, vel minor? Pares eſſe repugnat, ex illa lege qua diuerſæ rerum eſſentiæ minùs poſſunt eſſe ęqualis perfectionis, quam diuerſi numeri pares, quorum tota ratio in inæqualitate conſiſtit. Nec ſuperior poteſt eſſe character Epiſcopalis Sacerdotali, cùm poteſtas in corpus Chriſti naturale, propria Sacerdotio, præſtet poteſtati in corpus myſticum, quam Epiſcopatus addit. Inferiorem verò eſſe minimè conuenit, cùm Epiſcopatus ſit quaſi apex Sacerdotij, & Epiſcopus ſupremum Sacerdotij gradum occupet: Ergo &c.

Probatur tertiò: Si Epiſcopatus ſit ordo realiter diſtinctus à Sacerdotio, virtualiter aut eminenter illud continebit, ſicut Sacerdotium eminenter continet Ordines inferiores: Ergo ſicut Sacerdotium, non præmiſſo ordine Diaconatus, validum eſt, vt colligitur ex cap. *Tuæ litteræ*, de Clerico per ſaltum ordinato; ita validus erit Epiſcopatus, collatus non præmiſſo Sacerdotio, ſubindeque Diaconus, qui non præmiſſo Sacerdotio conſecratur Epiſcopus, poſſet munia Sacerdotalia obire, puta conſecrare corpus, & a peccatis abſoluere, quamuis non eſſet Sacerdos, quod abſurdum eſt.

Dices, conſecratio Epiſcopalis cauſat gratiam, & confert characterem diſtinctum ab eo qui imprimitur in collatione Sacerdotij: Ergo eſt Ordo diſtinctus à Sacerdotio.

Reſpondeo concedendo primam partem Antecedentis, & negando conſequentiam, vt enim conſecratio Epiſcopalis cauſet gratiam, non requiritur neceſſariò quod ſit ſacramen-

tum

tum vel ordo diſtinctus à Sacerdotio, ſed ſufficit quod ſit excellentiſſimum quoddam Sacerdotij complementum. Sicut per cæremoniam illam qua confertur Sacerdoti iam ordinato poteſtas abſoluendi à peccatis, confertur augmentum gratiæ; quamuis illa non ſit ſacramentum diſtinctum à conſecratione Sacerdotali, quæ fit in contactu calicis, ſed ſolùm complementum quoddam & extenſio Sacerdotij. Vnde neganda eſt ſecunda pars Antecedentis, conſecratio enim Epiſcopalis non confert nouum characterem, ſed duntaxat characterem Sacerdotalem complet & extendit, redditque illum potentem ad conficienda duo ſacramenta, quæ ſimplex Sacerdos, ex vi præcisè ſuæ ordinationis, non poteſt conficere, nempe Confirmationem & Ordinem. Sicut (vt in eodem maneamus exemplo) cæremonia illa, qua datur Sacerdoti iam ordinato poteſtas abſoluendi à peccatis, non confertur diuerſus character ab illo qui in contactu calicis impreſſus eſt, ſed ſolùm additur illi quidam modus maioris perfectionis & extenſionis, ratione cuius fit potens ad remittenda peccata, vt in tractatu de pœnitentia, cap. 5. §. 2. declarauimus.

TRA-

TRACTATVS VII.

DE

SACRAMENTO

MATRIMONII.

CVm Sacramentum matrimonij dupliciter conſiderari poſſit, nempe vt eſt in officium naturæ, & vt ex inſtitutione Chriſti ad eſſe Sacramenti eleuatum eſt, de illo vtroque modo conſiderato, breuiter in hoc tractatu agendum eſt. Verum quia, teſte Apoſtolo prius eſt quod eſt animale, quam quod ſpirituale, prius differendum eſt de illo, vt eſt in officium naturæ, quam vt rationem Sacramenti habet. Porro quia ſponſalia ſunt veluti inchoatio futuri matrimonij, & diſpoſitio moralis ad illud, aliqua de illis breuiter hic præmittenda ſunt.

CA-

CAPVT I.

De ſponſalibus.

SPonſalia ſunt *futurarum nuptiarum mutua promiſſio.* Ita lege 1. ff. de ſponſalibus. Dicitur *futurarum nuptiarum*, vt ſponſalia diſtinguantur à matrimonio, quod eſt contractus per verba de præſenti expreſſus; ſponſalia autem contrahuntur per verba de futuro, vt accipiam te in vxorem, accipiam te in virum. Additur *mutua promiſſio*, quia ad ſponſalia non ſufficit propoſitum aut ſimplex voluntas, cùm illa non ſufficiat ad inducendam obligationem, ſed requiritur neceſſariò promiſſio ſeu voluntas ſe obligandi, quæ mutua ex parte vtriuſque contrahentis eſſe debet, cùm enim matrimonium includat eſſentialitèr mutuam vtriuſque traditionem & acceptationem de præſenti, nec aliter fieri poſſit; promiſſio matrimonij futuri includit eſſentialiter mutuam vtriuſque promiſſionem & acceptationem, neque poſt ab vno validè promitti, quin alter repromittat.

Non ſufficit ad valorem ſponſalium, ſola promiſſio externa, vtpote quæ non eſt vera promiſſio, ſi deſit animus promittendi; neque ſola interna, quamuis enim Deo, qui cordium ſcrutator eſt, poſſit homo obligari actu interno, homini tamen alteri, qui ſola externa intuetur, non poteſt obligari niſi per modum humanum, ſubindeque niſi ſigno aliquo externo eius promiſſio exprimatur. Non eſt tamen ad ſponſalia neceſſarium quod pro-

miſſio, vel conſenſus exprimatur per verba, vel alia ſigna determinata, ſed ſufficiunt hæc vel illa, dummodo apta ſint exprimere alteri ſufficienter conſenſum & volitionem internam. Hinc eſt quod in quibuſdam locis, ad ſponſalia ſufficit miſſio annuli in digitum ſponſæ, vel appenſio torquis ad collum eius, vel traditio arrharum, vel porrectio manus ſponſæ, poſtulante, ſponſo; imò & ipſa taciturnitas ſponſi & ſponſæ, quando nimirum parentes, aut tutores, vel curatores, qui ſunt loco parentum contrahunt ſponſalia pro filijs impuberibus, vel etiam puberibus, ipſis præſentibus, & non contradicentibus.

Etſi matrimonia clandeſtina (id eſt ſine præſentia Parochi, & duorum vel trium teſtium facta) nouo iure Tridentini, inualida ſint, non tamen ſponſalia clandeſtina: quia in nouo Tridentini decreto, contra clandeſtina matrimonia edito, nulla fit mentio de ſponſalibus: quidquid autem in noua lege expreſſum non habetur, veteris iuris diſpoſitioni relinquitur, vt dicunt Imperatores Theodoſius & Valentinianus, l. *Præcipimus* cap. de appel. Ergo ex nouo Tridentini decreto, nulla in ſponſalia prohibitio deriuatur, præſertim cùm nulla ſit inter clandeſtinitatem matrimonij & ſponſalium connexio, optimè enim poſſunt ſponſalia clandeſtina contrahi, etiam ſi matrimonium debeat publicè celebrari.

Matrimonium tamen clandeſtinum, Tridentini lege irritum, non habet vim ſponſalium, vt declarauit ſacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, in cap. 1. ſeſſ. 24. cap. 1. his verbis; *Matrimonium*

nium contractum, non ſeruata forma Concilij Tridentini &c. in ſponſalia de futuro non reſoluitur, ita vt cogi poſſint contrahere ſeruata forma Concilij. Idem dicendum de matrimonio ficto & ſimulato: cùm enim ibi deſit conſenſus, non poteſt rationem habere ſponſaliũ, quippe quæ ſine conſenſu non ſubſiſtunt.

Item poſt Tridentinum ſponſalia conditionata, per copulam clandeſtinam ſubſequentem, non tranſeunt in abſoluta. Ratio eſt, quia ſponſalia conditionata non tranſeunt in abſoluta, niſi conditione verificata, aut depoſita, ſi pendeat à ſola voluntate contrahentis: licet autem ante Tridentinum, iure antiquo per ſubſequentem copulam cenſeretur conditio deponi, eò quòd tunc copula illa erat licita, & coniugalis cenſebatur; nunc tamen, cùm talis copula non admittatur vt coniugalis, nec poſſit niſi affectu fornicario exerceri, cùm inualida ſit ad matrimonium contrahendum, non poterit per eam cenſeri deponi conditio; ſubindeque ſponſalia ſub eo contracta, adhuc manebunt conditionata.

Ætas pro ſponſalibus ab vtroque iure determinata, eſt ſeptennium; tunc enim homo incipit habere aliquam prudentiam circa futurum ſubindeque incipit eſſe aptus ad aliqua promittenda in futurum, præcipuè de ijs ad quæ natura inclinat, quale eſt matrimonium, vt diſcurrit D. Thomas hic q. 43. art. 2. Poteſt tamen interdum malitia ſupplere ætatem, ſubindeque ſponſalia valida eſſe poſſunt ante ſeptennium: Si enim malitia ſupplet ætatem reſpectu matrimonij (vt conſtat ex cap. 9. de de ſponſ. impuberum. vbi Alexander

der III. de illis ſic ait: *Si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copulæ carnali coniungi, minoris ætatis intuitu ſeparari non debent, ſi vnus in alium viſus fuerit conſentire, cùm in eis ætatem ſuppleuiſſe malitia videatur*) à fortiori poteſt illam ſupplere reſpectu ſponſalium. Cùm enim ſponſalia non ſint tanti momenti, ac matrimonium, poſſintque multis de cauſis diſſolui, matrimonium verò indiſſolubile ſit, par vel maior eſt ratio, quòd in ſponſalibus malitia ſuppleat ætatem, quam eam ſuppleat in matrimonio.

Licet autem pro contrahendo matrimonio diuerſa ætas aſſignetur in iure maribus & fœminis (nempe illis annus decimus quartus, & iſtis duodecimus) non tamen pro contrahendis ſponſalibus. Cuius rationem aſſignat D. Thomas art. citato in reſp. ad 1. vbi ſic ratiocinatur: *Tempore contractus matrimonij non ſolùm requiritur diſpoſitio ex parte vſus rationis, ſed etiam ex parte corporis, vt ſit tempus generationi aptum; & quia puella in duodecimo anno ad hoc venit, vt poſſit eſſe actui generationis apta; puer autem in fine ſecundi ſeptennij, vt Philoſophus ait lib. 9. animalium; ſimul autem vſum diſcretionis accipiunt, qui tantùm in ſponſalibus requiritur; ideo in ſponſalibus determinatur vnum tempus vtrique; non verò in matrimonio.*

Quando in ſponſalibus nullus præfigitur terminus ad contrahendum matrimonium, ea obligare non incipiunt, ſtatim ac contrahuntur, ſed ſolùm quando vnus ex contrahentibus exigit promiſſionis impletionem, & matrimonij celebrationem. Id enim commune eſt omni.

omni debito, cuius ſolutioni non eſt certa dies præfixa; vt debitor non teneatur illud ſoluere, niſi à creditore requiſitus, ex l. *Debitores præſentes* capit. de pignor. iuncta gloſſa. Vnde quando dicitur regula 14. iuris in 6. *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur*: ſubintelligi debet, *petente creditore*; alioquin inutile foret mutuum, ſi ab ipſo primo die, mutuatarium obligaret ad illud reſtituendum.

Variæ ſolent aſſignari cauſæ ob quas ſponſalia poſſunt diſſolui. Primò diſſoluuntur ex mutuo conſenſu, cap. *Præterea* 2. de ſponſal. Omnis enim contractus ex natura ſua ſolubilis, qualis eſt contractus ſponſalitius, per eaſdem cauſas diſſolui poteſt, per quas poteſt validè fieri: Sed contractus ſponſalium, mutuo contrahentium conſenſu fit: Ergo etiam mutuo eorum conſenſu diſſolui poteſt.

Secundò matrimonium cum poſteriori ſponſalia dirimit cum priori contracta, cùm vinculum matrimonij ſit fortius quam vinculum ſponſaliorum. Ille tamen qui contrahit matrimonium cum alia vxore, mortua, tenetur priorem ſponſam ducere; quia fortius vinculum & impedimentum ſuperueniens, non extinguit priorem obligationem, ſed tantùm eam ſuſpendit. Sicut ergo ſi promiſi Petro agrum, quem poſtea tradidi Paulo, ſi Paulus eundem teſtamento leget, teneor illum Petro titulo promiſſionis reſtituere, cùm res promiſſa & acceptata, ſemper clamet ad promiſſarium: Ita perſona ſponſi per ſponſalium contractum promiſſa ſponſæ, & per matrimonium cum alia initum alienata, ite-

rum ſui iuris facta, reſtituenda eſt priori ſponſæ, cui fuerat per ſponſalia promiſſa. 4

Tertiò ſponſalia per fornicationem diſſoluuntur, quia in ſponſalitia promiſſione ſemper ſubintelligitur tacita conditio, niſi ſponſus aut ſponſa in legem matrimonij peccauerit. Eadem verò eſt ratio quantùm ad hoc de ſponſo ac de ſponſa, quia vt rectè ait Panormitanus in cap *Quemadmodum* de iure iurando, num.4. quantùm ad violationem ſponſalitiæ fidei, ſponſus & ſponſa ad paria iudicantur. Si verò tam ſponſus quàm ſponſa fornicauerint, non fit propterea inter ipſos delictorum compenſatio, ſicut inter coniuges adulterantes, ſed ſponſus fornicans, ſponſam fornicantem dimittere poteſt; quia inter imparia delicta non datur compenſatio: at ſponſus & ſponſa fornicando non ſunt in pari delicto, cùm in ordine ad matrimonium longè grauius crimen ſit ſponſæ quam ſponſi fornicatio, eò quòd maior infamiæ nota ſit, ſponſum ſponſam fornicantem vxorem ducere, quam ſponſam fornicanti ſponſo nubere. Vnde diuerſa eſt ratio de fornicatione à ſponſis commiſſa, ac de adulterio à coniugibus patrato; quia in adulterio ſpectatur fides coniugalis, quæ æquè à viro ac ab vxore frangitur, cùm æquè vterque ad eam ſeruandam, per matrimonium ſe obligauerit: in fornicatione verò à ſponſis commiſſa, non ſolùm ſpectatur fidei violatio per ſponſalia promiſſæ, ſed etiam infamia, quæ ex ea ſponſis reſultat: hæc verò longè maior, vt diximus, ex fornicatione ſponſæ in ſponſum, quam ex fornicatione ſponſi in ſponſam deriuatur.

Si autem quæras, an fornicatio ſponſæ vel ſponſi, à ſimplici fornicatione differat, & ad aliam luxuriæ ſpeciem pertineat? Reſpondeo eam pertinere reductiuè ad ſpeciem adulterij, ſicut ſponſalia reducuntur ad matrimonium, ſuntque veluti eius inchoatio.

Quartò per ingreſſum religionis ſponſalia ſoluuntur, ex parte eius qui in ſæculo remanet; quia eo ipſo quod vnus ex ſponſis religionem ingreditur, ſponſalibus renuntiat: Ergo eo ipſo manet alter ab obligatione liber. Secùs verò ille qui religionem ingreditur, ſi in ea non emittat profeſſionem, ſed ad ſæculum redeat, vt innuit D. Thomas hic q. 43. art. 3 ad 1. vbi reddens rationem, cur per religionis ingreſſum ſponſalia dirimantur, ait *quia eſt mors ſpiritualis animæ*, nempe ratione profeſſionis, per quam Religioſus ſæculari vitæ moritur: Ergo cenſet, ingreſſum religionis, quem non ſequitur profeſſio, non dirimere ſponſalia ex parte eius qui religionem ingreditur. Idque ratio ſuadet, cùm enim ſponſalia ex iuſtitia obligent contrahentes, niſi ſit expreſſum ius, vel ratio manifeſta quæ eos à tali obligatione liberet, aſſerendum non eſt ipſos ab ea liberari: Sed nulla ratio manifeſta poteſt aſſignari ex parte ingredientis religionem ſed ſolùm ex parte remanentis in ſæculo, nimirum notabilis ſtatus & perſonæ mutatio in altero facta. Nec etiam vllum ius, nam caput ſecundum de conuerſione coniugatorum; quod allegatur à nonnullis, loquitur de profeſſione, & de matrimonio rato, ex quo non valet conſequentia ad ſponſalia reſpectu probationis;

quia

quia in huiuſmodi rebus pendentibus à diſpoſitione iuris poſitiui, non licet ab vno ad aliud argumentari, niſi euidenter appareat talem eſſe mentem legislatoris, quod non contingit in ſubiecta materia: Ergo per ingreſſum religionis non ſoluuntur ſponſalia ex parte eius qui religionem ingreditur, ſi in ea non emittat profeſſionem, ſed ad ſæculum redeat, ſed ſolùm ex parte eius qui in ſæculo remanet.

Quintò votum ſimplex caſtitatis ſponſalia dirimit ex parte vtriuſque contrahentis, vt docet D. Thomas hic qu. 53. art. 1. ad 1. & probat hac ratione: Quando concurrunt duo vincula incompatibilia, fortius debet præualere: Sed vinculum voti etiam ſimplicis caſtitatis, eſt incompatibile cum ſponſalibus, vt conſtat, quandoquidem euidens eſt quod non poſſunt ambo ſeruari; & eſt fortius, quia obligat Deo, ſponſalia verò homini tantùm: Ergo præualet ſponſalibus, ipſiſque ſuperueniens ea diſſoluit.

Sextò ſponſalia diſſoluuntur per diſceſſum vnius è ſponſis ſine conſenſu alterius in regionem remotam, & longam illius abſentiam: cap. *De illis*, de ſponſalibus, vbi Gloſſa requirit triennium abſentiæ. Per ſuperueniens impedimentum, v. g. nouæ affinitatis inter ſponſos, ex fornicatione cum conſanguineo vnius ex partibus in primo vel ſecundo gradu. Per ſuperuenientem notabilem infirmitatem, aut deformitatem quæ ſit durabilis, vt ſunt lepra paralyſis, omiſſio oculi vel naſi, cap. *Quemadmodum*, de iure iurando. Ex ſubortu capitalium inimicitiarum inter ſponſos, quia coactiones frequenter ſiniſtros

ſtros exitus pariunt, cap. *Requiſiuit*, de ſponſal. Demum quæ ſufficiunt ad diuortium inter coniuges obtinendum, à fortiori ſufficiunt ad dirimenda ſponſalia.

CAPVT II.

De Matrimonio vt eſt in officium naturæ.

CVm matrimonium ſit contractus inter virum & fœminam, ad prolem gignendam, plura ad ſui integritatem & conſtitutionem requirit, nempe mutuum viri & fœminæ conſenſum, externo ſigno manifeſtatum; mutuam ſui corporis in alium traditionem, & quod inde ſequitur, mutuum vtriuſque in corpus alterius ius & poteſtatem eo vtendi in omnem vſum lege maritali ſibi conceſſum; mutuam vtriuſque obligationem ad debitum coniugale ex iuſtitia reddendum; & demum coniunctionem quandam ſeu vinculum animorum vtriuſque coniugis, quod ex mutua eorum obligatione reſultat, & vtrumque coniugem ligat, ad illud nunquam quandiu vixerint diſſoluendum, iuxta illud Apoſtoli ad Corinth. 5. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit.* Matrimonium formaliter & eſſentialiter conſiſtit in tali vinculo: non poteſt enim conſiſtere formaliter in mutuo viri & feminæ conſenſu, cùm ille ſit cauſa efficiens matrimonij, ſubindeq; non poſſit eſſe cauſa formalis illius; cau-

ſa enim formalis intrintrinſeca eſt, efficiens verò inter extrinſecas computatur. Nec in mutuo iure vtriuſque coniugis in corpus alterius, vel in obligatione mutua ad reddendum debitum coniugale: Tum quia tale ius & obligatio ceſſant alterius coniugis adulterio, vel ingreſſu religionis ex communi conſenſu, manente matrimonij conſummati vinculo. Tum etiam, quia, vt infra dicemus, inter B. V. & B. Ioſephum, fuit verum matrimonium, quamuis perpetuò impedita obligatione reddendi debitum coniugale.

Dices, in eo formaliter conſiſtit matrimonium, quo poſito ponitur, & quo oblato aufertur: Sed poſito conſenſu mutuo coniugum, & iure quod per ipſum quilibet illorum acquirit in corpus alterius, ponitur matrimonium, eoque ſublato aufertur: Ergo in tali conſenſu & iure, matrimonium conſiſtit formaliter.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: In eo formaliter conſiſtit matrimonium, quo poſito, tanquam principio formali & conſtitutiuo ponitur, concedo maiorem. Quo poſito, tanquam principio rationali ſolum & fundamentali ponitur, nego maiorem; & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Sicut ergo poſita generatione ponitur paternitas in generante, & ea ſublata tollitur, non quia paternitas conſiſtat formaliter in generatione, ſed quia ab ea vt à fundamento dependet. Ita ſimiliter, poſito mutuo coniugum conſenſu, & iure quod per ipſum quilibet illorum acquirit in corpus alterius, ponitur matrimonium, & eo ablato aufertur,

non

non quòd in eo formaliter conſiſtat, ſed quià ab illo radicaliter & fundamentaliter pendet.

Ex his intelliges, matrimonium, vt eſt in officium naturæ, ſic rectè definiri: *Matrimonium eſt viri & mulieris maritalis coniunctio, indiuiduam vitæ ſocietatem retinens*. Nam ly *maritalis coniunctio* rectè explicat vinculum illud permanens & indiſſolubile, in quo matrimonium formaliter conſiſtit.

Rectè diuiditur diuiſione ſubiecti in accidentia, in legitimum, ratum, & conſummatum. Legitimum dicitur quod inter perſonas non impeditas legitimo conſenſu eſt inſtitutum, quale eſt etiam inter non baptizatos, & olim fuit in lege naturæ, ac moſaica. Ratum dicitur quod ſignatum eſt Sacramento fidei, ſeu quod eſt in baptizatis, & ideò maiorem firmitatem & indiſſolubilitatem obtinet, cap. *Quantò* de diuortijs. Conſummatum dicitur quod accedente carnali copula completum eſt.

Matrimonium non ſolùm eſt ex inclinatione & inſtinctu naturæ, qua homo ad conſeruationem ſuæ ſpeciei naturaliter inclinatur, ſed etiam cadit ſub præcepto naturali, cùm ſit medium omnino neceſſarium ad finem maximè à natura intentum, ſcilicet propagationem generis humani. Hoc præceptum Deus declarauit primis parentibus Geneſ. 2. cùm illis dixit: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*. Cui declarationi ſubiunxit benedictionem, vt ſignificaret illam ab eo fuiſſe prolatam, ex amore erga genus humanum, cuius propagationem volebat. Vnde Auguſtinus

14. de ciuit. cap. 12. *Nos autem nullo modo dubitamus, ſecundùm benedictionem Dei creſcere & multiplicari, donum eſſe nuptiarum. Huic quippe operi, Dei benedictio ſubiuncta eſt.*

Licet autem hoc præceptum initio mundi, & poſt diluuium, humano genere nondum ſufficienter propagato, ſingulos obligauerit, poſtea tamen, facta ſufficienti propagatione, non ampliùs obligat ſingulos, imò nec rempublicam & eius rectores, vt cogant aliquos ad nubendum, cùm ad matrimonium homines per ſe ſint ſatis propenſi. Vnde Hieronymus Iouiniano reſpondens ait: *Dices, ſi omnes virgines fuerint, quomodo ſubſiſtet mundus? Noli metuere ne omnes virgines fiant difficilis res eſt virginitas, & ideò rara.*

Quæres, vtrum poligamia, ſeu pluralitas vxorum ſub vno viro, repugnet fini matrimonij, ſubindeque ſit contra legem naturæ?

Reſpondeo non repugnare fini primario matrimonij, ſed ſecundariò tantùm. Ita D. Thomas hic quæſt. 65. art. 1. vbi ſic ait: *Pluralitas vxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit matrimonij finem primum, cùm vnus vir ſufficiat pluribus vxoribus fæcundandis, & educandis filijs ex eis natis. Sed ſecundarium finem, etſi non totaliter tollat, tamen multùm impedit, eò quòd non facilè poteſt eſſe pax in familia, vbi vno viro plures vxores iunguntur, cùm non poſſit vnus vir ſufficere ad ſatisfaciendum pluribus vxoribus ad votum, & etiam quia communicatio plurium in vno officio, cauſat litem, ſicut figuli corrixantur ad inuicem, & ſimiliter plures vxores vnius viri.* Quibus verbis S. Doctor vtramque partem

tem noſtræ reſponſionis & docuit & probauit. Primam quidem, quia poteſt vnus vir non ſolùm plures vxores fœcundare, ſed etiam educationi & inſtitutioni filiorum qui ex eis haberi poſſunt ſufficienter prouidere: Atqui in illis duobus præcisè conſiſtit finis primus matrimonij: Ergo poligamia non aduerſatur fini primario matrimonij. Secundam verò, quia finis ſecundarius matrimonij eſt, tum remedium contra concupiſcentiam, quo non ſemper ad votum vti poteſt vxor cuius vir pluribus copulatus eſt vxoribus; tum domeſticæ gubernationis pax & tranquillitas, quæ ſub pluralitate vxorum non niſi difficilè ſeruari poteſt, cùm zelotypia laboret fragilis fœminarum ſexus, & fieri nequeat quod viri affectus non magis erga vnam ferantur, quam erga aliam. Vnde Sara Geneſ. 21. Agar domi tolerare non poterat, & Rachel Geneſ. 30. Liæ propter fœcunditatem inuidebat. Addo quod non ſeruantur in poligamia paria iura inter virum & vxorem, nam ſingulæ vxores tradunt plenum dominium ſui corporis in virum, cùm tamen vir non tradat plenum ſui corporis dominium in ſingulas vxores; vnde non eſt iuſtus contractus, cùm non ſeruet ex vtraque parte iuſtitiæ leges.

Dices, viri ſanctiſſimi in veteri lege plures ſimul vxores habuere, vt Abraham Saram & Agar Geneſ. 6. Iacob I iam & Rachel, Balam & Zelpham Geneſ. 29. & 30. Helcana Annam & Phenennam 1. Regum 1. Ergo poligamia iuri naturæ non aduerſatur, nec repugnat fini ſecundario matrimonij. Sed nego conſequentiam, quia Deus in poligamia ſeu vxo-

rum pluralitate cum illis diſpenſauit. Nam vt ait S. Thomas hic quæſt. 65. artic. 2. *Cùm bonum prolis ſit principalis matrimonij finis, vbi prolis multiplicatio neceſſaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum quod poſſet in ſecundarijs finibus euenire, ad quod remouendum, præceptum prohibens pluralitatem vxorum ordinatur*. Talis verò diſpenſatio non fuit facta niſi poſt diluuium, cuius rationem aſſignat D. Chryſoſtomus homil. 56. in Geneſim, quia nimirum ante diluuium longiſſima hominum vita faciebat vt matrimonium vnius cum vna ſufficeret propagationi neceſſariæ generis humani: poſtea verò propter vitam longè breuiorem, *permiſſum fuit cum duabus vel tribus vel pluribus vxoribus miſceri, vt humanum genus propagaretur*, & ſuppleretur per vxorum multitudinem defectus vitæ longioris. Hæc diſpenſatio ceſſauit in lege Euangelica, in qua poligamia eſt prorſus illicita, vt definit Tridentinum ſeſſ. 24. can. 2. & patet ex eo quod matrimonium in noua lege habet finem nobiliorem & præſtantiorem, quam in lege naturæ & moſaica, nempe ſignificationem coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, cui ſignificationi poligamia repugnat, cùm carnis vnitatem tollat illamque in plures diuidat.

CA-

CAPVT III.

De Matrimonio vt habet rationem Sacramenti.

MAtrimonium inter Chriſtianos, hoc habet priuilegium ſuper matrimonia legis naturæ & moſaicæ, vt non ſit tantùm contractus ciuilis, aut ſacramentum latè & impropriè ſumptum, ſed etiam ſtrictè & propriè, & quod ita repræſentet coniunctionem inter Chriſtum & Eccleſiam, vt ſimul etiam eius participationem per gratiam ſanctificantem habeat. Vnde Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 1. *Cùm igitur matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs per Chriſtum gratia præſtet, meritò inter noua legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres noſtri, Concilia, & vniuerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt.* Et ſanè cùm in vſu matrimonij inflammetur concupiſcentia, & abſorbeatur ratio, congruum fuit inſtitui aliquod Sacramentum, quod concupiſcentiam in illo actu temperaret. Item ſi ad gignendos filios ſpirituales, peculiarem gratiam Chriſtus contulit Sacerdotibus nouæ legis, quam Deus non contulerat Sacerdotibus legis antiquæ, cur ſimilem negabimus collatam coniugibus ad filios carnales gignendos, pieque educandos, & ad alia matrimonij onera ac officia ſuſtinenda & exercenda conuenienter? Demum, cum Chriſtus Matth. 19. abrogato repudio, matrimonium reddiderit indiſſolubile, & monogamum, vt ab initio erat congruum fuit, vt

 ſuam

ſuam gratiam adiungeret, ad ſuperandas difficultates, quæ ex omnimoda indiſſolubilitate & perpetua monogamia naſcerentur: alioquin, ſi matrimonijs Chriſtianorum talis deeſſet gratia, longè intollerabilius eſſet matrimonij iugum in lege Moſaica: antiquitus enim, ad compeſcendos effrænatos vxoris mores, licitum erat per libellum repudij illam dimittere, vel aliam ſimul cum illa ducere; nunc verò neutrum licet, cùm Chriſtus in lege Euangelica libellum repudij, & poligamiam abrogauerit.

Hoc Sacramentum, licet in ratione ſigni practici gratiæ, omnium infimum ſit, tamen vt ſignum ſpeculatiuum, & ſacrarum rerum ſymbolum, cætera omnia antecedit; ſignificat enim triplicem vnionem ſacratiſſimam, nimirum Dei cum anima, quam ſibi per fidem & charitatem deſponſat; Chriſti cum Eccleſia, quam ſub ſanguine mundatam, & deterſis maculis glorioſam ſibi ſponſam effecit; & Verbi Diuini cum natura humana, quam ſibi per vnionem hypoſtaticam indiſſolubili fœdere copulauit. Vnde D. Thomas ad Epheſ. 5. lect. 10. ad illa verba Apoſtoli *Sacramentum hoc magnum eſt*, ſic ait: *Notandum eſt hic, quod quatuor Sacramenta dicuntur magna: ſcilicet Baptiſmus, ratione effectus, quia delet culpam, & aperitianuam Paradiſi Confirmatio, ratione miniſtri, quia ſolùm à Pontificibus, & non ab alijs confertur Euchariſtia, ratione continentiæ, quia totum Chriſtum continet. Item matrimonium, ratione ſignificationis, quia ſignificat coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ.*

Quan-

Quandonam huius Sacramenti inſtitutio à Chriſto facta fuerit, omnino incertum eſt, & circa hoc varia ſunt Authorum placita. Quidam dicunt, matrimonium eleuatum fuiſſe à Chriſto ad rationem Sacramenti, in primo incarnationis momento: *Tunc enim* (inquit) Gregorius homil. 36. in Euang. *Deus Pater Deo Filio ſuo nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humanę naturæ coniunxit; quando Deum ante ſæcula fieri voluit hominem in fine ſæculorum.* Alij dum Chriſtus in Cana Galileæ, ſua præſentia nuptias decorauit. Vnde Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioan. cap. 2. poſtulans cur Chriſtus virginitatis amor, Virginis filius, ac Virginum ſponſus, Canæ nuptijs intereſſe voluerit? hanc potiſſimùm reddit rationem: *Vt natiuitatis noſtræ principium, quantùm ad carnem attinet, ſanctificaret. Exigebat enim ipſa carnis propagatione accepta infirmitas, eum qui totam naturam hominis, in meliorem ac feliciorem ſtatum reparabat, non ſolùm natis iam hominibus benedicere, verùm etiam naſcituris gratiam præparare, & aditum illorum ad hanc mortalem vitam, & authoritate miraculi, & ſuæ maieſtatis præſentia conſecrare.* Alij verò exiſtimant, Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum, cùm lege repudij abrogata, ad primam eius indiſſolubilitatem & vnitatem, matrimonium reuocauit, Matth. 19. Congruum enim fuit (inquiunt) vt ex tunc gratia ei adiungeretur, ad ſuperandas difficultates, quæ ex omnimoda indiſſolubilitate, & perpetua monogamia naſcerentur. Alij demum poſt reſurrectionem, illis quadraginta diebus, quibus apparens

Apoſtolis, ac loquens de regno Dei (hoc eſt de ſtatu militantis Eccleſiæ, vt exponit Gregorius homil. 12. in Euang.) illos de omnibus & ſingulis Sacramentis conficiendis & miniſtrandis inſtruxit.

In hoc Sacramento, ſicut in alijs, tria diſtingui debent, videlicet id quod eſt Sacramentum tantùm, quod eſt res tantùm, & quod eſt res & Sacramentum ſimul. In primis enim id quod eſt Sacramentum tantùm in matrimonio, eſt expreſſio externa & ſenſibilis interni conſenſus; quia in quolibet Sacramento, id eſt Sacramentum tantùm, quod eſt ſignum ſenſibile per ſe, & ratione cuius omnia alia ſentiuntur: expreſſio autem ſenſibilis conſenſus interioris per ſe ſentitur, & ratione eius habet coniunctio coniugum, & omnia alia quæſunt in matrimonio, quòd ſenſibilia ſint. Deinde in matrimonio res Sacramenti duplex eſt ex S. Thoma in 4. diſt. 26. qu. 2. art. 2. ad 5. vna cauſata & ſignificata, nempe gratia ipſa ſacramentalis; altera ſignificata, ſed non cauſata, videlicet vnio Chriſti cum Eccleſia, quam matrimonium non cauſat, ſed tantùm ſignificat. Demum maritalis coniunctio, ſiue vinculum illud quod ſequitur ex contractu matrimoniali, eſt in matrimonio res & ſacramentum ſimul, quia eſt ſimul ſignum & ſignificatum; ſignificatur enim per contractum, & ſimul vt per ipſum expreſſa, ſignificat gratiam ſacramentalem quæ datur coniugibus, & vnionem Chriſti cum Eccleſia & ſua humanitate.

Miniſtri huius Sacramenti ſunt ipſi contrahentes, non verò Sacerdos ipſos benedicens,

& hæc

& hæc verba , *Ego coniugo vos*, proferens. Ratio eſt , quia Chriſtus hoc Sacramentum inſtituens , nihil aliud fecit , quam contractum matrimonialem , naturali ac ciuili iure validum; in Sacramentum gratiæ collatiuum euehere ; ſubindeque eoſdem voluit eſſe huius Sacramenti miniſtros , ac contractus naturalis & ciuilis , qui eſt eius fundamentum : Sed talis contractus miniſtri ſunt ipſi contrahentes, qui per mutuum conſenſum ſe inuicem obligant ad mutuam ſui corporis traditionem: Ergo etiam ipſi ſunt miniſtri Sacramenti matrimonij , non verò Sacerdos nuptialem benedictionem ipſis tribuens. Vnde Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. affirmat matrimonia clandeſtina , quæ fiebant abſente Sacerdote , & ſine vllis verbis , fuiſſe valida , quandiu Eccleſia non fecit ea irrita. Et ſacra Congregatio Cardinalium , interpretationi huius Concilij præfectorum , declarauit Epiſcopo Salmantino , non pertinere ad ſubſtantiam matrimonij , vt Parrochus aliqua verba proferat. Item D. Thomas in 4. diſt. 26. quæſt. 2. art. 1. ad 1. ait : *Verba quibus conſenſus matrimonij exprimitur , ſunt forma huius Sacramenti , non autem benedictio Sacerdotalis, quæ eſt quoddam ſacramentale*, atque hoc idem repetit. diſt. 28. Vnde quando alibi videtur docere , Sacerdotes eſſe huius Sacramenti miniſtros,& verba quæ proferunt, illius formam, non loquitur de miniſtro & forma , quantùm ad ſubſtantiam , ſed quantùm ad ſolemnitatem , & cæremonias accidentales , ex præcepto Eccleſiæ requiſitas .

Nec valet ſi dicas , omne Sacramentum de-

bere neceſſariò habere miniſtrum ſacrum: hoc enim falſum eſſe patet in Baptiſmo, qui à laicis, imò & ab Ethnicis, validè, & in multis caſibus licitè adminiſtrari poteſt, vt in Tractatu de Baptiſmo declarauimus. Vnde ſicut laicus in ſtatu peccati mortalis baptizans paruulum in extrema neceſſitate conſtitutum, non peccat mortaliter, vt docent communiter Theologi; ita nec contrahentes matrimonium in mortali, ſi vt miniſtri huius Sacramenti conſiderentur; ſecùs verò, ſi vt recipientes tale Sacramentum.

De materia & forma huius Sacramenti, non parua eſt diſſenſio inter Doctores, ſed probabilior ſententia docet, eadem verba ſeu ſigna coniugum, quibus mutuùm conſenſum exprimunt, eſſe ſibi inuicem materiam & formam, ſecundùm diuerſas conſiderationes: nam quatenùs per ea mutuò ſua corpora coniuges tradunt, habent rationem materiæ; inquantum verò per ea corporum traditionem ſibi mutuò factam acceptant, habent rationem formæ. Ratio à priori eſt, quia matrimonium in ratione contractus, non differt à reliquis contractibus ciuilibus, neque vt Sacramentum eſt, diuerſam habet materiam & formam à ſeipſo, vt contractus eſt. Sed in contractibus ciuilibus, traditio, vt ſenſibili ſigno facta, habet rationem materiæ, acceptatio verò, verbis expreſſa, habet rationem formæ: Ergo & in matrimonio. Maior conſtat, minor verò ſic oſtenditur. Illud habet rationem materiæ quod ſe habet vt determinabile, quod verò eſt determinatiuum habet rationem formæ; Sed traditio habet ratio-

nem

nem determinabilis, completurque & perficitur per acceptationem, quæ ſe habet per modum determinantis: Ergo in contractibus ciuilibus traditio, vt ſigno ſenſibili facta, habet rationem materiæ, acceptatio verò rationem formæ.

Dices, cùm ipſi coniuges ſint miniſtri huius Sacramenti, vt ſupra oſtendimus, ſi ipſorum traditio habeat rationem materiæ, cauſa materialis & efficiens coincident in eandem perſonam, quod videtur abſurdum.

Reſpondeo nullum eſſe inconueniens, quod in hoc ſacramento cauſa materialis & efficiens coincidant in eaſdem perſonas; id enim videtur exigere natura contractus, in quo contrahentes ſeipſos tradunt, vt conſtat exemplo illius qui ſe in ſeruum alicui venderet; idem enim ſimul eſſet vendens & res vendita, ſubindeque illius contractus cauſa efficiens & materialis. Idem cum proportione dicendum eſt de coniugibus, contractum & Sacramentum matrimonij celebrantibus, habent enim ſecundum diuerſos reſpectus ſimul rationem cauſæ efficientis & materialis talis contractus & Sacramenti.

Quæres primò an matrimonium inter abſentes per procuratores contractum ſit verum Sacramentum?

Reſpondeo affirmatiuè: Matrimonium enim validum in ratione contractus naturalis & ciuilis, eſt inter fideles Sacramentum, quia Chriſtus Dominus inſtituendo Sacramentum matrimonij, non mutauit naturam contractus matrimonialis, ſed duntaxat illum ad eſſe ſupernaturale Sacramenti eleuauit: Atqui

qui matrimonium inter abſentes per procurã-tores contractum, eſt validum in ratione contractus naturalis & ciuilis; quia cùm procuratores ſint loco principalium, cum plena poteſtate contrahendi, quod ipſi faciunt, facere cenſentur principales contrahentes, vnde ſicut ex mutuo conſenſu vtriuſque coniugis, reſultat perfectus matrimonij contractus, ita & ex mutuo conſenſu vtriuſque procuratoris: Ergo matrimonium inter abſentes per procuratorem contractum, eſt verum Sacramentum.

Dices primò, Tridentinum ſeſſ. 24. de reform. cap. 1. videtur exigere præſentiam contrahentium ad rationem matrimonij; dicit enim quod Parrochus debet interrogare virum & fœminam, ipſiſque interrogatis, & conſenſu eorum intellecto, dicere: *Ego vos coniungo*: Ergo matrimonium inter abſentes per procuratores contractum, non eſt verum Sacramentum.

Sed nego conſequentiam, cùm enim procuratores ſubſtituantur loco contrahentium, poſſunt interrogari à Parrocho de conſenſu eorum, expreſſiſque contrahentium conſenſibus dicere poteſt Parrochus cum veritate, *Ego vos coniungo*: quia licet illi ſupra quos proferri debent verba illa, ſint phyſicè abſentes, ſunt tamen moraliter præſentes quod ſufficit ad rationem contractus ciuilis, ſubindeque ad rationem Sacramenti inter fideles. Ex quo intelliges diſcrimen quod inter hoc Sacramentum & alia reperitur; cùm enim baptiſmus v. g. aut pœnitentia non ſint contractus, requirunt quod præſentia ſubie-

ćti, expreſſa per illa verba, *Ego te baptizo*, *Ego te abſoluo*, ſit phyſica; ex quo fit quod nec baptiſmus, nec abſolutio poſſunt conferri abſenti. E contra verò cùm Sacramentum matrimonij conſiſtat in contractu, requirit ſolùm præſentiam moralem inter contrahentes, ſubindeque ab abſentibus validè ſuſcipi poteſt. Nec vllum eſt inconueniens admittere, quod vir & fœmina, qui fortè eo tempore quo procuratores pro ipſis contrahunt, dormiunt, dormiendo recipiant gratiam, vt patet in eo qui voluntatem habuit ſuſcipiendi baptiſmum; vel pati martyrium, ſi enim in ſomno baptizetur, vel in odium fidei occidatur, dormiendo recipiet gratiam, & ſi ſit in ſtatu peccati, iùſtificabitur, ſi priuſquam ſe ſomno traderet, attritionis actum elicuerit, vt communiter docent Theologi.

Ex his colligitur, quod ſicut matrimonium inter abſentes, per procuratores contractum, validum eſt, non ſolùm in ratione contractus, ſed etiam in ratione ſacramenti; ita & matrimonium per litteras contractum, quia litteræ ſuccedunt loco contrahentium, ſicut & procuratores. Vnde l. *Mulieres* ff. de ritu nuptiarum ſic dicitur: *Mulierem abſenti per litteras eius vel nuntium poſſe nubere placet*. Si ergo vir ſcribat fœminæ, ſe non modò ſui corporis dominium de præſenti ei tradere, ſed ex tunc ſimul corporis eius traditionem, cùm primùm coram Parocho & teſtibus facta fuerit, acceptare; & mulier viro ſimiliter reſcribat, ſe viciſſim velle illum in maritum, & corporis eius traditionem acceptare, ſtatim ac hoc reſcriptum coram Parrocho & teſtibus

bûs lectum fuerit ; tunc lectis vtriuſque litteris, matrimonium & in ratione contractus & in ratione ſacramenti perficitur .

Quæres ſecundò , an poſſit in matrimonio fidelium ſeparari ratio contractus à ratione ſacramenti ? Reſpondeo id poſſe fieri , ſi enim fideles matrimonium contrahentes , non intendant conficere ſacramentum , illud non erit ſacramentum, defectu intentionis requiſitæ in miniſtris , qui in hoc ſacramento non ſunt alij , quam ipſi contrahentes , vt ſupra oſtenſum eſt ; non amittet tamen vim obligandi in ratione contractus naturalis & ciuilis, cùm Chriſtus eleuando matrimonium ad rationem ſacramenti , non abſtulerit ab eo naturalem, ciuilemq; obligationem, quam vt contractus naturalis & ciuilis , ex reciproco contrahentium conſenſu hactenus habuerat: Ergo in tali matrimonio ſeparabitur ratio cōtractus à ratione ſacramenti. Id tamen non licet, tum quia id non poteſt fieri abſq; irriuerentia ſacramenti; tum etiam, quia Chriſtiani tenentur more & ritu Chriſtiano contrahere, nec ponere obicem gratiæ ſacramentali , quam Chriſtus adiunxit matrimonio.

Quæres tertiò , an ſi fidelis cum diſpenſatione Pontificis nuberet cum infideli non baptizato , tale matrimonium eſſet ſacramentum, ſaltem ex parte coniugis fidelis ? Reſpondeo quod non, ſicut enim vt matrimonium ſit validum in ratione contractus, requirit liberum conſenſum ex parte vtriuſq; coniugis, ita vt ſit validum in ratione ſacramenti , exigitur intentio & miniſterium ex parte vtriuſq; cùm ipſi contrahentes ſint huius ſacramenti miniſtri ;

ſtri: Sed infidelis non baptizatus nequit eſſe legitimus miniſter matrimonij in ratione ſacramenti, cùm non minùs ſacramenti effectio, quam receptio, ad ſui validitatem characterem baptiſmalem requirat: Ergo matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, nequit eſſe ſacramentum. Idem dicendum de matrimonio contracto inter fideles, quando vnus contrahentium intendit ſacramentum, alter verò non: ſicut enim matrimonium eſt indiuiſibiliter vnicus contractus, ita eſt indiuiſibiliter vnicum ſacramentum, ac proinde ſicut non poteſt claudicare in ratione contractus, ita nec in ratione ſacramenti.

Quæres quartò, vtrum matrimonium ab infidelibus validè contractum, fiat ſacramentum, quando illi conuertuntur ad fidem, & baptizantur; præſertim ſi tunc accedat nouus conſenſus, ſigno aliquo ſenſibili expreſſus, cum intentione faciendi quod Chriſtus inſtituit, & facit Eccleſia? Reſpondeo negatiuè, intentio enim ſequens contractum priùs initum, non poteſt efficere vt quod non fuit ſacramentum, incipiat eſſe tale; præſertim cùm ratio ſacrament i ſit annexa fieri ipſius matrimonij, non verò facto eſſe illius, ſicut baptiſmus conſiſtit in fieri ablutionis & prolationis verborum: vnde quemadmodum ille qui ablueret puerum, & verba proferret, non habens intentionem illum baptizandi, non conficeret ſacramentum, quamuis peracta ablutione, & prolatione verborum, talem haberet intentionem: ita ſimiliter, ſi quando coniuges contrahunt, non habeant intentionem conficiendi ſacramentum, illud non

con-

conficiunt, quamuis poſtea ſuperueniat intentio illud conficiendi; quia tunc non efficiunt nouum matrimonium, ſed duntaxat præcedens ratificant & confirmant. Cùm enim vterque coniux dominium ſui corporis in alterum perfectè tranſtulerit, ac reipſa illud maritali copula tradiderit, non poteſt circa eadem corpora nouus fieri contractus, qui noui ſacramenti ſit fundamentum. Sicut ſi quis tentaret nouum contractum venditionis facere circa rem alteri validè venditam ac traditam, nihil efficeret, defectu materiæ ad nouam venditionem & emptionem habilis.

CAPVT IV.

De conſenſu ad matrimonium requiſito.

CErtum eſt requiri conſenſum ad matrimonium, quatenus contractus eſt. cùm contractus matrimonij vtriuſque coniugis conſenſum includat formaliter, taliſque conſenſus cauſet vinculum illud ſeu obligationem, in qua diximus ſupra cap. 2. eſſentiam matrimonij conſiſtere. Vnde can. *Sufficiat* 27. q. 2. ait Nicolaus Papa: *Si ſolus in nuptijs conſenſus defuerit, cætera omnia fruſtrantur.* Conſtat etiam, conſenſum vtriuſque coniugis requiri ad matrimonium, vt eſt ſacramentum, tum quia ſacramentum in contractu fundatur, vnde ſi conſenſus neceſſarius ſit ad contractum, etiam neceſſarius erit ad ſacramentum. Tum etiam, quia nullum ſacramen-

tum

tum perficitur abſq; voluntate & intentione miniſtri: Sed contrahentes ſunt miniſtri, non ſolùm contractus ciuilis, ſed etiam ſacramenti matrimonij, vt ſupra oſtenſum eſt: Ergo ſine illorum conſenſu ſacramentum matrimonij, ſaltem de lege ordinaria, perfici nequit. Dixi *ſaltem de lege ordinaria*, quia Deus de potentia abſoluta poteſt ſupplere conſenſum, & non expectato coniugum conſenſu, transferre dominium corporis fœminæ in poteſtatem viri, & è conuerſo; cùm ſit abſolutus dominus humani corporis, & totius hominis, & maiorem habeat poteſtatem in corpora coniugum, quam ipſi coniuges. Nec ſolùm habeat dominium in corpora, ſed etiam in corda, ſubindeque mutuum amorem & obſequium inter coniuges, neceſſarium ad prolis educationem, poſſit in eorum cordibus excitare & cauſare. Deum hac poteſtate vſum fuiſſe in coniugio Oſeæ & mulieris fornicariæ, probabile eſt, & inſinuatur à S. Thoma 1. 2. q. 100. art. 8. ad 2. his verbis: *Oſeas accedens ad vxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non eſt mœchatus, nec fornicatus, quia acceſſit ad eam quæ ſua erat ſecundùm mandatum Dei, qui eſt author inſtitutionis matrimonij*. Nulla tamen poteſtas humana, ciuilis, vel Eccleſiaſtica, poteſt efficere vinculum matrimonij ſine conſenſu coniugum, quia licet Principes Eccleſiaſtici & ſæculares habeant dominium in corpora quorundam, eorum nimirum quos propter delicta poſſunt priuare vita & omnibus bonis, non tamen in animos & corda illorum, vt poſſint mutuum amorem, ad vinculum coniugale neceſſarium,

in illis excitare & cauſare, ſicut Deus.

His præmiſſis, breuiter explicandæ ſunt conditiones requiſitæ ad conſenſum matrimonialem, vt validus ſit. In primis ergo talis conſenſus debet eſſe verus, vnde ſi ex parte vnius contrahentium ſit fictus, matrimonium eſt nullum, vt patet ex cap. *Tua nos* de ſponſalibus, & ratio eſt, tum quia ſine vero conſenſu non ſtat verus contractus, in quo ſitum eſt matrimonium. Tum etiam, quia matrimonium, vt ſupra dicebamus, eſt vinculum quoddam mutui atq; perpetui amoris: repugnat autem mutuum amorem eſſe ſine vero affectu atq; conſenſu: Ergo & matrimonium. Vnde in tali caſu, vt matrimonium fiat validum, ille qui fictè contraxit, debet verè contrahere, & fictum conſenſum in verum commutare. Neq; tunc hoc ſufficit ad reualidandum matrimonium, ſed requiritur inſuper conſenſus nouus alterius coniugis qui verè contraxit, ſigno aliquo externo expreſſus, vt definiuit Clemens VIII. qui (vt teſtatur Comitolus lib. 1. moral. reſp. 5. qu. 1.) interrogatus, an in eo caſu quo fœmina fictè contraxit, ac reualidandum matrimonium ſufficiat quod illa ponat verum conſenſum, eumq; ſigno aliquo exteriori manifeſtet? Reſpondit, neceſſarium eſſe nouum conſenſum vtriuſque coniugis, coram Parrocho & teſtibus, admonito priùs marito de matrimonij nullitate. Sed ad euitandum ſcandalum diſpenſauit, vt ſecreto inter ſe contraherent, renouato conſenſu, & prolem ex tali matrimonio genitam legitimauit.

Secundò conſenſus matrimonialis debet

eſſe

eſſe plenè deliberatus, id eſt factus cum aduertentia de ſe ſufficienti ad mortale; quia prudenti iudicio talis deliberatio cenſetur neceſſaria, vt quis ſibi imponat obligationem grauem, vt eſt vinculum matrimoniale.

Tertiò debet eſſe ſigno aliquo exteriori expreſſus, tum quia matrimonium eſt contractus humanus, qui eſſentialiter requirit conſenſum internum, ſigno exteriori expreſſum, & ad alterum, modo humano, id eſt ſenſibili, practicè directum. Tum etiam, quia eſt ſacramentum, de ratione enim ſacramenti, vt ſit ſignum aliquod ſenſibile.

Quartò debet eſſe liber à coactione ſeu metu, ſubindeque ſi conſenſus, metu graui, ſeu cadente in conſtantem virum extortus ſit, matrimonium eſt inualidum, non iure naturali, ſed Eccleſiaſtico. Licet enim probabilius ſit, omnem contractum, adeòque etiam matrimonium, iure naturæ, in tali caſu eſſe validum; hunc tamen ſpecialiter, irritauit ius poſitiuum, vt conſtat cap. *Cum locum*, 14. & cap. *Veniens* 15. De ſponſal. & cap. 2. *De eo qui duxit* &c. Ratio autem quæ Eccleſiam ad id compulit, fuit, quia cùm vinculum matrimonij ſit perpetuum & indiſſolubile, voluit vt eius celebratio eſſet ita libera & ſpontanea, vt ad eam aliena vi & iniuria nemo cogeretur. Qua etiam de cauſa irritat vota ſolemnia religionis, facta ex metu cadente in virum conſtantem.

Ex hoc colligitur, matrimonia graui metu contracta, inter infideles eſſe valida, ſicut & matrimonia clandeſtina, ſi nullum ius ciuile ea apud ipſos irritet; cùm illi legibus Eccle-

ſiæ,

ſiæ, talia matrimonia irritantis, non ſubdantur.

Quintò ad eſſentiam & valorem matrimonij non requiritur conſenſus explicitus in copulam, ſed ſufficit implicitus, ſeu qui feratur in translationem dominij proprij corporis in ordine ad actum coniugalem. Ita D. Thomas hic qu. 48. art. 1. vbi dicit *conſentire in matrimonium, idem eſſe ac conſentire in carnalem copulam implicitè, non explicitè, non enim debet intelligi, niſi ſicut implicitè continetur effectus in ſua cauſa; quia poteſtas carnalis copulæ, in quam conſentitur, eſt cauſa carnalis copulæ ſicut poteſtas vtendi re ſua, eſt cauſa vſus.* Et 3. p. q. 29. art. 2. aſſerit *omnino verum fuiſſe matrimonium Virginis matris Dei, & Ioſeph, quia vterque conſenſit in copulam coniugalem* (id eſt in vinculum coniugale) *non autem expreſsè in copulam carnalem, niſi ſub conditione, ſi Deo placeret.* Ergo iuxta D. Thomam, ad contrahendum validè matrimonium, non eſt neceſſarium vt coniuges conſentiant explicitè in copulam carnalem, & velint eam exercere, ſed poſſunt habere contrarium propoſitum, & votum nunquam exercendi, ſicut habuit B. Virgo. Ratio eſt, quia copula carnalis non eſt de eſſentia matrimonij, ſed tantùm eſt vſus poteſtatis per illud acceptæ: Sed poteſtas ab vſu ſeparari poteſt, & accipi poteſtas ad vſum, ſine voluntate vnquam illam exercendi, imò etiam cum expreſſa voluntate contraria: Ergo conſenſus explicitus in copulam non eſt de eſſentia matrimonij.

Confirmatur & magis illuſtratur hæc ratio,

tio, hoc exemplo. Sicût in fundo duplex dominium diſtingui ſolet, alterum proprium ac directum, alterum vtile quoad vſum-fructum poteſtque dominium directum ab vtili ſeparari, & vnum tradi ſine altero, vt contingit quando Dominus dat Vaſſallo agrum in Feudum, vel Emphyteuſim; tunc enim dominium directum & ſupremum ſibi retinet, & ad Vaſſallum ſeu vſufructuarium transfert vſumfructum ſeu dominium vtile. Ita in matrimonio diſtingui poteſt dominium directum in corpus vtriuſque coniugis à dominio vtili, quoad vſum copulæ, vnumque ab altero ſeparari, ex mutuo pacto inter coniuges; concedendo videlicet dominium directum ſuorum corporum, & denegando dominium vtile, quoad vſum copulæ, ſiue ad tempus, ſiue in perpetuum. Et hoc modo B. Virgo ſe geſſit erga S. Ioſephum ipſius coniugem, illi enim ſolùm dedit dominium directum corporis ſui, non autem dominium vtile, ſiue vſumfructum ſui corporis, quoad copulam, ſed potiùs, ex mutuo pacto, vterque ſibi, eum retinuit. Plura alia ſunt ſanctorum coniugum exempla qui virginitatem in matrimonio *illibatam* ſeruarunt, Elzeari & Delphinæ, Eduardi Anglorum Regis & Edithæ, Henrici Imperatoris & Cunegundis. Celebratur etiam Græcorum hiſtorijs coniugium Marciani Imperatoris, & Pulcheriæ initum, poſt datam vtrinq; fidem mutuæ continentiæ.

Ex dictis intelliges, quod licet matrimonium inter B. Virginem & S. Ioſephum celebratum, caruerit aliqua perfectione accidentali, nimirum copula coniugali, & iure ex-

expedito ad illam, fuit tamen perfectum ſubſtantialiter, cùm nihil ei defuerit ex his quæ ad ſubſtantiam matrimonij requiruntur, nempe nec traditio corporum, nec dominium directum ipſorum, quamuis, ex mutuo conſenſu, à dominio vtili, quoad vſum copulæ, imò & à conſenſu explicito in illam, fuerit ſeparatum. Item in eo fuit indiſſolubilis coniunctio animorum, & fides coniugalis, perfectiſſimè ſeruata, variaque coniugum obſequia ſibi mutuò præſtita. Præterea matrimonium illud in ſuo genere perfectiſſimum fuit; cùm perfectiſſimè aſſecutum fuerit finem ad quem à Deo fuit ordinatum, qui non fuit prolis ex mutuo concubitu ſuſceptio, ſed prolis, Spiritus Sancti operi in vtero B. Virginis formatæ, protectio & educatio; nec non altiſſimi myſterij occultatio, & pudicitiæ B. Virginis, ac famæ, honoris, & integerrimæ virginitatis eius, conſeruatio & protectio, quod hanc ſanctiſſimi huius matrimonij præſtantiam & dignitatem, mirum in modum commendat. Cùm cætera matrimonia, ad perdendam & deſtruendam virginitatem coniugum ordinentur, iſtud mirabili Dei diſpenſatione, ad eam conſeruandam & protegendam inſtitutum fuit. Quod belliſſimè quidam, ſimilitudine vlmi, vitem obumbrantis, & à ſolis ardoribus protegentis expreſſit, addito hoc lemmate: *protegit non fœcundat.*

Demum ſpectata ſola rei natura, & ſemota conſtitutione Eccleſiaſtica, vel ciuili, conſenſus clandeſtinus eſt ſufficiens ad valorem matrimonij, vt docet D. Thomas hic q. 45. art. 5. probatq; ex eo quod conſenſus de præſen-

ſenti inter legitimas perſonas matrimonium facit, alia verò ſunt tantùm de ſolemnitate, & ad hoc adhibentur, vt matrimonium conuenientiùs fiat. Tridentinum tamen ſeſſ. 24. de reform. matrimonij, clandeſtina matrimonia irritauit, his verbis: *Qui aliter quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi ſeu ordinarÿ licentia, & duobus vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat.* Circa quod decretum grauis eſt difficultas, quomodo potuerit Eccleſia matrimonia conſenſu clandeſtino facta irritare, & efficere quod conſenſus clandeſtinus, qui ante Tridentinum erat ſufficiens materia & forma matrimonij, non ſit ampliùs ſufficiens materia & forma illius, Eccleſia enim non habet poteſtatem mutandi materias & formas ſacramentorum, cùm hoc ſit proprium poteſtatis excellentiæ quæ eſt in Chriſto, vt in Tractatu de Sacramentis in communi declarauimus. Sed ad hoc reſpondetur, Eccleſiam duobus modis matrimonia clandeſtina irritare potuiſſe, primò indirectè & mediatè, reddendo perſonas inhabiles ad contrahendum, vt inhuit Tridentinum in prædicto decreto: ſecundò directè & immediatè, caſſando & irritando contractus matrimoniales, conſenſu clandeſtino factos; cùm enim Eccleſia ſit reſpublica bene ordinata à Chriſto, debuit in ea eſſe poteſtas ad regulandos contractus ſuorum ſubditorum, atque adeò potuit ſtatuere quaſdam conditiones,

tes, ſine quibus tales contractus ſint irriti: in quo non mutauit materiam vel formam ſacramenti matrimonij, formaliter ſumptas (nam materia & forma ſacramenti matrimonij, etiã poſt Tridentini decretum, eſt contractus legitimus, ſicut ante) ſed tantùm materialiter, faciendo ſcilicet quod contractus clandeſtinus, qui antea erat legitimus, non ſit ampliùs legitimus, nec per conſequens eleuabilis ad dignitatem ſacramenti. Sicut ſi quis haberet poteſtatem mutandi aquam in vinum, poſſet mutare materiam ſacramenti Baptiſmi, materialiter (hoc eſt efficiendo quod ea quæ erat vera aqua naturalis, iam non ſit ampliùs aqua naturalis, nec per conſequens materia Sacramẽti Baptiſmi) ſed non formaliter, quia ſemper verum eſſet, quod aqua & naturalis, eſſet materia Sacramenti Baptiſmi, à Chriſto inſtituta.

Quæres primò, an ſi Parrochus inuitus & per violentiam interſit matrimonio, illud validum ſit? Reſpondeo affirmatiuè, ſic enim declarauit ſacra Congreg. Card. Conc. Trid. interp. anno 1593. his verbis: *Congregatio Concilij cenſuit, matrimonium coram Parocho & teſtibus contractum, niſi aliud obeſt, validum eſſe, quamuis Parrochus inuitus interfuerit, & alia de cauſa, quam vt matrimonio intereſſet, à contrahentibus accerſitus fuerit.*

Quæres ſecundò, an matrimonia celebrata ſine proclamationibus, ſint clandeſtina? Reſpondeo negatiuè, dummodò fiant coram Parocho, & duobus vel tribus teſtibus. Sic enim pariter declarauit eadem Congregatio Cardinalium his verbis: *Congregatio cenſuit, matrimonium contractum, non præmiſſis*

miſſis denuntiationibus, niſi aliud obſtet irritum non eſſe. Peccant tamen grauiter, qui ſine diſpenſatione, vel legitima cauſa excuſante, non præmiſſis proclamationibus, matrimonium contrahunt, quia eſt res grauis, & Tridentinum ſtrictiſſimè præcipit, vt tales proclamationes celebrationi matrimonij præmittantur.

Ex dictis colligitur, matrimonia clandeſtina, ideſt facta ſine præſentia Parochi & duorum teſtium, valida eſſe, ſi contrahantur in ijs locis, in quibus Tridentini conſtitutio non eſt recepta; licet contrahentes peregrini ſint, imò licet de induſtria eò ſe contulerint, vt validè contraherent, ſicut docent Sanchez, Pontius, & alij. Item ſi duo contrahentes clandeſtinè ſint diuerſarum Parochiarum, in quarum vna publicatum fuerit decretum Tridentini, non verò in altera, valet matrimonium, ſi fuit celebratum in ea Parochia, in qua decretum nondum fuit receptum, vt ſacra Congregatio Cardinalium ad cap. 1. decreti de reformatione matrimonij declarauit.

CAPVT V.

De indiſſolubilitate Matrimonij.

INdiſſolubilitas triplici titulo matrimonio conuenit: Primò ex ſua inſtitutione, Deus enim inſtituendo matrimonium in ſtatu innocentiæ, præceptum dedit de eius indiſſolubi-

ſubilitate, vt conſtat ex verbis illis Geneſ. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Quæ verba fuiſſe à Deo dicta, & per Adam poſteris promulgata, ſignificauit Chriſtus Matth 19. dum hæc verba, non in Adam, ſed in Deum retulit, vt declarat Auguſtinus lib. 9. ſuper Geneſim ad litteram, vbi hæc habet: *Hæc verba eùm primi hominis fuiſſe Scriptura teſtetur, Dominus tamen in Euangelio Deum dixiſſe declarauit, vt hinc intelligeremus propter extaſim quæ præceſſerat in Adamo; hoc eum diuinitùs tanquam Prophetam dicere potuiſſe.* Similiter Tridentinum ſeſſ. 24. initio ait, *Matrimonij perpetuum indiſſolubilemque nexum, primus humani generis parens, Diuini Spiritus inſtinctu pronuntiauit, cum dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis* &c. Et paulò poſt addit, Chriſtum eiuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tantò ante pronuntiatam his verbis confirmaſſe Matth. 16. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Quare præceptum diuinum de indiſſolubilitate matrimonij, in quo, tempore legis Moſaicæ, per repudij libellum diſpenſatum erat, fuit in lege Euangelica in priſtinum vigorem à Chriſto reſtitutum. Vnde Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. *Præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat &c.*

Secundò matrimonium iure naturali indiſſolubile eſt, quia natura ſua ordinatur ad conuenientem prolis generationem & educationem, ad quam requiritur indiſſolubilitas con-

iu-

iugij, ſine qua prolis educatio facilè negligeretur, & mutuus amor inter coniuges ad matrimonij fines neceſſarius minueretur. Vnde vt notat D. Thomas 3. contra Gent. cap. 123. aues illæ ad quarum prolem educandam requiritur vtriuſque parentis opera, tandiu commanent ſimul, quoad vſque proles ſit perfectè educata & inſtructa, vt ipſa ſibi valeat de neceſſarijs prouidere.

Tertiò matrimonium in lege Euangelica, ſpeciali titulo indiſſolubile eſt, quia nimirum à Chriſto eleuatum eſt ad dignitatem Sacramenti, ſignificantis duplicem Verbi cum natura humana, & Chriſti cum Eccleſia, coniunctionem firmiſſimam ac prorſus indiſſolubilem; vnde quia perfectiùs duplicem illam vnionem ſignificat matrimonium conſummatum, quam ratum, maiorem etiam habet indiſſolutionem; nam matrimonium ratum & nondum conſummatum, in aliquo caſu ſolui poteſt, cùm nimirum vnus ex coniugibus ante conſummationem, profeſſionem emittit in aliqua religione approbata, vt infra dicemus: matrimonium verò conſummatum, in nullo prorſus caſu in lege Euangelica ſolubile eſt.

An verò in lege Moſaica ſolui potuerit per libellum repudij, Deo in lege naturæ diſpenſante, controuerſia eſt inter Theologos; plures enim exiſtimant, libellum repudij non fuiſſe permiſſum à Moyſe vt licitum, ſed vt toleratum, ad vitanda grauiora mala, ſicut permittuntur à Principibus lupanaria. Vnde iuxta hanc ſententiam, peccabant Iudæi dimittendo ſuas vxores, & vinculum matrimo-

nij per libellum repudij non ſoluebatur, ac proinde ſi mulieres dimiſſæ accipiebant nouos maritos, non erat nouum ac verum matrimonium, ſed adulterium. Ita Magiſter, D. Bonauentura, Eſtius, Syluius, & alij, quibus videtur fauere D. Hieronymus in cap. 19. Matth. ad verba illa, *Moyſes ad duritiam &c.* Alij verò docent, ſub lege Moſaica, Deo diſpenſante in lege naturali, permiſſum fuiſſe Iudæis repudiare vxores, non ſolùm impunè, ſed etiam licitè, ita vt non peccarent repudiando, & per libellum repudij vinculum coniugale ſolueretur. Ita D. Thomas ſuper cap. 19. Matthæi, Albertus Magnus, Durandus, Paludanus, Bellarminus, Sanchez, & alij communiùs, ac probabiliùs. Nam Deuteron. 24. ſic dicitur: *Si acceperit homo vxorem, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fæditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua, &c.* Hæc autem verba, & ſequentia, apertè ſignificant licentiam & poteſtatem iuris viro, ad repudiandam vxorem, & vxori repudiatæ, ad nubendum alteri datam; non verò ſolam tolerantiam rei illicitæ, ad vitandum maius malum: Ergo per legem repudij permittebatur Iudæis, non ſolùm impunè, ſed etiam licitè, repudiare vxores. Vnde nunquam in tota Scriptura legitur, quod repudiantes vxores, ſeruato modo à Moyſe ſcripto, reprehendantur, vel quod matrimonia repudiatarum cum alijs viris, improbentur, & tanquam adulteria habeantur. Nec obſtat, quod lex prohibens ne repudiata, quæ alteri nupſerat, mortuo ſecundo viro, reciperetur à prio-

à priori, rationem huius prohibitionis reddat, *quia polluta eſt, & abominabilis facta coram Domino.* Nam vt ait S. Thomas hic quæſt. 67. artic. 4. ad 5. repudiata quæ alteri nupſit, dicitur polluta & abominabilis coram Domino, legaliter, eo modo quo immundus dicebatur in eadem lege Moſaica, qui mortuum tangebat, vel leproſum, non immunditia culpæ, ſed cuiuſdam irregularitatis legalis. Non obeſt etiam quod Chriſtus Matth. 19. dicat, Moyſem permiſiſſe Iudæis vxores dimittere, propter *duritiam cordis* eorum: his enim verbis ſolùm ſignificat, duritiam cordis fuiſſe occaſionem permiſſionis, non verò intendit, ipſam permiſſionem non fuiſſe veram & poſitiuam conceſſionem dimittendi vxorem, ſed ſolam tolerantiam ad vitanda mala grauiora.

Quamuis autem matrimonium in lege Euangelica, triplici titulo ſupra explicato indiſſolubile ſit, ſunt tamen duo caſus, in quibus ſolui poteſt, ex ſpeciali Chriſti diſpenſatione, id concedentis in gratiam fidei, vel ſtatus religioſi. Primus eſt, quando ex duobus infidelibus coniugatis, vnus conuertitur ad fidem, & alter non vult pacificè, & ſine contumelia Creatoris, habitare cum illo: tunc enim licet coniugi ad fidem conuerſo deſerere infidelem, & ad alias ſi voluerit nuptias tranſire. Ita definit Innocentius III. cap. *Quantò* de diuortijs, vbi ſic ait: *Si alter infidelium coniugum ad fidem Catholicam conuertatur, altero, vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, ad*

ſecunda, ſi voluerit, vota tranſire poteſt. Hoc priuilegium in fauorem fidei & Chriſtianæ religionis à Chriſto conceſſum, deducitur ex verbis illis Apoſtoli 1. Corinth. 7 *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat &c. Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in huiuſmodi*. Quę vltima verba, iuxta communem Doctorum explicationem, ſignificant quod ſi coniux infidelis, odio Chriſtianæ religionis, ſpontè receſſerit à coniuge fideli, coniux fidelis non ſubijcitur ſeruituti; vt debeat remanere in cœlibatu, ſed poteſt alteri nubere. Quod à fortiori dicendum eſt, ſi infidelis remaneat quidem cum fideli, ſed cum iniuria Creatoris, & ſpirituali damno conuerſi coniugis, quia hoc eſt deterius quam ſi diſcederet. Quod ſi infidelis nolit quidem conuerti, ſit tamen paratus cohabitare cum conuerſo ad fidem, pacificè, & ſine contumelia Creatoris, iſte non poteſt, iuxta D. Thomam hic quæſt. 59. art. 5. tranſire ad ſecundum matrimonium; Chriſtus enim hoc priuilegium infidelibus conuerſis non conceſſit, niſi in gratiam fidei, quæ tunc non periclitatur.

Secundus caſus eſt, quando alter coniugum, ante conſummationem matrimonij, ingreditur religionem ab Eccleſia approbatam, & in ea profeſſionem emittit; tunc enim ſoluitur vinculum matrimonij rati & nondum conſummati, ex ſpeciali Chriſti priuilegio, in fauorem ſtatus religioſi conceſſo, vt conſtat ex Tridentino ſeſſ. 24. can. 6. vbi ſic habetur; *Si quis dixerit matrimonium ra-*

tum,

tum, non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius coniugis, non dirimi, anathema ſit. Id priùs definierat Innocentius III. cap. *Ex parte ſecunda*, de conuerſ. coniugat. vbi declarat, *antequam matrimonium ſit per carnalem copulam conſummatum, licere alteri coniugum, reliquo inconſulto, ad religionem tranſire, ita quod reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari*, Idem aſſerit Alexander III. cap. *Verum*, & cap. *Ex publico*, eodem titulo, conceditque vxori (idem ſentiendum eſt de marito) ſpatium duorum menſium, intra quod non teneatur conſummare matrimonium, ſed de ingreſſu religionis deliberare poſſit, ſi velit: quo elapſo, tenentur coniuges mutuò reddere debitum, ſi exigatur.

Huius priuilegij nulla poteſt alia ratio aſſignari, quam voluntas Chriſti, in fauorem religionis diſpenſantis in lege naturæ, & in lege Euangelica de matrimonij indiſſolubilitate. Hanc tamen congruentiam affert S. Thomas in 4. diſtinct. 27. qu. 1. artic. 3. quæſt. 1. in corp. *Quod ante carnalem copulam eſt inter coniuges tantùm ſpirituale vinculum, ſed poſt eſt inter eos etiam vinculum carnale; & ideò ſicut poſt carnalem copulam matrimonium ſoluitur per mortem carnalem, ita per ingreſſum religionis ante carnalem copulam ſoluitur, quia religio eſt mors quædam ſpiritualis, qua aliquis ſæculo moriens, viuit Deo.*

Quæres primò, an Summus Pontifex in matrimonio rato, ſed non conſummato diſpenſare, eiuſque vinculum dirimere poſſit? Reſpondeo ſententiam affirmantem probabilem eſſe,

ob facta aliquorum Pontificum, qui in matrimonio rato diſpenſarunt, negantem tamen videri probabiliorem. Primò, quia ſi non poſſit Summus Pontifex, vt fatentur omnes, diſpenſare in poligamia, ſiue ante, ſiue poſt conſummationem matrimonij, multò minùs in indiſſolubilitate; cùm indiſſolubilitas magis repugnet naturæ & fini matrimonij, quam poligamia; quia diſſoluere matrimonium eſt omnino ipſum deſtruere, cùm eſſentialiter conſiſtat in nexu, non verò ſecundam vxorem primæ ſuperinducere.

Secundò, ratio præcipua quæ inducit Aduerſarios ad aſſerendum Chriſtum reliquiſſe Summo Pontifici poteſtatem diſpenſandi in matrimonio rato, eſt quia hoc expedire videtur ad bonum publicum Eccleſiæ, & ſaluti ſpirituali animarum: At hæc ratio probat quoque Papam à Chriſto accepiſſe poteſtatem diſpenſandi in poligamia, & matrimonio conſummato; quia ſimiliter bonum publicum Eccleſiæ exigere videtur, vt in illis Pontifex diſpenſare poſſit; putà ſi aliquis Princeps Chriſtianus duxiſſet vxorem ſterilem, & niſi hæredes regni relinqueret, princeps alius infidelis, vel hæreticus, deberet ei ſuccedere: Ergo ruit præcipuum fundamentum aduerſæ ſententiæ. Vnde plures docti & pij Pontifices, illam minùs probabilem iudicarunt, eamque ad praxim reducere, & in matrimonio rato diſpenſare, conſtanter renuerunt, vt de Innoc. VIII. Adriano VI. & Pio V. refertur.

Quæres ſecundò, vtrum ob adulterium alterius ex coniugibus, matrimonium quoad vinculum diſſoluatur? Reſpondeo negatiuè, ſic

ſic enim definitur in Tridentino ſeſſ. 24. can. 7. his verbis: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cùm docuit, iuxta Euangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, matrimonÿ vinculum non poſſe diſſolui, &c. anathema ſit.* Ratio etiam ſuffragatur, ſi enim per adulterium maritale vinculum ſolueretur, per illud coniux adultera aperiret ſibi viam ad ſecundas nuptias, ſubindeque melioris eſſet conditionis, quæ cauſa adulterij, quam quæ innocens dimitteretur, quod eſt abſurdum.

Neque his obſtat illud Chriſti Matth. 19. *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur:* Chriſtus enim per hanc exceptionem (*niſi ob fornicationem*) non ſignificare voluit, eum qui dimittit vxorem, ob fornicationem, & aliam ducit, non mœchari; cùm enim illa exceptio (vt rectè Ianſenius Gandauenſis, & alij annotarunt) non afficiat totam ſententiam, ſed solùm primam eius partem, facit hunc ſenſum: *Quicumque dimiſerit vxorem* (quod non licet niſi ob fornicationem) *& aliam duxerit, mœchatur.* Quod ſi opponas, ſeparationem quoad thorum fieri propter alias cauſas, quam ob fornicationem, & per conſequens exceptionem fornicationis, non intelligi de ſeparatione quoad thorum, ſed quoad vinculum. Reſpondetur negando conſequentiam; licet enim aliæ non deſint cauſæ ſeparationis quoad thorum, ibi tamen Chriſtus non fecit mentionem, niſi ſolius fornicationis, quia iſta, cùm importet diuiſionem carnis à carne, eſt cauſa per ſe & directè re-

pugnans matrimonio, cùm aliæ ſolùm per accidens opponantur ſocietati coniugali, nec eam diuidant ſpeciali titulo, ſed communi cuiuis ſocietati.

Quod ſi aliquis contendat, prædictam exceptionem referri ad totam Chriſti ſententiam, illa Chriſti verba poterunt cum B. Martiali D. Petri Diſcipulo epiſt. 2. ad Toloſanos cap. 9. ſic interpretari: Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem hoc faciat, mœchatur; & quicumque aliam duxerit, mœchatur; ille quidem mœchia aliena, dando vxori occaſionem mœchandi; iſte verò mœchia propria, cognoſcendo eam quæ non eſt ſua, conformiter alijs verbis Chriſti Matth. 5. *Omnis qui dimittit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.*

CAPVT VI.

De impedimentis matrimonij.

IMpedimenta matrimonij alia ſunt quæ dicuntur impedientia tantùm, quia ſcilicet impediunt ne matrimonium licitè contrahatur, contractum tamen non irritant: alia verò, quæ dirimentia appellantur, non quòd matrimonium iam factum & validè contractum dirimant, vt ipſi termini ſignificare videntur (conſtat enim ex dictis capite præcedenti matrimonij vinculum, inter fideles contractum, & nondum conſummatum, per ſolam profeſ-

ſio-

ſionem religioſam diſſolui) ſed quia efficiunt, vt nedum illicitè, ſed etiam inualidè matrimonium contrahatur. De hoc duplici genere impedimentorum breuiter hic agendum.

§. I.

De impedimentis prohibentibus.

IMpedimenta prohibentia duodecim communiter numerantur, quorum aliqua ex iure naturali, vel poſito, alia ex crimine oriuntur. Primi generis ſunt quinque, quæ his verſibus continentur.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechiſmus, ſponſalia, iungito votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Primum ergo impedimentum prohibens eſt *Eccleſiæ vetitum*, ideſt prohibitio facta à ſuperiori Eccleſiaſtico, quæ poteſt eſſe vel generalis & communis omnibus fidelibus, vt prohibitio contrahendi ſine præuijs denuntiationibus, aut earum diſpenſatione; vel ſpecialis vt cùm alicui in particulari, iuſta de cauſa, prohibetur matrimonium.

Secundum eſt *tempus feriatum*, id eſt certum anni tempus quo Eccleſia matrimonia celebrari vetat.

Tertium eſt *Catechiſmus*, id eſt cognatio ſpiritualis nata ex catechizatione, ſeu inſtructione in fide, quæ fieri ſolet ante baptiſmum; ex hac enim contrahitur quædam cognatio ſpiritualis imperfecta, quæ eſt impedimentum matrimonij; quamuis plures exiſtiment, tale impedimentum à Tridentino

 ſub-

ſublatum eſſe ſeſſ. 24. de matrim. cap. 2. vbi expreſsè ſtatuitur, cognitionem ſpiritualem non contrahi in baptiſmate, niſi inter ſuſceptores & baptizatum, illiuſque patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, nullamque prorſus facit mentionem catechiſmi, aut tenentis in catechiſmo.

Quartum impedimentum eſt *Sponſalia*, ſeu promiſſio futurarum nuptiarum alicui facta; qui enim cum aliqua Sponſalia contraxit, non poteſt ſine peccato mortali cum alia matrimonium inire, niſi ex iuſta cauſa promiſſionem alteri factam diſſoluat.

Quintum eſt votum ſimplex religionis, aut caſtitatis, vel ſuſcipiendi ordinem ſacrum, aut non ineundi matrimonium: tale enim votum impedit quod vouens poſſit licitè contrahere matrimonium, non tamen quod illud validè contrahat; nam vt ait D. Thomas hic qu. 53. art. 1. Votum ſimplex eſt tantùm promiſſio; res autem alicui promiſſa tantùm, manet adhuc in dominio promittentis, poteſtque validè, quamuis illicitè, ab eo donari alteri.

Alia ſeptem impedimenta dirimentia, quæ ex crimine proueniunt, his verſibus recenſentur.

Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors muliebris,
Suſceptus propriæ ſobolis, mors præſbyteralis,
Vel ſi pæniteat ſolemniter, aut monialem,
Accipiat: prohibent hæc coniugium ſociandum.

Sextum ergo impedimentum prohibens, eſt *Inceſtus*, nam licet ille matrimonium irritet inter eos à quibus commiſſus eſt, vt §. 3. dicemus,

mus, non tamen dirimit, ſed ſolum impedit cum alijs contrahendum.

Septimum eſt *raptus ſponſæ alienæ*, nam iſtud etiam crimen eſt vnum ex illis propter quæ iure antiquo interdictum fuit matrimonium, vt conſtat ex cap. *Statutum* 27. quæſt. 8. vbi ſic dicitur: *Statutum eſt à ſacro conuentu* (Concilij Toletani, vel potiùs Rhemenſis, ex quo caput illud deſumptum eſt) *vt ſi quis ſponſam alterius rapuerit, publica pœnitentia mulctetur, & ſine ſpe coniugij maneat*. Hoc impedimentum poſt Tridentinum, non ſolùm impedit matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimit contractum, ſeu reddit illud inualidum, vt infra dicemus.

Octauum eſt *mors mulicbris*, ideſt vxoricidium, quod ſi committatur animo ad alias nuptias tranſeundi, eſt impedimentum dirimens, vt infra patebit; ſi verò ex odio, ira, aut vindicta eſt tantùm impediens; qui enim vxorem interficit, priuatur ſpe coniugij cap. *Interfectores*, cap. *Quicumque*, & cap. *admonemus* 33. quæſt. 2. Quod diximus de vxoricidio, dicendum eſt pariter de viricidio, quià vt rectè ait Paludanus in 4. diſt. 47. quæſt. 2. lex data pro vno correlatiuo, extenditur ad alterum, quando eadem militat pro vtroque cauſa: Sed eadem militat ratio in viricidio ac in vxoricidio: Ergo eadem pœna priuationis perpetuæ coniugij, vtrumque crimen ab Eccleſia punitur.

Nonum eſt *ſuſceptus propriæ ſobolis*, id eſt cùm alter vel vterque coniux, proprium filium de ſacro fonte ſuſcipit, matrimonio inſidiandi cauſa, id eſt ea intentione, vt priuet alte-

alterum coniugem debito coniugali, ratione affinitatis ſpiritualis, ex ea ſuſceptione inter eos ortæ. Ille enim in pœnam huius fraudis, inhabilis redditur, vt defuncto coniuge, ad alias nuptias valeat peruenire, vt conſtat ex can. *De eo* 30. qu. 1.

Decimum eſt *mors presbyteralis*, ſeu occiſio Presbyteri, vt patet ex can. *Presbyterum*, de pœnit. & remiſſ. vbi ſic dicitur: *Qui Presbyterum occiderit, & de eo crimine conuictus fuerit, vſque vltimum tempus vitæ ſuæ, malitiæ cingulo careat, & abſque ſpe coniugij maneat.*

Vndecimum eſt pœnitentia publica & ſolemnis, qua durante matrimonium olim interdictum erat pœnitentibus, vt conſtat ex canone 21. Concilij Arelatenſis 2. & ex cap. *Antiqui* 33. q. 2.

Duodecimum & vltimum impedimentum prohibens, eſt matrimonium ſacrilegè attentatum cum moniali, vt habetur cap. *Hic ergo* 27. q. 1. vbi ſtatuitur, *vt qui ſanctimonialibus ſcienter matrimonio ad iniuriam Chriſti copulati ſunt, iuxta cenſuram zeli Chriſtiani ſeparentur, & nunquam eis concedatur, coniugali vinculo religari, & in pœnitentiæ lamentis ſe vehementer, dum viuunt, afficiant*, ac proinde tota vita ab omni coniugio abſtineant, cum illud, vt ſupra vidimus, iniri non poſſet, quandiu publica & ſolemnis pœnitentia durabat. Plura ex his impedimentis non vigent ampliùs, ſed per contrariam conſuetudinem abrogata ſunt.

§. II.

§. II.

De impedimentis dirimentibus.

IMpedimenta matrimonium dirimentia, ſeu illud inualidum reddentia, ſunt quatuordecim, his verſibus comprehenſa.

Error, conditio, votum cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, Ordo, ligamen, honeſtas.
Si ſis affinis ſi fortè coire nequibis.
Si Parochi & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptaue ſit mulier, nec parti reddi a tutæ.
Hæc ſociare vetant connubia, facta retractant.

Primum ergo impedimentum dirimens eſt *error* circa ſubſtantiã perſonæ, vel circa alia, quæ eſſentialiter pertinent ad matrimonium: ille enim tollit conſenſum in eſſentialia matrimonij, ſubindeque illud irritat, ac inualidum reddit, vt contingit etiam in alijs contractibus, in quibus error circa ſubſtantiam contractus, reddit illum irritum iure naturæ, vt ſi quis pro tritico vendat hordeum, pro auro aurichalcum, pro gemma vitrum. Vnde ſi quis contrahat cum Martha, putans illam eſſe Mariam, matrimonium ipſo iure naturæ irritum eſt; ſecùs verò ſi error non ſit circa ſubſtantiam, ſed tantùm circa qualitatem perſonæ, puta ſi exiſtimat ſe contrahere cum pulchra, vel nobili, aut diuite, quæ tamen reipſa eſt deformis, ignobilis, & pauper. Si tamen error qualitatis redundet in errorem perſonæ, quod contingit quandoqualitas eſt ſimul cum

cum perſona per ſe intenta, dirimit matrimonium: v. g. ſi fœmina contrahat cum aliquo, quem principem eſſe exiſtimat, ita vt perſonam & dignitatem per modum vnius integri & totalis obiecti, ſimul intendat, non valet matrimonium, ſi ille reuera Princeps non ſit.

Secundum eſt *conditio*, ſiue ſtatus ſeruitutis; ſi quis enim exiſtimat ſe contrahere cum libera, & contrahit cum ancilla, matrimonium iure ciuili & canonico irritum eſt, vt conſtat ex Autent. de nuptijs §. *Si verò decretum*, & ex cap. *Si quis ingenuus*. 29. *qu*. 21. Rationem aſſignat D. Thomas hic qu. 52. art. 1. vbi ſic diſcurrit: *In matrimonij contractu obligatur vnus coniugum alteri ad debitum reddendum, ideò ſi ille qui ſe obligat eſt impotens ad ſoluendum, ignorantia huius impotentiæ in eo cui fit obligatio, tollit contractum. Sicut autem per impotentiam coeundi efficitur aliquis impotens ad ſoluendum debitum, vt omnino non poſſit ſoluere, ita per ſeruitutem, vt liberè debitum reddere non poſſit, & ideò ſicut impotentia coeundi ignorata, impedit matrimonium, non autem ſi ſciatur, ita conditio ſeruitutis matrimonium impedit.*

Tertium eſt *votum*, quo nomine intelligitur votum ſolemne religionis, quod non ſolum impedit matrimonium contrahendum, ſed etiam illud irritat, & inualidum reddit, vt definitur ab Alexandro III. capit. *Meminimus*, ab Innocentio III. cap. *Finali*, *Qui Clerici vel vouentes*, à Bonifacio VIII. capit. vnico *de voto* in 6. & nouiſſimè à Tridentino ſeſſ. 24. can. 9. Eſt autem difficultas & controuerſia inter Theologos, an illud irritet iu-

re naturæ, vel ſolùm iure humano Eccleſiaſtico? Sed probabilior videtur ſententia D. Thomæ hic qu. 52. art. 2. & 2. 2. qu. 88 art. 11. nec non quodlib. 3 art. 18. & quodlib. 10. art. 11. vbi docet, votum ſolemne religionis, iure naturæ, ſiue ex ſua natura, habere quod dirimat matrimonium contractum, idque probat hoc diſcurſu: Ius naturæ dictat, vt qui ſemel aliquid donauit totaliter alteri, eaque donatio fuit ab illo acceptata, non poſſit illud idem poſtea alteri tradere: Sed per votum ſolemne Religionis, vouens totaliter ſe donat Deo, corpuſque illi ad perpetuam continentiam tradit, quæ donatio & traditio, ab eo per religionis prælatos acceptatur: Ergo ius naturæ dictat, quod non poſſit ſuum corpus alteri, per matrimonium tradere in vſum contrarium voto, quo Deo illud donauit & tradidit.

Nec valet quod ait Martinonus hic diſp. 74. ſect. 3. num. 34. nempe quod licet profeſſio Religioſa contineat aliquam ſui traditionem, non tamen omnimodam, & naturaliter incompatibilem cum matrimonio; Sed ſicut ſeruus voluntarius, aut emptitius, non ita domino traditur, vt priuetur naturali iuri matrimonium ineundi, domino licet inuito: ſic profeſſus in Religione approbata, non ita ſe tradit Deo & Religioni, vt quantùm eſt ex natura rei, non poſſit validè matrimonium contrahere, quamuis illicitè. Non valet inquam hæc reſponſio: eſto enim qnod profeſſio religioſa non importet omnimodam ſui traditionem Deo & Religioni, importat tamen traditionem ſui, ad caſtè viuendum;

Sed traditio ſui ad caſtè viuendum, eſt ex ſua natura incompatibilis cum matrimonio, cùm illud ſit ſui traditio ad copulam carnalem: Ergo profeſſio Religioſa importat traditionem naturaliter incompatibilem cum matrimonio, ſubindeque habet quod illud iure naturæ; ſeu ex natura ſua, dirimat, non verò ſolo iure poſitiuo Eccleſiaſtico.

Confirmatur: quia iure tantùm Eccleſiaſtico votum ſolemne caſtitatis eſt annexum ſtatui Clericali, poteſt Papa, relinquendo Clericum in ſuo ſtatu Clericali, diſpenſare cum eo vt matrimonium contrahat, vel matrimonio iam contracto vtatur, vt conſtat in Sacerdotibus Græcis, qui ex diſpenſatione Eccleſiæ, vtuntur coniugio ante ſacram Ordinationem inito: Ergo ſimiliter, ſi votum ſolemne Religionis, non ex natura ſua, ſed ex ſola Eccleſiæ conſtitutione, vim habeat impediendi matrimonium contrahendum, & dirimendi contractum, poterit Papa hanc vim à voto ſolemni tollere, auferendo præceptum Eccleſiaſticum, & tamen relinquere tale votum in ſuo ſubiecto, ſubindeq; efficere poterit, quod Monachus, manens Monachus, nubat, vxoremq; ac liberos in Monaſterio habeat; quod apertè repugnat Innocentio III. cap. *Cùm ad monaſterium*, de ſtatu Monachorum, vbi ſic ait: *Abdicatio proprietatis, ſicut etiam cuſtodia caſtitatis, adeò eſt annexa regulæ monachali, vt contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere.*

Obijcies primò: Bonifacius VIII. interrogatus ab Epiſcopo Biterrenſi, quod votum debeat dici ſolemne, & ad dirimendum

ma-

matrimonium efficax? Reſpondet cap. vnico *de voto & voti redemptione*, in 6. quod *cùm voti ſolemnitas, ex ſola conſtitutione Eccleſiæ ſit inuenta, matrimonij verò vinculum ſit ab ipſo Deo, illud votum debet dici ſolemne, quod per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per profeſſionem in Religione approbata ſolemnizatur*. Vbi Pontifex expreſsè aſſerit, ſolemnitatem voti eſſe ex ſola conſtitutione Eccleſiæ, & in hoc differre à vinculo Matrimonij, quod eſt immediatè ab ipſo Deo.

Sed reſpondetur, duplicem eſſe voti ſolemnitatem, vnam ſubſtantialem, conſiſtentem in traditione ſui ipſius facta in manu ſuperioris, ad ſeruandum illa quæ promittuntur, & in acceptatione quam ille facit nomine Dei, aliam verò accidentalem & cæremonialem, quæ conſiſtit in modo & cæremonijs, cum quibus ex ſtatuto Eccleſiæ fit illa traditio, & acceptatio; Pontificemque loco citato non loqui de prima ſolemnitate voti, ſed tantùm de ſecunda. Nec valet ſi dicas, ex ſolemnitate accidentali non poſſe definiri quodnam votum debeat dici ſolemne & efficax ad dirimendum matrimonium: licet enim ex illa hoc non poſſit colligi & definiri à priori, & tanquam à cauſa, bene tamen à poſteriori, & tanquam à ſigno, cùm non ſit in vſu Eccleſiæ adhibere pro votis ſimplicibus cæremonias illas ac ſolemnitates accidentales, quæ adhibentur in votis ſolemnibus.

Dices, ſi ſummus Pontifex ſtatueret, vt ea vota quæ in Religione aliqua approbata emittuntur, non eſſent ſolemnia, reuera talia non eſſent: Ergo non ſolùm ſolemnitas accidentalis.

lis, ſed etiam ſubſtantialis votorum ſolemnium, pendet ab Eccleſia, ſubindeque non eſt de iure diuino, ſed tantùm Eccleſiaſtico. Sed nego conſequentiam: ſicut enim, licet Eccleſia poſſit efficere vt matrimonium quod antea erat verum & legitimum, non ſit ampliùs tale, apponendo aliquas conditiones, ſine quibus non eſt validum, vt conſtat in matrimonijs clandeſtininis, quæ à Tridentino reddita fuere inualida: inde tamen colligi nequit, quod ſubſtantia & eſſentia matrimonij ab Eccleſiæ voluntate dependeat, non verò ab inſtitutione Chriſti. Ita pariter; tametſi votum ſolemne pendeat ab Eccleſia, quantùm ad aliquas conditiones, puta quod fiat in tali ætate, in tali Religione, in manibus talis ſuperioris, ita vt ſine illis non ſtet, non ſequitur tamen, quod ipſa ſubſtantia voti ſolemnis non ſit de iure diuino, ſubindeque ab Eccleſia independens.

Obijcies ſecundò Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in his quæ ſunt de iure naturæ: Sed diſpenſauit aliquando vt Religioſi profeſſi matrimonium contraherent, vt ex varijs conſtat hiſtorijs; legimus enim apud aliquos Authores aliquando diſpenſatum fuiſſe cum Rege quodam Aragonum qui fuerat monachus & cum Rege Poloniæ, vt conſtare videtur ex quodam illius Epitaphio quod eſſe dicitur Diuioni in monaſterio Sancti Benigni. Cuius verba ſunt: *Hic iacet illuſtris & deuotus Dominus quondam Dux Poloniæ, qui monachus huius monaſterij per plures annos exiſtens, diſpenſatus per Papam pro ſucceſſione regni Poloniæ mortuus eſt in vrbe Argentina,*

volens hic ſepeliri Anno Domini 1328. *primo Kalendas Maij* Ergo votum ſolemne religionis non dirimit matrimonium iure naturæ, ſed duntaxat iure poſitiuo Eccleſiaſtico.

Huic obiectioni conceſſa Maiore, nego Minorem, & ad eius probationem? Reſpondeo primò fabuloſas eſſe, aut certè valde dubias illas hiſtorias vt in Clypeo Theologiæ Thomiſticæ fusè oſtenſum eſt. Secundò dato quod veræ ſint, dico prædictas licentias, ſeu conceſſiones, non fuiſſe veras diſpenſationes, ſed potius declarationes votum caſtitatis in prædictis caſibus non obligaſſe, imo nec fuiſſe propriè votum, cùm non eſſet de meliori bono. Ita Maldonatus in tractatu de Sacramentis de impedimento Voti quæſt. 3. vbi ait: *Poſſe cauſas aliquas incidere, in quibus Eccleſia non quidem diſpenſet in voto ſolemni, ſed per interpretationem æqui & boni declaret eum qui fecerit votum non teneri voto. Nam cùm ſit regula generalis, collecta ex iure diuino & naturali, vt votum minoris boni relaxetur per votum maioris boni. Et cum non debeat eſſe iudicium priuatum vniuſcuiuſque, an aliquod bonum quod fortaſsè occurrit, ſit maius quàm ſeruare caſtitatem perpetuam ad quam ſe conſtrinxit voto ſolemni ſed debeat illud relinqui iudicio totius Eccleſiæ. Et cum poſſit aliquando occurrere huiuſmodi bonum multò maius, quàm eſt ſeruare caſtitatem; non dubium eſt quod tunc Eccleſia, aut nomine totius Eccleſiæ Pontifex poſſit declarare, illum in eo caſu non teneri ad obſeruationem voti. Quod credendum eſt feciſſe illum Papam cum rege Aragonum, & illum alterum cum rege Poloniæ; quia iudicarunt bo-*

num

num publicum totius regni eſſe præſtantius quàm bonum priuatum vnius monachi ſed non eſt propriè diſpenſare, nam diſpenſatio vocatur cum manente voto integro aliquis liberatur ab illius obligatione. Hæc Maldonatus quibus præcipuum aliorum Theologorum Societatis fundamentum conuellit, & clarè ſoluit argumentum quod apud illos palmarium eſt & achylleum.

§. III.

Alia impedimenta dirimentia breuiter exponuntur.

QVartum impedimentum dirimens eſt *cognatio* quæ triplex eſt, carnalis, ſpiritualis, & legalis. Carnalis, quæ etiam conſanguinitas, id eſt mutua ſanguinis vnitas, appellatur, definitur à D. Thoma hic qu. 54. art. 1. *Vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum.* Spiritualis eſt illa quæ oritur ex generatione ſpirituali, quæ fit per ſacramentum Baptiſmi, vel Confirmationis, & duplex eſt: Prima per modùm paternitatis inter baptizãtem ſeu confirmantem, qui ſe habet vt pater, & baptizatum ſeu confirmatum, qui ſe habet vt filius. Secunda, per modum compaternitatis inter baptizantem ſiue confirmantem, & parentes baptizati ſeu confirmati. Quam etiam duplicem cognationem ſpiritualem contrahunt patrinæ & matrinæ, puerum de ſacro fonte leuantes, vel confirmatum ſuſcipientes. Per alia verò ſacramenta nulla cogna-

gnatio ſpiritualis contrahitur, quamuis per ſacramentum pœnitentiæ oriatur ſimile quid ſpirituali cognationi, vt dicitur capit. *Omnes* 30. qu. 1. ratione cuius nonnulli exiſtimant, peccatum luxuriæ inter confeſſarium & pœnitentem, habere malitiam ſpecialem, veluti inceſtus ſpiritualis, aut ſacrilegij contra reuerentiam ſacramenti. Demum cognatio legalis definitur propinquitas, ex adoptione alicuius in filium prouidens, quæ iure Eccleſiaſtico & ciuili matrimonium dirimit, nam cap. vnico de cognatione legali ſic dicitur: *Si qua per adoptionem mihi ſoror eſſe cæperit, quandiu durat adoptio, inter me & ipſam nuptia conſiſtere non poſſunt.*

Porro vt conſanguinitatis gradus facilè computentur, tres regulæ obſeruandæ ſunt ex D. Thoma art. 2. quæſtionis citatæ. Prima eſt: In linea recta aſcendentium, tot ſunt gradus quot perſonæ ex vno ſtipite deſcēdentes, excepto ipſo ſtipite: v.g. pater & filius ſunt quidem duæ perſonæ, ſed deducto patre ſubſiſtit filius in primo gradu; & ita non ſolùm pater & filius, ſed etiam frater, & ſoror ſibi inuicem ſunt conſanguinei in primo gradu, ſicut auus, & ex filio nepos in ſecundo. Secunda regula hæc eſt: In linea æquali collateralium, eodem gradu à ſe mutuò perſonæ diſtant, quo gradu eædem diſtant à communi ſtipite. Vnde duo fratrum filij ſunt in ſecundo gradu conſanguinitatis, quia duobus gradibus ab auo diſtant, qui eſt communis ipſorum ſtipes. Tertia regula: In linea quoque tranſuerſa, ſeu collateralium, ſed inæquali, eo gradu diſtant inter ſe collaterales, quo di-

ſtat

ſtat gradus remotior, à communi ſtipite. Vnde ſi iſte diſtet tribus gradibus, ſunt in tertio gradu conſanguinitatis. Ita in iure Canonico numerantur gradus conſanguinitatis: ſed ius ciuile in eo diſcrepat à Canonico, quod illud totidem computat gradus in linea collateralium, quot ſunt ex vtroq; latere perſonæ; & ideò fratres & ſorores, cùm duæ ſint perſonæ, collocat in ſecundo gradu deinde patrueles in quarto, quia patrueles, eorumque parentes, ab vno ſtipite prodeuntes, conſtituunt quatuor ſimul perſonàs. Deinde in linea inæquali tranſuerſa nepotem & pronepotem conſtituit in quinto gradu, ob parem vtrinque perſonarum ſeu generationum numerum. Ius verò Canonicum tantùm conumerat vnius lateris generationes à communi ſtipite deductas, ideòq; fratres & ſorores in primo gradu, patrueles in ſecundo collocat. Ratio verò huius diuerſitatis inter ius Canonicum & ciuile traditur ab Alexandro III. can. *Ad Sedem* 35. qu. 5. quia nimirum ius Canonicum conſiderat gradus conſanguinitatis in ordine ad matrimonium contrahendum, quod nequit contrahi niſi inter duas perſonas, atq; adeò duas iſtas perſonas extremas in vno gradu computat. At verò ius ciuile conſiderat huiuſmodi gradus in ordine ad hæreditatem, vt ſcilicet illa transferatur ab vna perſona ad aliam, & ideò ſingulis perſonis ſingulos perficit gradus.

Quintum impedimentum dirimens eſt *crimen*, per quod intelligitur primò occiſio alterius coniugis, quæ impedit ne coniux ſuperſtes, poſſit matrimonium inire cum au-

thore

thore necis, ſi cum eo machinatus eſt mortem; vel ſi antea adulterium cum eo commiſit, etiam ſine mortis machinatione. Secundò nomine criminis intelligitur adulterium commiſſum cum promiſſione futuri coniugij cum adultera, poſt obitum propriæ coniugis, vel cum ea de præſenti inito contractu matrimonij, quamuis irrito, vt conſtat cap. *Finali* de eo qui duxit, vbi ſic dicitur: *Si quis vxore viuente, fide data promiſit aliam ſe ducturũ, vel cum ipſa de facto contraxit; ſi nec ante, nec poſt (legitima eius ſuperſtite) cognouit eandem: quamuis vtrique ipſorum, pro eo quod in hoc grauiter deliquerint, ſit pœnitentia iniungenda, non eſt tamen matrimonium quod cum ea contraxit, poſt vxoris obitum dirimendum. Cæterùm tolerari non debet, ſi priùs, vel poſtea, dum vixerit vxor ipſius, illam adulterio polluiſſet.* Vbi Pontifex, vt hoc impedimentum incurratur, requirit quod hæc duo inter ſe coniungantur, nempe adulterium & fides de contrahendo, defuncta propria vxore, aut præſens contractus cum ea quam in vxorem ducere cupit: Vnde ſi hæc abinuicem ſeparentur, & ſit adulterium ſine fide de contrahendo, vel fides de contrahendo, ſine adulterio; & carnali copula, non incurritur hoc impedimentum.

Sextum impedimentum dirimens eſt *cultus diſparitas*, quando ſcilicet baptizatus matrimonium init cum non baptizata, aut viceuerſa tale enim matrimonium, ex antiqua traditione & conſuetudine Eccleſiæ, irritum eſt. Cauſa verò illud irritandi fuit primò periculum præuaricandi à fide: *Quis enim dubitet*

(inquit Tertullianus lib. 2. ad vxorem) *obliterari quotidie fidem commercio infideli? Bonas corrumpunt mores confabulationes prauæ, quantò magis conuictus, & indiuiduus vſus &c.* Secundò, difficultas ſuſceptam prolem benè pieque educandi. Tertiò, perpetua inter coniuges diſcordiarum occaſio, ob religionis diuerſitatem. *Quomodo enim poteſt congruere charitas, ſi diſcrepet fides?* Vt rectè ait Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 9.

Septimum impedimentum dirimens eſt vis, ſeu coactio, libertati ad valorem matrimonij neceſſariæ repúgnans, de qúa ſupra cap. 3.

Octauum eſt *Ordo*, quod de Ordine ſacro intelligendum eſt; ille enim iure Eccleſiaſtico irritat matrimonium ſubſequens, vt conſtat ex Tridentino ſeſſ. 24. can. 9. non autem iure naturali, ſicut votum ſolemne emiſſum in Religione approbata. Vnde licet Summus Pontifex non poſſit diſpenſare in voto ſolemnizato per profeſſionem religioſam, bene tamen in voto ſolemnizato per ſuſceptionem Ordinis ſacri. Rationem diſcriminis aſſignat. D. Thomas 2. 2. qu. 88. art. 11. quia nimirum votum caſtitatis non eſt eſſentialiter, ſed ex ſola conſtitutione Eccleſiæ, annexum Ordini ſacro; quod inde prouenit, quia in tali voto eſt tantùm traditio imperfecta, directè enim & per ſe eſt ſolùm ad miniſtrandum altari: ſtatui vero Religioſo votum caſtitatis eſſentialiter annexum eſt, quia in eo fit perfecta traditio.

Nonum impedimentum dirimens eſt *ligamen*, id eſt vinculum prioris matrimonij quo durante, iure diuino inualidum eſt ſecundum matrimonium; quia vt ſupra oſtenſum

ſum eſt, poligamia & repudium à Chriſto in lege Euangelica ſublata ſunt, & matrimonium redditum monogamum ac indiſſolubile, ſicut erat in principio, quando in paradiſo terreſtri à Deo inſtitutum eſt.

Decimum eſt *honeſtas publica*, quæ eſt propinquitas quædam ex ſponſalibus proueniens, quæ facit quod alter ſponſus cum alterius conſanguineis matrimonium contrahere non poſſit. Æquum enim eſt ac honeſtati congruum, vt quia in ſponſalibus matrimonium inchoatur, non poſſit qui cum aliqua ſponſalia iniuit, cum illius conſanguineis matrimonio copulari. Hæc tamen prohibitio primum gradum non excedit, ex Tridentino ſeſſ. 24. cap. 3.

Vndecimum eſt *affinitas*, quæ eſt coniunctio vel propinquitas orta ex carnali copula, inter fœminam & conſanguineos viri cui copulata eſt, ſimiliterque inter marem & conſanguineas fœminæ cui copulatus eſt. Illa quæ oritur ex copula licita ſiue coniugali, extenditur vſque ad quartum gradum incluſiuè; ea verò quæ ex copula illicita prouenit, ſe extendit ſolùm vſque ad ſecundum gradum incluſiuè, ex Tridentino ſeſſ. 24. cap. 4. de reformatione matrimonij, reſtingente ius antiquum, quo talis affinitas vſque ad quartum gradum extendebatur.

Si affinitas præcedat matrimonium, illud iure Eccleſiaſtico dirimit, ſeu inualidum reddit; ſi autem ſuperueniat matrimonio iam contracto, vt fit interdum per copulam illicitam cum conſanguineis coniugis in primo vel ſecundo gradu, per eam non dirimitur

matrimonium, ſed dũtaxat vſus illius impeditur, quatenus ille qui copulam inceſtuoſam habuit, priuatur iure petendi debitum coniugale (niſi præhabita diſpenſatione, quam Epiſcopus dare poteſt) tametſi non priuetur facultate reddendi, ne pars innocens puniatur ob delictum alterius.

Hoc impedimentum non eſt de iure naturali, ſed Eccleſiaſtico, vnde Eccleſia poteſt in eo diſpenſare, vt pluries fecit, etiam in primo gradu affinitatis: nam Alexander VI. diſpenſauit cum Henrico VIII. Angliæ Rege, vt duceret Catharinam vxorem fratris ſui Arturi demortui. Quam diſpenſationem Clemens VII. conſultis Theologis & Caniſtis, ex totius ferè Europæ Academijs, licitam ac validam declarauit. Item Innocentius X. diſpenſauit cum Caſimiro Poloniæ Rege, vt Mariam Gonzagam, Mantuæ principem, vxorem fratris ſui demortui, matrimonio ſibi copularet. Nunquam tamen Eccleſia diſpenſauit in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, vt videlicet priuignus nouercam, aut priuigna vitricum, vel ſocer nurum, aut ſocrus generum, coniugem haberet; quia cùm in his matrimonijs indecentia quædam appareat, nullus ex Catholicis ea inire vnquam tentauit, nec à Sede Apoſtolica diſpenſationem poſtulauit. Vnde non improbabiliter multi exiſtimant, talia matrimonia irritari iure naturæ.

Duodecimum impedimentum dirimens eſt impotentia coeundi, nam iure naturæ contractus irritus eſt, quo aliquis ſe obligat ad aliquid quod exequi & præſtare non poteſt. Si ta-

tamen dubitetur; an hæc impotentia ſit perpetua, vel tantùm temporalis, matrimonium non dirimit, ſed datur ab Eccleſia coniugibus triennium, ad hoc experiendum, quo elapſo ſine fructu, cenſetur perpetua, & matrimonium diſolui poteſt, ſeu declarari inualidum.

Præter hæc duodecim impedimenta matrimonium dirimentia, alia duo addita fuere à Tridentino, nempe clandeſtinitas, & raptus, nam ſeſſ. 24. decreto de reforma matrimonij cap. 1. ſtatuit vt non poſſit deinceps contrahi matrimonium, niſi præſente Parocho, & duobus vel tribus teſtibus, de quo fusè cap. 3. agendo de conſenſu clandeſtino. Item ibidem cap. 6. decernit, inter raptorem & raptam, quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium.

Ad complementum huius tractatus quæres, an Reges, & ſummi Principes habeant poteſtatem dirimendi matrimonia, non ſolùm quatenus ſunt contractus ciuiles, ſed etiam inquantum rationem ſacramenti habent, ſeu impediendi quod aliqui contractus matrimoniales ad dignitatem ſacramenti pertingant?

Reſpondeo id non poſſe directè & per ſe, benè tamen indirectè & per accidens.

Ratio primæ partis huius reſolutionis manifeſta eſt, leges enim principum, cùm ſint purè humanæ & politicæ, per ſe & directè attingere nequeunt ea quæ ſunt iuris diuini vel Eccleſiaſtici, qualia ſunt Sacramenta.

Secunda verò hac ratione ſuadetur: Chriſtus ad dignitatem Sacramenti eos tantùm

contractus matrimoniales eleuari voluit, qui liciti & legitimi ſunt, non verò eos qui ſunt illegitimi & illiciti, & legibus diuinis aut humanis diſformes: Atqui Reges, & ſummi Principes, legibus ſuis efficere poſſunt, quod aliqui contractus matrimoniales, qui antea erant liciti & legitimi fiant illiciti & illegitimi: Ergò indirectè ſaltem & per accidens præſtare poſſunt, quod i lli ad dignitatem ſacramenti non perueniant, ſed ea careant ac priuentur. Maior conſtat, Minor verò probatur ex D. Thom. in 4. diſt. 34. qu. vnica art. 1. ad 4. vbi ſic ait: *Matrimonium, inquantum eſt in officium naturæ, ſtatuitur lege naturæ; inquantum eſt ſacramentum, ſtatuitur lege diuina: inquantum in officium communitatis, ſtatuitur lege ciuili. Et ideò ex qualibet dictarum legum poteſt aliqua perſona effici ad matrimonium illegitima.* Et rurſus 4. contra Gent. cap. 78. ſic diſcurrit: *Conſiderandum eſt, quod quando aliquid ad diuerſos fines ordinatur, indiget habere diuerſa dirigentia in finem, quia finis eſt proportionatus agenti: generatio autem humana ad multa ordinatur, ſcilicet ad perpetuitatem ſpeciei, & ad perpetuitatem alicuius boni politici, puta populi in aliqua ciuitate; ordinatur etiam ad perpetuitatem Eccleſiæ, quæ in fidelium collectione conſiſtit; vnde oportet quod huiuſmodi generatio à diuerſis dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod eſt perpetuitas ſpeciei, dirigitur in finem à natura inclinante in hunc finem, & ſic dicitur eſſe naturæ officium. Inquantum vero ordinatur ad bonum politicum, ſubiacet ordinationi ciuilis legis. Inquantum* au-

autem ordinatur ad bonum Eccleſiæ, oportet quod ſubiaceat regimini Eccleſiaſtico: Ergo iuxta D. Th. contractus matrimonialis poteſt reddi illegitimus ac illicitus, non ſolùm lege naturali vel eccleſiaſtica, ſed etiam lege ciuili Principis illum prohibentis. Vnde ſicut contractus matrimoniales qui lege naturali repugnant, puta quia ſunt inuiti & coacti; vel legi eccleſiaſticæ, puta quia ſunt clandeſtini, non eleuantur ad dignitatem ſacramenti; ita nec illi qui à legibus Principum exorbitant, & ab illis irritantur, vel prohibentur.

Confirmatur: cùm Eccleſia non habeat poteſtatem in materiam vel formam ſacramentorum, non alia ratione matrimonia clandeſtina potuerunt irritari à Tridentino, & impediri quominus rationem ſacramenti ſortiantur, niſi quia ab illo potuerunt reddi illicita & illegitima, cùm antea licita & legitima eſſent vt ſupra cap. 4. declarauimus: Ergo ſi idem à Principibus ſæcularibus præſtari poſſit, illis non poteſt denegari poteſtas impediendi, indirectè ſaltem & per accidens, quod aliqui contractus matrimoniales ad rationem & dignitatem ſacramenti perueniant.

Confirmatur ampliùs: Deſtructo fundamento ædificium ſuperſtructum deſtrui pariter neceſſe eſt: Sed baſis & fundamentum ſacramenti matrimonij eſt contractus connubialis validus ac licitus, cùm Chriſtus hunc ſolum contractum ad ſacramenti dignitatem eleuari voluerit: Ergo ſi Reges & ſupremi Principes poſſint tale fundamentum deſtruere, ac reddere contractum aliquem matrimonialem inualidum & illicitum, poſſunt per ac-

ci-

cid'ns & indirectè impedire, ne aliquis contractus matrimonialis attingat rationem & dignitatem ſacramenti.

Obſeruandum tamen eſt, nunquam, vel rariſſimè, Principes Chriſtianos vſi tali poteſtate, vel quia talem vſum Eccleſiæ ſponte ceſſerunt, vt ait Petrus Soto de matrimonio lect.4. Vel vt alij volunt, quia Eccleſia, iuſtis de cauſis vſum talis poteſtatis ſibi reſeruauit, ex quo facile reſolui poteſt alia celebris controuerſia, quæ inter Theologos & Iuriſperitos verſatur, an ſcilicet matrimonia filiorum familias, ſine conſenſu patris inita, & per ordinationem factam ab Henrico III. Galliæ Rege, in comitijs regni Bleſenſibus art.40. prohibita ac irritata ſunt, rationem ſacramenti obtineant, vel illa careant ac priuentur; Dicendum enim eſt, non obſtante tali edicto vel ordinatione, illa matrimonia non carere ratione ſacramenti.

Ratio eſt, quia leges non obligant niſi ſecundùm voluntatem & intentionem legiſlatoris, vt oſtendimus in tractatu de legibus: Henricus verò III. qui talem legem condidit, eiuſque ſucceſſores qui illam approbarunt & confirmarunt, noluerunt per illam inualida reddi, ac nulla prædicta matrimonia, quantùm ad rationem ſacramenti; ſed totam illam nullitatis & inualiditatis declarationem reſtrinxerunt & concludi voluerunt intra limites aliquorum effectuum vel pœnarum merè ciuilium; puta quod tales filij-familias non admitterentur ad actiones ciuiles fori, quæ ex vi contractus & conuentionem connubialium naſci poſſunt, & quod filij qui ex tali naſcerentur coniugio, illegitimi haberentur, tam

quo-

quoad honores, quam quoad ſucceſſiones.

Quod verò hæc ſit vera mens, & ſenſus huiuſmodi ordinationis ſeu conſtitutionis regiæ, conſtat, tum quia, vt diximus, Principes Chriſtiani nunquam vel rariſſimè vtuntur poteſtate quam habent irritandi contractus connubiales, quantùm ad rationem ſacramenti. Tum etiam ex eo quod habetur in tertio tomo rerum & decretorum Cleri Francici, vbi refertur, quod cùm res Chriſtianiſſimus Ludouicus XIII. ſuum publicare feciſſet edictum anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi noni, menſe Ianuario, eoque renouaret articulum præfatum 40. Edicti Bleſenſis, & Iudices Eccleſiaſticos iuberet conformiter ad illud in cauſis matrimonialibus iudicare art. 39. Clerus Gallicanus, eo tempore ſua Pariſijs Comitia habens, Regem ſuppliciter his verbis admonuit: *Rex humillimè ſupplicatur, vt conſiderare non pigeat quantum ſit momentum in hoc articulo, qui eget expoſitione ad duarum difficultatum elucidationem. Prima eſt, vt non aliter intelligantur hæ voces, validè aut inualidè contracti matrimonij, quam per relationem ad contractum ciuilem, & nullatenus ad contractum ſpiritualem ſacramenti. Secunda, vt non aſtringantur Eccleſiaſtici ad iudicandum ſecundum huius Edicti ſimulque Bleſenſis articulos, ſed iuxta ſacros Canones, & Eccleſiaſtica decreta, quæ ſunt vnica regula & norma iudicij Eccleſiaſticorum. Hi enim non poſſunt aut debent iuriſdictionem, quam à Deo ſolo collatam habent circa res ſpirituales, ab ipſis laicis mutuari. Quapropter neceſſe eſt ex iſto articulo hæc verba reſecare: Et obligabuntur*

Eccle-

Eccleſiaſtici Iudices in cauſis iſtiuſmodi matrimonium iudicare ad huius articuli normam.

Ad hanc ſupplicem requiſitionem, Rex Chriſtianiſſimus officium reſpondendi commiſit magno regni Cancellario, & ſelectioribus quibuſdam officialibus ſanctioris Conſilij. Hi verbis iſtis ex ſcripto reſponderunt: *Commonitio Cleri, quod ſpectat ad priorem difficultatem, ſic reſoluta fuit: Verba iſta (validè aut inualidè contracta matrimonia) non eſſe aliter explicanda, quam per ſolam relationem ad contractum ciuilem, per laicos iudices. Altera pariter difficultas, iuſta & rationi congrua viſa fuit.*

Omnia quæ in hoc Manuali ſcripſi, Romanæ Eccleſiæ cenſuræ humiliter ſubijcio, & verbis iſtis D. Bernardi, epiſtola ad Lugdunenſes, huic operi finem impono: *Quæ dixi abſque præiudicio ſanè dicta ſint ſanius ſapientis: Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati atq; examini, totum hoc, ſicut & cætera quæ huiuſmodi ſunt, vniuerſo reſeruo: ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus iudicio emendare.* Addo cum Petro Damiano: *Nos ſi quid errauimus, ad Petri magiſterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur. Hæc eſt enim illa officina fabrilis, cui nimirum is qui fabri filius dicebatur, Dei filius præſidet; ad cuius regulam omnis meritò moneta reducitur, ad cuius rectitudinis lineam quidquid vſpiam deprauatum fuerit, reformatur.*

FINIS.

Manualis Thomiſtarum,

BIBLIOTEC
MA 9 827